

114 7 71.



Inter libros
Josephi Mariae [illegible]
Antecessoris Regii
A. L. M.

TRACTATUS
DE STUDIO CONCILIORUM EORUMQUE COLLECTIONIBUS,

AUCTORE

FRANCISCO SALMONIO

DOCTORE AC BIBLIOTHECARIO
Sorbonæ Parisiensis.

EDITIO PRIMA LATINA:

CUI NUNC PRIMUM ACCESSIT
EPITOME VIT. PONTIFICUM ROMANORUM, ET SERIES
CRONOLOGICA, PER CENTURIAS DISPOSITA,
CONCILIORUM,







VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
MDCCLXIV.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



AD INTRODUCTIONEM CRITICAM In Concil. eorumque Collectiones.

PRÆFATIO.



AD veram Ecclesiasticæ eruditionis laudem contendenti nemo per hæc tempora melius fortasse consuluit, quam Franciscus *Salmon*, Parisiensis Sorbonæ Doctor & Bibliothecarius, edito hoc de Conciliis Tractatu, sive, ut doctissimi Lipsienses inscribunt, *Introductione Critica in Concilia eorumque Collectiones*. Ac Mabillonius quidem ad studia Monastica rite instituenda, Lamius ad recte intelligendam Sacram Scripturam, Bonaventura d'Argonne, Carthusianorum S. Juliani Rothomagensis Vicarius, ad Ecclesiæ Patrum Doctorumque scripta multa cum utilitate legenda, introductiones dederunt: nemo vero adhuc inventus est, qui id ipsum præstaret erga Concilia; quod tamen & ipsius argumenti dignitas, & res præsertim tenebris undique difficultatibusque circumsepta jamdiu requirere videbatur. Nullæ enim usque tunc extiterunt Conciliorum collectiones, nisi vulgares; nulla compendia, nisi trita & communia: ac, si quæ deinde novæ prodierunt, eæ non ad severissimas artis criticæ regulas, sed ad Auctoris quæque sui ingenium elaboratæ, dubia subinde, obscura, falsa, magna rerum confusione, legentibus exhibent. Hæc secum ipse reputans doctissimus Salmon studuit tot malis & incommodis remedium aliquod afferre, & qua majore potuit industria diligentiaque contendit, ut in posterum perfecta, numerisque omnibus, si fieri posset, absoluta, ad Ecclesiasticorum commodum, Ecclesiæque utilitatem, Conciliorum Collectio prodiret. Arduum sane Opus, atque adeo immensum suscepit: sed ipsius operis ratio breviter quasique per compendium descripta satis ostendit, quam strenue naviterque, quod sibi proposuerat, clarissimus vir absolverit. Nam, toto Opere in tres partes distributo, prima continet tum generalem, tum particularem Conciliorum utilitatem, sive dogma, sive mores, sive disciplinam, sive historiam, præsertim Ecclesiasticam, respicias. Habes in hac Conciliorum OEcumenicorum, uti vocant, *infallibilitatem*, ex perpetua neque unquam interrupta consuetudine, quæ ab Apostolis primum profecta & inducta, tot deinceps exemplis confirmata fuit. Vides, initio plura in Græcia, primisque Ecclesiæ sæculis fuisse celebrata Concilia, quam in Occidente; & intelligis, inde plerumque afflictam quassatamque Ecclesiam vires animumque sumpsisse. Nam veneratio quorumvis Conciliorum Canonibus perpetuo habita, etiam in Oriente, satis se prodit in Collectionibus, quæ magna cura confectæ, majore etiam studio & diligentia conservatæ fuerunt, ut egregie Auctor noster contendit contra eos, qui Conciliorum auctoritatem oppugnant. Qui enim dubites de veritate rerum, quas continent, cum & Acta & Canones habeas, tales omnino, quales in hisce conventibus conditi firmatique fuerunt? Quod si cer-

certum est, Ecclesiam neque ea monumenta neglexisse; quæ fundorum bonorumque, quibus fruebatur, possessionem confirmabant, quanto certius est, eam summa attentione custodiisse Monumenta Ecclesiastica, hæc præcipue, quæ dogmata, fundis omnibus longe pretiosiora, continebant? Atque hic multa reperias, quæ in hoc argumentum adduci possunt fortissima atque gravissima.

Affert deinde decisiones circa Fidei articulos latas; ex quibus eodem tempore percipis, quænam sint mysteria nostra, quænam nobis credendæ veritates, & quanta Deus Ecclesiam suam providentia tueatur & regat. Qui vero quolibet sæculo mores viguerint, colligis facile ex iis, quæ circa mores in his Conventibus decisa sunt. Præter Constitutiones Apostolicas, aliaque Pontificum Patrumque primorum sæculorum Opera, præstantissima Ecclesiasticæ disciplinæ monumenta, extitere etiam Canonum Collectiones in Ecclesiarum particularium usum confectæ. Primum tibi sese offert, tamquam antiquæ disciplinæ thesaurus, Canonum Africæ Collectio, quæ sub titulo Codicis Canonum prodiit, vix præscripta in VI. Concilio Carthaginiensi, in quo pariter perlecti sunt multorum Africæ Conciliorum Canones, Aurelii Episcopi Carthaginiensis tempore. Tum alii insequuntur Canonum Codices in Ecclesiarum Hispaniæ & Angliæ usum collecti.

Primis Ecclesiæ sæculis raro habebantur pro bono disciplinæ hujusmodi conventus, siquidem Christianorum vita sancte transigebatur. Sed, exorta deinde persequutione, quæ alios concussit, alios prostravit, plures etiam eo tempore conditæ sunt regulæ & Constitutiones. Ex animadversionibus in has factis multa desumis ad historiam illustrandam, multa de judicandorum Christianorum ratione, multa de Christianorum Libris Paganorum cura consumptis. Habes præterea, quinam essent pœnitentiæ gradus, quænam Presbytero vel Clerico lapso pœna irrogaretur, quid demum Columbæ illæ aureæ vel argenteæ ad Aras suspensæ significarent. Liber porro Pontificalis multa nos docet de pondere calicum, de patenarum forma, de forma Baptisterii, in modum agni vel cervi conficta, Innocentii I. tempore.

Tandem infinita prope sunt, quæ animadvertere possis de personis Ecclesiasticis, de earumdem vestibus, & ornamentis, de cantu Psalmorum, de SS. Mysteriorum participatione, de administratione Sacramentorum, de Ecclesiarum facultatibus, de bonis earumdem administrandis, de statu, numero, & regimine Monasteriorum, de regulis, quæ in iis observabantur, de oblationibus, de eleemosynis, de Missis, de Altaribus, de reliquiis, earumque translationibus, de abstinentia carnium die Sabbati, de precibus faciendis, de precum societatibus, de anniversariis, de sepulturis, aliisque, quæ nimis longum esset hic singillatim recensere. His omnibus duo longe præstantissima adduntur animadvertenda: primum, quædam Conciliorum Decreta a nostrorum temporum moribus mirum quantum differre: priorum sæculorum severitatem ferventi Christianorum studio maxime accommodatam fuisse necessariam ad tollendas pravas quasdam consuetudines, quæ ex Paganismo ad Christianos transierant: admirandam esse antiquiorum Conciliorum disciplinam, sed novam excolendam posteriorum auctoritate confirmatam. Cujus Constitutiones ut clarius & apertius illustrentur, docet Auctor, percipiendam esse verborum vim, & explicandas difficiles quasdam dicendi formas, quæ legentes Concilia retardant. In hoc maxime incubuerunt Albaspinæus, Thomassinus, & Cabassutius; etiam Du-cangii Glossarium alicujus esse utilitatis potest.

Monet secundo loco, non id sibi proposuisse, ut facta omnia colligeret, quæ a Conciliorum generalium & quorumdam particularium Historiis exhibentur. Tam multa ac diversa in Conciliis agitata sunt, ut fieri non possit, quin inde Regnorum, & Regum, populorumque, tum Provinciarum, Urbium, Ecclesiarum, publicorum privatorumque negotiorum status optime percipiatur. Concilia seriem Consulum, eorumque numerum: Concilia multa ad litterarum scientiarumque studia, ad Dignitates sæculares, ad Officia publica & militaria, ad omnem denique antiquitatem pertinentia exhibent. Opuscula demum & Acta Conciliorum ad historiam, præsertim Ecclesiasticam, cognoscendam ita quovis tempore visa sunt necessaria, ut a præstantissimis quibusque viris summa semper cura collecta & conservata fuerint. Hic Auctor ostendit, quænam sint Concilia, quorum Acta Historici ediderunt; & quinam Scriptores sint, qui in hanc rem consuli adhiberique possunt.

In se-

In secunda hujus Operis Parte non minus antiquæ recentesque Collectiones, quam Collectorum ipsorum labor innotescit. Nota quidem ea erant, quæ Patres dixerant de Collectionibus S. Athanasii, & S. Hilarii, de Collectione Stephano Episcopo Ephesino tributa, de cæteris, quæ consequutæ sunt: sed omnes tamen hæ Collectiones non ita dispositæ erant, ut invicem conferri possint. Inter Ecclesiæ Latinæ Collectiones, comprehenditur Codex Bibliothecæ Monasterii Corbiensis nondum impressus, tum editus a P. Quesnellio, præterea Codex ex Bibliotheca Colberti, Collectio Dionysii Exigui, Codex Ecclesiæ Gallicanæ, item Adriani I. Papæ, deinde alii in usum Ecclesiarum Hispaniæ, Africæ, & Ferrandi Cresconiique compendia: memorat etiam Collectiones Græcorum & Latinorum post Sæculum VI. quibus addit huc usque ignotas Arabicas Collectiones Melchitarum sive Orthodoxorum, item Collectiones ad usum vel Syrorum, vel Cophtarum aut Jacobitarum Patriarchatus Alexandrini, vel Ecclesiæ Nestorianæ, vel Abyssinorum & Æthiopum.

Ex Abbate Renaudotio præsertim, discrimen ponit inter Collectiones per loca communia, & Collectiones ordine temporum confectas; inter impressas, & manuscriptas; & ob oculos ponit novorum Collectorum Opera, scilicet Merlini, Crabbæ, Joverii, Surii, Editorum Venetorum, Romanorum, & Regiorum, Binii, Baluzii, Sirmondi, Labbæi, Cossartii, & Harduini, quorum omnium Collectiones singillatim ad trutinam revocat, ostenditque, quantum cuique tribuendum sit.

Nihil denique Auctor noster prætermisit eorum, quæ ad hanc Conciliorum scientiam aditum patefaciunt. Conciliorum Historias, Summas, Compendia, Collectiones Decretorum, Tabulas, Commentaria, Analyses, Notitias, Synopses Canonum, omnia quam accuratissime expendit, sequentibusque Collectoribus tutissimam viam commonstrat, qua textum vel versiones perficere possint. Sed cum Generalia præcipue Concilia detinent. Ut igitur constet de Actorum veritate, confugiendum esse ait ad MSS. ex quibus deducta sunt. Hinc MSS. ipsa enumerat a quolibet Collectorum in consilium adhibita, quoties de aliquo agitur Generali Concilio, deque Opusculis, quæ his MSS. continentur. Præsertim pluribus recenset magnum MSS. numerum, quæ Sirmondus immenso prope studio consuluit. Jam vero conquisita MSS. inter se conferenda sunt, ut cognoscas, an secum conveniant, & ex variis lectionibus, quæ optima videtur, delecta, facilius Ecclesiasticorum Monumentorum sensum assequaris. Hoc loco latus ipse tibi explicat in rem propositam exemplorum campus, in quo tua strenue sese exercere possit industria. Inter Opuscula, ex quibus isthæc Collectio constat, præter Concilia, Canones, & Constitutiones Apostolis tributas, præter Decretales Pontificum Romanorum Epistolas, Canones, vel Decreta, extant etiam peculiares Tractatus, & quorumdam Episcoporum Constitutiones. Quærit Auctor & examinat, utrum hæc monumenta in ea locum habere debeant. Antequam statuit, quænam harum Collectionum forma esse debeat, methodum expendit huc usque in his servatam, exponit, quid in Opusculorum ordine Conciliorum Collectores mutaverint, quid quisque præcedentibus novi addiderit, præsertim quod ad OEcumenica Concilia pertinet.

Sed tam grave immensumque Opus aggredienti quanta undique oboritur difficultatum & impedimentorum moles? Jam MSS. vel temporis diuturnitate consumpta, vel direpta incensaque a Barbaris, admodum rara. Conciliorum Acta vel non integra, vel eorum unum tantum habetur Exemplar. Eadem differunt etiam numero, paucissimaque sunt, quibus eadem monumenta contineantur. Exemplaria porro ipsa, vel latentia pervestigare, vel revocare extincta, vel depravata emendare, *herculeum jure facinus, ac regis quodam animo dignum* Erasmus censet. Quid Chronologia? Quid Geographia Episcopalis? Quot utraque tenebris, quot difficultatibus undique circumsepta & obducta? Accedat præterea oportet Græcæ Latinæque Linguæ perfecta cognitio, exquisitissimus rerum sensus, prudentissima judicandi ratio, accurata vocabulorum, consuetudinum, morum notitia tum percipiendæ multorum Populorum Historiæ; tum perlegenda SS. Patrum Scripta, in quibus multa aliquando Conciliorum sententiis consona deprehenduntur. Hæc aliaque his similia Auctor noster ob oculos ponit, eaque dum singillatim explicat, perficiendæ etiam Collectionis rationem explanat.

Adag. chil. Centuria 1.

Sed quorsum hæc omnia, nisi scias, qua ratione & via Conciliorum studium

dium pertractandum sit: Hoc vero est, quod præstat tertia hujus Operis Parte, in qua illud optimum censet, si Conciliorum Acta non interrupte legantur. Atque, ut viam facilius commonstret, generatim multa habet de nomine & variis Conciliorum generibus, multa de eorum celebratione, multa de modo, quo cogebantur, quo dabantur suffragia, quo confirmabantur. Docet præterea, antequam sententia in Conciliis feratur de Scriptis, quæ vel recipienda, vel rejicienda proponebantur, ea conferenda esse cum ante latis Generalium Conciliorum definitionibus. Tandem, ut nihil omittat, quod ad hanc Introductionem Criticam spectat, cum plura singillatim observaverit de nominibus, titulis, inscriptionibus, subscriptionibus Episcoporum, de ordine Canonum, sive Actorum, de eorumdem citandorum ratione, de iis, qui Ecclesiarum particularium Codicibus inserti sunt, tum concludit, Concilia ita esse legenda, ut temporum, locorum, personarum, caussarumque, ex quibus coacta sunt, ratio in primis habeatur. Qui in hoc studium incumbent, magnum etiam sibi præsidium parabunt ex Catalogo præcipuorum Auctorum, qui argumentum hoc pertractarunt; & ex animadversionibus in eos ab Auctore nostro factis deprehendent, quinam potissimum sequendi, quinam rejiciendi sint.

Hæc a nobis leviter breviterque commemorata satis, ut arbitramur, hujus Operis utilitatem ostendunt: quam penitius deprehendent, qui Opus ipsum, quod ex Gallica in linguam Latinam versum subjicimus, sedulo & attente percurrent.



TABULA

QUA CAPITA COMPREHENDUNTUR

Introductionis Criticæ in Concilia eorumque Collectiones.

Operis propositum & Utilitas.

PARS PRIMA.

De Utilitate Conciliorum eorumque Collectionibus.

PARS SECUNDA.

De Collectionibus Conciliorum.

PARS TERTIA.

De legendorum Conciliorum ratione.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed Approvazione del P. *F. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Tractatus de studio Conciliorum, eorumque Collectione: Auctore Francisco Salmonio &c. Editio prima Latina, cui nunc primum accessit Epitome vitæ Pontif. Roman. & series Cronologica per centurias disposita Conciliorum, &c. Manoscritto:* non v'esser cosa alcuna contro la Santa fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 15. Maggio 1764.

(Sebastian Giustinian Rif.


(Alvise Valaresso Rif.

(Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 205. al Num. 1191.

Davidde Marchesini Segr.

IN-



INTRODUCTIO CRITICA IN CONCILIA, EORUMQUE COLLECTIONES

In Tres Partes divisa.

PROŒMIUM.

DE OPERIS PROPOSITO ET UTILITATE.



QUAMQUAM ea ſemper omnibus ſententia ſtetit, in Conciliorum doctrinam ſummo ſtudio incumbendum iis eſſe, qui ſcire præcipua velint ad Religionis noſtræ Dogmata, & Mores, ac Diſciplinam ſpectantia, atque ipſum, ut ita dicam, Eccleſiæ ſpiritum intelligere; non optima tamen ſemper, ut erat optandum, ratio ac methodus in ſtudio tam neceſſario videtur eſſe inſtituta. Plerique ſcilicet ſatis ſibi eſſe rati locupletiſſimos fontes obiter tantum, & ubi præſens uſus poſcit, adire, ad Conciliorum monumenta tum ſolum confugere conſueverunt, ubi de veritate quapiam demonſtranda, & quapiam confutanda hæreſi ſatagunt, ſive ubi quod Eccleſiæ regimen, qui fidelium mores quoque ſæculo fuerint, inquirunt, ſive quamdam aliam expendunt hiſtoriam, cui lumen inde poſſit afferri. At qui integram Conciliorum doctrinam ordine ac methodo ſint meditati; Acta eorum omnia perpenderint, de archetypis exemplaribus, unde illa deſumpta ſunt, inquiſierint, varias MSS. Codicum lectiones inter ſe diligenter contulerint, quæque ex illis habenda ſint genuina, disjudicaverint, pauci admodum extiterunt.

Neque vero plures aut in Interpretationibus ad exemplarium, quibus illæ apponuntur, trutinam revocandis, aut in iis, quæ ad chronologiam, & Geographiam pertinent, præcipue vero Epiſcoporum, Epiſcopatuum, urbium, cæterorumque locorum nominibus, quorum in Conciliis mentio fit, illuſtrandis operam ſuam collocarunt. Saltem præcipuas, quæ ſæpe in illis occurrunt, difficultates ſuis explicare Commentariis perpauci Scriptores aggreſſi ſunt, aut ea publici juris facere neglexerunt; hac tota videlicet Collectoribus Conciliorum relicta ſparta, & in eorum fide & diligentia ſingulis acquieſcentibus.

Plurimæ ſane extant iſtiuſmodi Collectiones, ſed vitiis unaquæque laborat animadverſione dignis: tantum abeſt, ut ulla numeris omnibus abſoluta cenſeri queat. Opus eſt hoc adeo magnum atque arduum, & ad id perficiendum tot ac tanta collecta in unum deſiderantur, ut Collectoribus ipſis ſua vitia notari, minime grave futurum ſit. Viris itaque, qui in Conciliis colligendis inſudarunt, doctiſſimis quidem, nec ſua laude privandis nullam me fa-

cere injuriam puto, dum iis, quæ proposui, lumen aliquod afferre, & ulterius progrediendi viam commonstrare hac disquisitione suscipio.

Initio statim ostendam, quam scit utile ac necessarium & Fidei Deposito, & christianæ Ethicæ, & sacris ab Ecclesia receptis consuetudinibus sartis tectisque servandis Conciliorum studium: simulque ejus instituendi methodum exponam his variis finibus accommodatam. Deinde omnes Conciliorum Collectiones enumerabo, antiquos nempe Codices, quibus Græca, & quibus Latina Ecclesia utebatur, novas præterea Collectiones Conciliorum tam generalium, quam particularium unius sive Regni, sive Provinciæ: imo earumdem Collectionum compendia edita recensebo. Ad hæc varias a Collectoribus initas methodos proferam, & quibus in suis Excerptis locum dederint, quibus dare debuerint, ostendam, vitiaque detegam, quæ in ipsorum Opera irrepsere: quibus summatim explicatis innotescent notabiliora offendicula, quæ tanti Operis meliorem adhuc eventum impedivere, simulque constabit, qua via sit incedendum, ut vitia vitari, & ad eum perfectionis apicem, quem prorsus requirunt, Collectiones perduci possint. Denique patefaciam, tum quæ in eo, qui tanti ponderis compilationem aggreditur, doctrinarum præsidia, & dotes animi requirantur: tum qua methodo quis debeat iis, quæ jam extant, Collectionibus animum applicare, ut fructum inde quam potest maximum consequatur.

PRIMA PARS.

De Conciliorum utilitate, eorumque Collectionibus.

CAPUT PRIMUM.

Conciliorum Doctrina omnis ad præcipua Capita revocatur. Eorum generatim utilitas, & summa semper iisdem ab Ecclesia adhibita veneratio.



NEMINEM latet, inter multiplices vias, per quas ad cognoscendam Christi Domini nostri voluntatem divina Providentia veluti manu ducimur, præcipuas esse Sacras Litteras, Ecclesiæ Constitutiones, atque Decreta, Sententias Patrum, maxime quas ipsi scriptis suis consignarunt, & traditas consuetudines, quæ præsertim cœptæ ab Apostolis continua successione ad hos usque integræ pervenerunt. Hinc quo quis hisce religiosius insistit, & studet impensius, eo facilius promptiusque plenam assequetur cognitionem eorum, quibus Religionis totius summa continetur, & veluti cardo vertitur. Ea sunt Ecclesiæ Dogmata, & Mores, ac Disciplina, ad quæ tria capita revocantur omnia quæ nobis credenda agendaque proponuntur; quo videlicet triplici vinculo suos Ecclesia filiolos in unum cogit, eodemque hos in officio continet, & illorum coercet pertinaciam. Fidei Articulos, Religionisque substantiam Dogma continet: Disciplina ad Ecclesiæ regimen spectat: Ea vero, quæ nobis agenda sunt, vel omittenda, Moralis Doctrina præscribit. Quemadmodum vero post Divinorum Librorum Oracula nihil sive Generalibus, sive Particularibus Synodis habemus sanctius, quibus ipse Dei spiritus præsidet: ita nihil est, quod ad singula illa doctrinæ Ecclesiasticæ capita intelligenda segetem uberiorem contineat, quam Sanctorum istiusmodi Conciliorum editæ Collectiones. Quod ut clarius illustretur, placet idem ordine ac methodo fusius exponere. Profecto Fidei Doctrinam haurire, Regimen Ecclesiæ cognoscere, sanctissimasque Christianæ Ethicæ regulas addiscere aliunde melius, quam ex Ecclesiastica Traditione non possumus, hoc est, ex Libris præcipue SS. Patrum, qui sensuum Ecclesiæ semper fuere testes omni exceptione majores, sacrarumque traditionum, veluti commissi sibi depositi, custodes fidelissimi, sive variis locis, variisque temporibus dissiti unam eamdemque veritatem seorsim suis scriptis profiteantur, sive aliquid simul congregati unanimi consensione decernant.

Apposite ad rem nostram Charisius presbyter, Ecclesiæ Philadelphiæ OEconomus in libello, quem contra Nestorium in Ephesina Synodo recitavit, profitetur, *omnes, qui recte sapiunt, ita esse comparatos* (*sunt* verba ipsius) *ut honorem semper & quam decet observantiam spiritualibus maxime Patribus & Doctoribus deferre desiderent*. Et paulo post Nestorium increpat, eo quod ab hac Ecclesiæ lege desciverit, *& spreta*, ut ait, *Fidei expositione per Sanctos Patres Nicææ edita, alteri cuidam fidei aut perfidiæ potius expositioni subscribere jusserit*. Cyrillus quoque Alexandrinus in Apologetico Libro, quem pro Capitulis XII. adversus Orientis Episcopos eidem Synodo exhibuit, hæc habet: *Omnes, quibus integrum cor est, illorum* (de sanctis Patribus loquitur) *sententias sequi contendunt, quia & ipsi Apostolica & Evangelica traditione suam mentem cum implevissent, & ex sacris Scripturis sermonem fidei recte & citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria; sermonem vitæ continentes*.

Tom. III. Conc. Labbè col. 674.

Tom. III. Concil. col. 856.

Verum cum immensi laboris esse videatur, Patrum omnium scripta perlegere, & costantem Ecclesiæ singulis ætatibus doctrinam ac fidem in illis investigare: operæ pretium erit expeditiorem inire viam, qua facilius possimus ipsorum conspirantes sententias, ac proinde veram Ecclesiæ mentem in iis, quæ nobis credenda proponit, uno velut obtutu dignoscere. Confugiendum est itaque ad Concilia, quæ omnibus fere sæculis ad hæreses, ut oboriebantur, impugnandas, & dissipandas sunt congregata; & ex eorumdem decretis haurienda est vera doctrina, & orthodoxa fides, quam consequendæ salutis gratia debemus religiose sequi, & constantissime profiteri. In his *non ab uno Patre, non ab uno Episcopo*, utar Photii verbis in suo Nomoc. tit. 1. *sed a communi Episcoporum cætu Canones promulgantur*. Neque tantum a pluribus Patribus uno loco & tempore congregatis, sed ab omnibus, qui quocumque loco, quocumque tempore convenerunt in unum, eadem decreta firmantur. Idem Photius in Præfatione a magnis viris Basilio, & Gregorio hæc se mutuasse demonstrat.

Ut hic Synodorum ad religionis capita definienda eogendarum constans ac perpetuus Ecclesiæ mos ostendatur, non opus est quorumdam sublestæ fidei Scriptorum vestigiis insistere, qui nescio quæ Concilia comminiscuntur, quorum monumenta ulla, nisi in eorumdem scriptis non reperiantur. Scriptor Prædestinati nomine editus a P. Sirmondo utique multa nobis id genus exhibet: Auctor quoque Præfationis Conciliorum generalium Romæ impressorum sine dubitatione pronunciat, neque persequutionum temporibus Conciliorum defuisse frequentiam, & præter ea quorum ipsa temporis calamitate omnis est obliterata memoria, sublatumque vestigium, adhuc tamen supra tercenta numerari posse Concilia partim a Summis Pontificibus, partim ab aliis Episcopis celebrata Provinciis aliis, antequam libertate & pace donaretur Ecclesia. His tamen valere jussis, crediderim potius prioribus tribus Ecclesiæ sæculis minus frequentes, minusque celebres fuisse Synodos. Iis furentibus procellis ac tempestatibus nimis difficile erat Episcopos congregari, quibus libertatem omnem adimebant Imperatores, Sanctæ Religionis imaginem ipsam atque umbram acerrime persequentes. Præter quamquod Traditionis series suo proxima exordio, morum integritas, disciplinæ vigor, nascentis, eæque divinæ Religionis majestate roboratus Conciliorum præsidio non indigebat: suis ipsa viribus veritas se tutabatur, & erroris nubeculas, ut attollebantur, fulgoris sui copia facile dissipabat. Hinc penes cordatos Auctores nunquam invenies ad priores Hæreticos, nempe Simonis, Carpocratis, Basilidisque sectatores, Nicolaitas, Gnosticos, atque alios id furfuris nebulones damnandos coacta fuisse Concilia. Horum enim blasphemias fideles omnes aversabantur, neque eorum artibus capi, venenoque infici poterant, per indefessam Pastorum suorum prædicationem & Scripturarum oraculis & recenti traditione firmatam satis muniti & instructi. Illud igitur fiebat, ut hæresum vel auctores, vel sectatores, tanquam anathemata, & ab Ecclesia divulsa membra reputarentur, quin peculiari aliqua Synodo eos nominatim Ecclesia damnaret.

Quicquid tamen sit, valde insignis est Conciliorum prima Institutio, atque origo, utpote quæ Apostolos ipsos agnoscit Auctores. Orta inter nascentis Ecclesiæ christianos Antiochiæ degentes de legalibus cæremoniis disputatione, num oporteret quemque circumcidi, & servare legem Moysi; ad hanc dirimendam quæstionem Apostoli, & seniores Hierosolymis convenerunt: reque diligenter discussa, jugum hoc fidelibus imponendum minime esse concluserunt, sed tantummodo ut abstinerent ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione junctis suffragiis decreverunt. Hæc fuit prima Synodus, cæterarum omnium forma, & exemplar. Ex ea, quæ agebatur, quæstione partim Fidem, partim morum regulam respiciente, satis apparet, quibus de causis Concilia cogenda sint: Tum quoque consecrata est illa decernendi formula, qua Apostolicus cætus usus est, his concepta verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Auctoritas enim, qua pollet Ecclesia unum in locum congregata, & de Ecclesiasticis rebus unanimi consensione decernens nititur ipsa Redemptoris promissione Apostolis facta, quæ est apud Matthæum: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quocirca D. Gregorius *Lib. 1. epist. 20.* profitebatur; se quatuor primorum Conciliorum decreta, non secus ac quatuor Evangelia suscipere ac venerari. Non quod inter duos hosce Christianæ doctrinæ fontes nullum discrimen intersit; sed quod æque certa sint in Conciliis sancita dogmata, ac si sacris expresse consignata Litteris forent. Ea enim ipso Deo auctore, Sapientia ipsa præside, ipsa Veritate magistra sanciuntur; ab omni proinde erroris periculo remota sive Fidei Articulos interpretentur, sive vivendi leges & documenta præscribant. Hinc tot illustres de exortis erroribus victorias Ecclesia retulit; & quamvis aut multitudine Hæreticorum, aut Aulicorum, Magistratuumque injustitia, aut Idololatrarum Imperatorum furore obrui & labefactari debuisse videatur; semper tamen adversus tam feros hostes integris firma viribus stetit Ecclesia, & omni loco, omni ætate sibi semper similis stetit, solo, quo regitur, suffulta spiritu veritatis. Enimvero illud est admiratione dignissimum, in tam magno Conciliorum numero, quæ Ecclesia probat ac recipit, eandem ubique tradi doctrinam: in tam longa sæculorum serie, tot inter sæpius exorta dissidia, Episcopos, quamvis tot ac tam variis nationibus profectos, proinde studiis, moribus, atque institutis longe diversis imbutos, tamen singulos actos animatosque eodem spiritu, quem a Deo, & Apostolis, eorumque Successoribus acceperant, in eandem perpetuo coaluisse Fidei unitatem, summaque sententiarum concordia damnatis hæresibus nascentes quascumque turbas compescuisse, pacemque Ecclesiæ reddidisse. Ex adverso Schismatici, Hæreticique, ipsi inter se indigne pugnantes, & in plures sectas se divisere, & non solum novitate doctrinæ, sed etiam sententiarum dissidiis manifesta Schismatis, atque impietatis argumenta præbuerunt.

Jamvero qui sanctis Synodis interfuere, gravissimi Patres, non tantum integræ inviolatæque servandæ Fidei studuerunt, sed etiam in morum sanctitate instauranda, & in disciplina constituenda impensam operam collocarunt. Hanc enim modo confirmabant, ubi, quæ vigebat, ad rei christianæ incrementa conferre videbatur, modo malis usibus, si qui cœperant, emendatis, restituebant; modo, si quid adhuc ad ejus absolutionem requirebatur, addebant; modo etiam aut temporis, aut loci natura & necessitate cogente, mutationes quasdam prudenti consilio inducebant. Ejus generis sunt, quæ de ritibus tam in Christianorum conventibus, quam in Sacramentorum administratione servandis, de Ecclesiæ regimine, de Judiciorum Ecclesiasticorum forma, aliisque pluribus Disciplinæ capitibus sanctæ Synodi constituerunt. Ritus enim sacrorum, mores, & officia eorum, qui Deo & sacris addicti sunt, cæteræ politicæ Ecclesiæ partes, verbo quicquid ad Domus Dei ornatum atque decorem conducit, ad tertium illud spectat Religionis Caput, quod Disciplinam vocamus.

Quemadmodum vero Ecclesiæ doctrinam inficere ac depravare Hæretici conati sunt, Schismatici unitatem infringere, ordinemque subvertere: ita non defuere e credentium numero mali quidam, qui sanctissimæ Ethicæ legibus conculcatis, pravaque vivendi ratione inita, Religionis fulgorem perstringere, pulchritudinemque turpare visi sunt. Hinc mores a Synodis instaurati juxta sanctissimas Evangelii leges, præparataque arma ad vitia impugnanda, & retundenda Satanæ tela, extinguendasque flammas perpetuo valitura. Est in iis, unde possint ad virtutem ignavi ac desides excitari, animos ad grandia timidi sumere, superbi elatique spiritus comprimi, refrænari libido, contineri ambitio, coerceri intemperantia, affectuum ardor restingui, & arceri a vinea Domini, prorsusque tolli parvulæ illæ vulpes (sic enim in sacris Litteris nominantur) eam direptionibus demolientes; verbo Diaboli dominatus imminui atque deleri.

Hæc valida ad salutem subsidia, quæ sacri isti Conventus in variis Christiani orbis Provinciis, Imperiisque celebrati ministrant, ad suscipiendas Collectiones sapientium quorumdam virorum operam excitarunt. Opus enim istiusmodi reputarunt instar armamentarii, quo ad renascens hæreseos, velut horrendæ alterius hydræ caput prosternendum meliora arma ac tela conservantur: instar thesauri, in quo incomparabiles non humanæ sapientiæ, sed cælestis doctrinæ divitiæ conduntur: instar Jordanis fluminis, de quo limpidissimos illos lapides ad percutiendam incircumcisi Goliath frontem puer David elegit: instar Codicis universalis, ut D. Leo Magnus ait, qui sanctas omnes æternum duraturas leges in se complectitur: instar absolutissimæ Bibliothecæ, quæ quicquid ad Numinis cultum refertur, exhibet; pristinæ Ecclesiæ faciem ob oculos ponit, solvit nodos omnes: quæ Principis, & Populi, Regum, & subditorum officia varia commonstrat, illos imperandi rationem docens in Divinæ Legis observatione procuranda, & Religionis dignitate tutanda, hos parendi legem ac necessitatem: quæ jura Sponsi, qui Christus est, & Sponsæ, quæ est Ecclesia, immunitates explanat: constantique ætatum omnium pro-

proposito cultu & reverentia, qua Unctos Domini, Domus Dei Columnas, Ecclesiæ nempe Pastores, & illum præcipue, quem ejusdem visibile Caput in terris agnoscimus, optimus quisque suspexit, ostendit, ad constituendam Imperii felicitatem necessario cavendum esse Principibus, ne in detrimentum Ecclesiæ suis juribus abutantur.

Antequam Conciliorum Collectiones extarent, haud facile erat adspectu uno tam magna & gloriosa, & cum societatibus reliquis nullo modo communia Ecclesiæ Catholicæ decora intueri; sed earum ope notitiæ tam singulares invalescere augerique debuerunt, & observari oculis impleta omni ætate Redemptoris promissio, qui Apostolis, eorumque successoribus justam venerationem conciliaverit. *Qui vos audit, me audit*. Atque ille quidem, qui primus e Romanis Imperatoribus Christo nomen dedit, non sine admiratione conspicitur Principibus cæteris exemplo præire vel in eo, quod judicium Episcoporum convenientium in unum tanti fecerit, quanti ipsa divina oracula Scripturarum. Quid ni, cum divina ipsa sapientia suam veluti rem & causam videatur eorumdem arbitrio judicandam committere? Augusti hi Sanctorum Conventus semper in summis Ecclesiæ periculis optimum atque opportunissimum fuere remedium, uti Paulus III. testatus est, cum Synodum Tridentinam indiceret. Eos ultimam Ecclesiæ desperatæ necessitatem non inconcinne vocat historiæ Mediolanensis Scriptor Joseph Ripamontius, agens de Concilio Mediolanensi, quod Principes Regesque omni studio curaverant, ut Julii II. tempore cogeretur. Siquidem in iis profundissima quæque communibus calculis expenduntur, totusque christianus Orbis summa celebritate conveniens Christianam veritatem confirmat, unitatem roborat, nomen amplificat. Hæc Synodorum præstantia commoda testatur de Græcorum Conciliis agens Ecclesiæ latinæ pater, Tertullianus, qui in libro de Jejuniis hæc habet: *Aguntur per Græciam illa certis in locis Concilia, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur, & hoc quam dignum Fide auspicante congregari undique ad Christum. Vide quam bonum ac jucundum habitare fratres in unum*. Tanta porro his Conciliis habita est veneratio, ut ad insigniorum memoriam celebrandam dies festi in Ecclesia fuerint constituti. In Occidente quidem parum obtinuit hæc consuetudo: at penes Græcos, aliosque Populos Græci ritus sex priora generalia Concilia, mox & septimum, singula solemni quotannis die celebrata percipimus.

Lib. 7. Antiq. Ital. p. 674.

Hic vero constans & summus Conciliorum cultus eo, uti dixi, nititur fundamento, quod Divinam revelationem fidelibus patefaciunt, & universam repræsentant Ecclesiam, quæ Spiritus sancti lumine illustrata errare ac decipi nequit. Hinc illa in Conciliis OEcumenicis præmissa definitionibus verborum formula: *Sacrosancta OEcumenica Synodus ex Spiritu sancto legitime congregata definit &c.* Quartum quoque Constantinopolitanum Concilium præcedentium decreta recipit, quasi divina Dei eloquia. Concilium Senonense canone 1. Ecclesiam per Synodos repræsentatam testatur ab errore prorsus immunem, & iis, quæ sunt Fidei, & quæ morum. Ecce verba: Sancta & infallibilis Ecclesia, quæ nec a charitate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deviare, cujus auctoritatem qui in Fide & Moribus *non sequutus fuerit, quasi Deum negaverit, Infidele deterior habeatur*. D. Augustinus sequentem quasi necessariam regulam temeritati, errorique vitando sibi cæterisque præscribit: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario terminata sunt; id autem fiducia secura vocis asserere, quod in Gubernatione D. N. J. C. universa universalis Ecclesiæ consensione roboratum est*. Præterea S. Leo negat omnino inter Catholicos computandos esse, qui definitiones venerabilis Synodi Nicænæ, vel Sancti Chalcedonensis Concilii regulas non sequuntur: & paulo post pollicetur, se utique missurum esse doctos & graves viros, ad difficultates aliquas explicandas, minime vero ad confligendum cum hostibus Fidei, nec ad certandum contra ullos, ut ipse ait, & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum: tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Idemque Epist. 37. hos Canones a Spiritu sancto compositos asserere non dubitavit. Neque S. Athanasius in epistola ad Episcopos Africæ veritus est Decretum Nicænæ Synodi appellare Verbum Dei, quod manet in æternum: & in altera ad Epictetum, ubi Nicænam fidem variis per Hispaniam, & Galliam, Romæque habitis Conciliis comprobatam esse narraverat, admirans inquit, His tot tantisque gestis rebus, quid est, quod nonnulli disceptare, ac quæstiones movere ausi sunt?

De Baptismo l. 7. c. 53.

Epist. 132.

Concilia itaque Generalia ab erroris periculo immunia satis abunde demonstrat Ecclesiæ praxis ab ipsis Apostolis instituta, totque præterea post ejus institutionem firmata exemplis, ut Patres plerique ab eorumdem doctrina neque gladiorum, neque mortis minis discedendum esse professi sint. Enimvero ut aliqua propositio pro Fidei articulo a tot Episcopis ex omnibus terræ partibus congregatis recipitur: ad Traditionem pertinere omnino censenda est: a Traditione vero discedere, eique pugnantia sentire, hæreticum semper atque impium fuit. Neque si omnes totius Christiani Orbis Episcopi adesse nequeant, idcirco minus ratum certumque erit, quod definitur, modo id absentium sententia & accessione postmodum comprobetur. Ita Constantinopolitana sub Theodosio coacta Synodus, OEcumenica audiit, & fuit; decretis ejus statim toto Occidente receptis: licet ejus partis Episcopi, quia pacata erant omnia, nullisque tumultibus Fides concutiebatur, suis sedibus constitissent. Nam quamvis generalia Concilia legitime congregata decipi fallique non possunt: vim tamen suam omnem auctoritatemque, non secus ac judicia Ecclesiastica, ab Ecclesiarum acceptatione suscipiunt. Itaque Ephesinam 11. Synodum, cui Pontificis Legati, cæterique Patriarchæ interfuerant, reprobatam fuisse cognoscimus ex Ecclesiastica historia, eo quod omnia per vim & contra Canones acta essent, depulsus e sua sede Flavianus Fidei Orthodoxæ defensor, restitutus blasphemus Eutyches, & ne Sancti Leonis epistola recitaretur, Dioscorus vetuisset: quare magnus hic Pontifex jure queritur, latam in Flavianum sententiam ejusmodi esse, ut quæ uni sancto viro injuria & labes inferebatur, in totam Ecclesiam redundaret. Ariminense Concilium, licet ex totius Occidentis Patribus celebratum, nihilo plus habet auctoritatis: eademque ratione nec Quintum generale, nec septimum statim recepta in Galliis fuisse; e contrario vero Particularia multa ab Ecclesiæ consensu & acceptatione vim & robur habuisse compertum est. Nemini igitur dubium sit, Universalis Concilii definitionem ab Ecclesia receptam, firmissimam esse regulam Fidei, cui nullo pacto liceat reluctari.

S. Ambros. epist. 21.

Definitionem, inquam: neque enim ejusdem momenti sunt omnia, quæ in Conciliis pronunciata traduntur: neque singulis aut Propositionibus, aut argumentis, aut conclusionibus eadem observantia præstanda est. Egregie ad rem nostram animadvertit Auctor Operis de Perpetuitate Fidei, de Nicæno II. verbum faciens, nihil ejus Concilii auctoritati derogari, propterea quod ubi doctrinam de cultu Imaginum solidissimis rationibus confirmarunt, leviora etiam quædam, & minus exacta ad idem argumentum congerere non dubitarunt: horum enim infirmitate priorum vim minime infringi, quæ Traditionem, quam suis Canonibus confirmarunt, locupletissime clarissimeque demonstrant.

Lib. 7.

Neque vero quæ in Particularibus Synodis condita sunt decreta Fidei, mediocrem cultum merentur. Quot hæreses solis damnatas Particularibus Synodis universa damnat Ecclesia? Beguardos ante Concilium generale Viennense in Galliis, Viennensis in Austria Synodus aliæque damnarant. Petri Uxamensis peccatorum confessionem Sacerdoti factam aut necessariam, aut de jure Divino esse negantis errorem ante Lateranensem & Tridentinam Synodus Complutensis anno 1479. coacta proscripsit. Sane Particularium Synodorum auctoritatem in prima generali Romana anno 1074. ita confirmat Gregorius Pontifex hujus nominis septimus,

Mul-

Multa sunt, quæ neque Generalibus Conciliis, neque Pontificum decretis constituta reperiuntur. Eandem agnovere Generalia Concilia, fidelibusque localium Synodorum observantiam apprime commendarunt. Orientales in epistola, quam Theodorus eorum nomine scripsit, & tertia Concilii septimi actione exhibuit, Patrum laudibus comprobatam, se *Locales Synodos amare, amplecti, recipere, earumque canonicas constitutiones, & legislationes, quas utiles, & divinitus inspiratas agnoscunt, summa observantia se colere* profitentur. Idem solemnius Canone I. Synodus Octava decernit. *Enimvero*, utar argumentis & verbis Romanæ Synodi anno 1074. *hujusmodi Conciliis plures Catholici & eximii Doctores interfuisse leguntur, ut in Africanis Conciliis . . . S. Augustinus . . . . sic etiam Sanctus Marianus Arelatensi Concilio per Sanctum Silvestrum Papam approbato. Sic Sanctus Cæsarius Agathensi, sic S. Hilarius Arausicensi . . . Ergo multorum Sapientium judicio non acquiescere multo magis est intolerabile . . . . Propterea Sancta & veneranda Synodus Calcedonensis etiam Provincialia Concilia ante ipsam transacta, canonizasse non dubitatur*. Hac usque laudata Romana Synodus sub Gregorio VII.

Tom. 3. Conc. Binii.

Tom. 10. Conc. Labbè col. 318. 319.

Aliquando summi ipsi Pontifices ex Provincialium Synodorum auctoritate decreta sua constituerunt. Hæc habentur cap. 12. de foro competente. *Cum igitur hoc jus in Milevitano & Carthaginensi Conciliis sit specialiter promulgatum, ne Clerici clericos relicto suo Pontifice ad judicia publica pertrahant*. Hoc igitur ex illorum Conciliorum sententia Innocentius III. sancivit lib. 2. Decretalium tit. 2. Aliud quoque ejusdem Decretum legitur lib. 3. Decretalium tit. 43. cap. 3. ex iis, quæ apud compendium constituta fuerant, nominatim desumptum & roboratum. Quod si hæc Innocentii Decreta Particularium Conciliorum auctoritatem tantummodo in iis, quæ ad Disciplinam pertinent, confirmare videntur, quæ tamen in Romana Synodo Gregorius VII. argumenta protulit, universa amplectuntur: præterea Epaonense Concilium anno 517. cap. 40. hujusmodi Constitutiones *superna inspiratione* editas, earumque violatores *reos Divinitatis* appellat. Ejusdem divinæ inspirationis vi ad eas sancte servandas se obstringi Quintum Aurelianense anno 549. declaravit. Toletanæ Synodi Patres anno 589. se Spiritu sancto plenos decreta sanxisse profitentur, quibus iccirco religiose inhærendum est, quia ex Spiritu sancto profecta sunt. Octavæ Synodi Toletanæ Patres anno 659. *plena unanimitate decernunt, ut quæcumque pro Ecclesiasticis negotiis fuerint definitiones conscripta auctoritate universali, nullus contradicere audeat*, eo quod id fecerunt *ab hoc Spiritu sancto succensi*. Concilium secundum Nicænum anno 787. habitum, dum Canones a Conciliis Particularibus editos jubet observandos, addit, eos esse exaratos, eodem dictante Spiritu sancto, qui Conciliorum Generalium Canones dictavit; quod intelligendum est de iis omnibus, quæ ab universa Ecclesia sunt approbata.

Porro Canones Conciliorum eadem sunt in veneratione & apud Orientalis Ecclesiæ christianos; idque, vel ipsis tacentibus, inde abunde colligitur, quod summo studio & diligentia conquisitos collectosque custodierunt. Tantam hanc erga Sacra hæc monumenta venerationem & auctoritatem præstantissimi quique eorum Auctores confirmant, ita ratiocinantes: Jesus Christus, inquiunt, dixit Apostolis suis: *Qui vos audit, me audit, & qui me audit, audit illum, qui misit me*. Jam vero tunc nos audimus Apostolos, & Jesum Christum, cum observanda nobismet ipsi proponimus, quæcumque tum ad vitam christianorum recte instituendam, tum ad Sacramenta rite administranda sacrorum Canonum auctoritate præscripta sunt; nam qui non obtemperat Sanctis Patribus divino numine afflatis, unde Ecclesia Canones tenet, is neque obtemperat Apostolis, quorum illi sunt successores, ac discipuli, atque adeo neque ipsi Jesu Christo obtemperat. Hæc sunt verba Echmimii in Præfatione ad Collectionem suam, quæ refert Abbas Renaudotius Tom. 5. de Perpetuitate Fidei.

CAPUT II.

Conciliorum utilitas aliis item rationibus comprobatur.

NEmini dubium esse potest, quin ad cognoscenda Ecclesiæ Dogmata, Mores, & Disciplinam, Conciliorum studium in primis necessarium sit. Quod si hæc utilitas percipitur ex studio Patrum, quorum unanimis consensus veluti quoddam exhibet Generale Concilium, perpetuo vigens; quanto magis eadem percipietur ex ipsis Sanctis Patribus eodem tempore ad hunc finem in unum collectis, ut, quicquid in iis controversiæ esse potest, penitus dirimant atque removeant? Nimis fortasse longum ac prope infinitum esset, singillatim recensere numerando universa commoda & bona, quæ ex Conciliis ad omnia argumentorum genera comparari possunt. Satis mihi fuerit, ea leviter percurrendo attingere, simulque demonstrare, quinam sit usus earum cognitionum, quas Concilia legenti impertiuntur. Triplici igitur via ac ratione ad hoc studium accedere quisque potest, prima est, qua legenda sibi sumit Concilia omnia ordine temporum habita, tum Apostolorum Constitutiones, tum Decreta Pontificum, quæ partem hujusce facultatis constituunt; altera, qua Collectiones tantum pertractat, aut antiquas, ut quam edidit Justellus, aut recentiores, ut quam protulit Gratianus; tertia demum est, quam alicui solummodo Compendio insistendum putat, cujusmodi est illud Cabassutii, editione secunda in folio.

Qui primam insistit viam, is sane facilius & apertius admirabitur nobilem illam simplicitatem, quæ apud antiquos Christianos vigebat, animadvertet ritus & cæremonias, quæ temporum successione apud varias Ecclesias obtinuerunt, tum ad Episcopos, Presbyteros, aliosque Ecclesiasticos homines, tum ad universum Fidelium cœtum spectantes; deprehendet demum pessimas illas consuetudines, quas aut factorum incuria, aut Barbarorum cum Christianis commixtio, aut depravatus quorumdam sæculorum sensus invexit.

Perlegenda sunt igitur Concilia omnia, tum quæ primis, tum quæ postremis Ecclesiæ sæculis sunt celebrata, tam Generalia, quam Particularia. Nam ex Conciliis, quæ a principio secundi sæculi usque ad octavum sunt habita, emicat & elucet is morum candor, ea Moralis disciplinæ sanctitas, quæ solum erat illorum temporum propria; ex sequentibus usque ad Tridentinum licet colligere, quo modo Fideles sensim ab illa prima vivendi ratione descivérunt; ab iis demum, quæ Tridentinum exceperunt, & ingentes conatus suscepti sunt ad pristinam illam puritatem revocandam, & proposita præsidia & adjumenta, quibus ad eandem quanto propius per hæc tempora fieri potest, accedamus. Quæ omnia abunde habentur in Historia Ecclesiastica Fleury, præsertim si sæculorum successione legatur.

Præstantissimus idem Auctor in quadam dissertatione sua ad Ecclesiasticam Historiam, postquam horum studiorum usum finemque indicavit, tum eodem tempore causam & rationem adducit, cur hujusce ætatis homines neque imitentur, neque fortasse etiam addiscant splendidissima illa virtutum omnium exempla, quæ passim antiquitas exhibet. Enimvero, inquit ille, si cordis nostri latebras perscrutari velimus, facile erit deprehendere, timeri a nobis antiquitatem, quæ eam nobis vitæ perfectionem sequendam proponit, quam imitari nos piget. At eam ne imitari quidem possumus; Ita sane dicendum est: nam, si possimus, perperam facimus, qui ab illa tam longe distamus. Libenter quidem nos aversamur documenta & exempla Sanctorum, quorum vita nostræ perversitatis exprobratio est: eadem tamen fixa semper & immota manebunt ingratiis nostris; neque ullam poterimus ignorantiæ excusationem prætendere earum rerum, quæ conspicuæ sunt, & in oculos ipsæ per se vel cæcutientis incurrunt. Quod si sanctissimam hanc antiquitatem & ipsi nos penitus introspicere & in omnem partem versare, & aliis pariter inspiciendam dare non dubitamus, sperandum est, fore, ut & doleamus nos tam longe ab illa recessisse, & ad illam, divina ope

ope freti, totis viribus in posterum contendamus. Ipsa experientia animos contendentibus addit. Quid? Nonne Disciplina Ecclesiastica, quæ pæne intermortua jacebat, mox tamen Tridentinorum Patrum providentia & consilio, D. Caroli impigro studio & labore, institutione Seminariorum, Religiosorum Ordinum reformatione, unius sæculi spatio revixit, suamque ferme integram dignitatem recuperavit? Scilicet bonorum horum tantorum causa & origo unice antiquitatis studium fuit; a quo quid nobis non sperandum est, ubi tam grandia exempla sequamur?

Verum, ne studium hoc sit pæne infinitum, & nulla utilitate, delectu & ordine opus est. In primis enim consulendi sunt ii, qui omnium optime callent Ecclesiasticam Antiquitatem: ab iisque desumenda, quæ officiis ingeniisque nostris conveniunt, & relinquenda aliena. Curandum præterea, ut ad hoc studium accedamus ea, quæ decet Christianum hominem, gravitate & religione. Remoti igitur a nimia inquirendi pertinacia libidine & vanitate ne consectemur in Patrum scriptis aut dicta splendida, aut verba grandia, aut reliquos dicendi flosculos, quibus olim Declamationes in foro, aut in scholis distinguebantur. Enitamur potius, ut veram S. Scripturæ sententiam, ut solidas Dogmatis probationes, ut certas Disciplinæ Morumque regulas assequamur. Illud tandem in studiis nostris semper nobis propositum sit, ut Ethnici ad veram fidem adducantur, profligentur Hæretici, Fidelibus omnibus legitima virtutis via commonstretur. Atque hæc omnia accurate addiscenda sunt non quidem disputandi gratia, sed agendi.

Præcipue vero Antiquorum prudentia nobis cordi esse debet, qua nosmetipsos ad id, quod adest, quodque præsens exigit rerum status, accommodemus. Imprudenter enim, & plerumque frustra agunt, qui, nulla temporis, nulla morum præsentium ratione habita, veterem omnem Ecclesiæ Disciplinam ad nos student indiscriminatim transferre. Sed, quod caput est, illud imprimis summopere curare debemus, ut primum ipsi nos, moresque nostros sedulo & attente corrigamus: deinde ut quæ peramanter nobis Deus dedit cognoscenda, ea nos itidem alios doceamus sine contentione, sine severitate, sine exprobratione; postremo ut prius ipsi nos exequamur, quod & optimum videtur, & in nostra situm est potestate. Oratione autem, & patientia consequemur, ut his omnibus Deus incrementum det; & ut Conciliorum Doctrina toti Ecclesiæ maxime utilis sit.

ARTICULUS PRIMUS.

Conciliorum utilitas, quoad Dogma.

Magna semper in Conciliis differentia fuit in Fidem, & Mores, inter Doctrinam, & Leges Morales: quæ quidem distinctio facile innotescit ex ipso decisionum enunciandarum modo, & ex earumdem acceptatione & usu. Concilii Nicæni Symbolum continet Fidei definitionem: Canones autem Mores & Disciplinam comprehendunt. Hinc in Epistola Synodica ad Ægypti Ecclesias conscripta, & a Socrate & Theodoreto relata, quidquid actum est in eo Concilio, Patres complectuntur duobus his verbis *δογματίζειν*, & *κανονίζειν*.

Eandem Symboli & Canonum distinctionem invenies in Concilio primo Constantinopolitano, quod est secundum OEcumenicum.

Tertium OEcumenicum habitum Ephesi nihil aliud continet ad universam Ecclesiam pertinens, præterquam id, quod ad Fidem spectat, seu quod statutum est contra Nestorium, & Cælestium hæreticos.

Quartum OEcumenicum Chalcedonense aperte distinguit inter se definitionem Fidei, & Canones Disciplinæ.

Neque vero solum in quatuor primis OEcumenicis, sed etiam in Concilio Tridentino definitiones Fidei a Disciplinæ & Morum legibus secernuntur. Nam, quod Mores respicit, dicitur *Decretum de Reformatione*. Quod respicit Fidem, iterum in duas classes dividitur. Prima continet Decretum Fidei, hoc est, id quod credere oportet: altera complectitur Canones continentes ea, quæ non credenda, atque adeo rejicienda sunt sub anathematis pœna: quod in antiquis Conciliis dicebantur *Anathematismi*.

Imperator Justinianus Novella 131. qua suam auctoritatem Canonibus quatuor primorum Conciliorum impertit, eandem distinctionem notat inter *Dogmata*, & *Canones*. Vult enim *dogmata accipi sicut divinas Scripturas*, ideoque esse immutabilia; *Canones* autem *sicut leges observari*, ideoque mutationi obnoxios.

Sed antequam dicimus de decisionibus ad Mores & Disciplinam pertinentibus, placet hoc loco distinguere plura quæstionum genera, quæ in Conciliis ratione Dogmatis agitari possunt. Agitur enim aliquando de probandis confirmandisque præcipuis Articulis Fidei, ut de Divinitate Filii Dei, quæ confirmata fuit in Concilio Nicæno: agitur aliquando de eo doctrinæ capite, quod respicit quidem Fidem, sed quod tamen ex primis Fidei principiis consequenter dimanat, ex. gr. articulus duarum voluntatum in Jesu Christo necessario consequitur ex eo principio, quod Jesus Christus Deus est, & Homo; atque hoc decisum fuit in sexto Concilio habito adversus Monothelitas. Agitur aliquando de quæstionibus minoris momenti, nec ad Fidem pertinentibus: siquidem eæ neque aperte continentur in Scriptura Sacra, aut Traditione, neque inde erui necessaria consequutione possunt. Cujusmodi sunt plures Theologicæ quæstiones non dissimiles his: *Utrum Angeli sint spirituales*: &, *utrum creati fuerint eodem tempore, quo Mundus*, circa quas Sententiam suam explicuit Concilium Lateranense quartum, *Cap. firmiter*. In Conciliis tandem damnantur Personæ, & Libri, quod prava Dogmata, vel doceant, vel contineant. Atque isthæc sunt varia illa genera controversiarum, quæ ratione doctrinæ tractantur in Conciliis.

Quicumque Articulos Fidei jam in Conciliis definitos cum Symboli Articulis comparabit, is, maximam inter utrosque concordiam deprehendens, mirabitur jure ac merito, eorum decisiones eodem fere ordine emanasse, quo eas legimus in nostra Fidei Professione. Omnem Fidei Professionem sunt qui dividant in duas Partes; quarum prior credendum proponit Deum unum in tribus Personis, & Jesum Christum, verum Deum, & Hominem verum; altera vero Hierarchiam Ecclesiasticam, Jesu Christi Gratiam, Sacramenta, & Vitam æternam. Quæ prima pars continet circa Trinitatem & Incarnationem, ea definita sunt in septem primis Conciliis Generalibus: reliqua in Concilio Constantinopolitano quarto, & aliis usque ad Tridentinum inclusive. Symbolum porro in Doctrina Fidei eum locum occupat, quem principia in scientiis naturalibus; & quemadmodum conclusiones sunt rerum antecedentium explicationes; ita Conciliorum Canones circa Fidem sunt copiosiores Symboli expositiones. Hinc Ephesini Patres in relatione de depositione Nestorii ad Theodosium inquiunt, *Fidem initio quidem a Sanctis Apostolis traditam, postea vero a trecentis & octo Patribus in Metropoli Nicæna expositam fuisse*. Et sane prima omnium apparet ea decisio, quæ cæterarum veluti caput est, scilicet Ecclesiæ infallibilitas, cujus nisi adsit auctoritas in Concilio Jerosolymitano declarata solemni hac formula; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, D. Augustinus se ne Evangelio quidem crediturum profitetur. *Tom. 3. Conc. Labbe col. 766.* *Act. 15.*

Qui reliqua Concilia omnia vel leviter legendo percurret, is profecto animadvertet, Fidei nostræ objecta eo ordine fuisse decisa, quem eorum major vel minor necessitas postulare visa est. Quid est enim, quod primi Symboli Apostolorum Articuli nobis ad credendum proponunt? Scilicet Deum unum, & trinum, Jesum Christum verum Deum; idque definitum fuit verbis hisce Symboli Nicæni: Credo in unum Deum .... & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, unigenitum natum ex Patre, Deum de Deo, lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri.

Divinitas pariter Spiritus Sancti, unde Ecclesia a Christo Domino fundata regitur, definita est in Sym-

Symbolo Constantinopolitano his verbis: *Credo in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur.*

Concilium Ephesinum, quod est tertium Generale, adversus Nestorium præfinivit, quid intelligendum sit, cum dicitur Jesus Christus subsistere divino supposito, in duodecim S. Cyrilli anathematismis, qui sunt 1. Deum Emmanuel esse verum Deum, & Sanctam Virginem esse Matrem Dei. 2. Verbum Dei esse unitum carni secundum hypostasim. 3. Unionem Divinitatis in Christo Jesu esse unionem naturalem, non secundum dignitatem aut auctoritatem solum. 4. Quod in Scriptura dicitur de Jesu Christo, non posse tribui duabus aliis Personis. 5. Jesum Christum esse verum Deum. 6. Verbum esse unum eundemque Deum & Hominem. 7. Jesum Christum non esse alium a Verbo. 8. adorandum esse Verbum factum hominem sola & unica adoratione, non autem adorandum Verbum & Humanitatem duabus distinctis separatisque adorationibus. 9. Christum non esse glorificatum per Spiritum Sanctum, tanquam per virtutem ab ipso alienam. 10. Jesum Christum non obtulisse sacrificium pro se, cum peccatum non commiserit, sed pro nobis solis. 11. Carnem Jesu Christi esse vivificantem, & propriam Verbo. 12. Verbum passum fuisse secundum carnem, vitamque sibi dedisse, ut Deum.

Jam illud erat examinandum, qua ratione duæ hæ Naturæ divina & humana fuerint in Jesu Christo; utrum distinctæ, an confusæ; utrum ex duabus fieret una tantum, non secus ac ex duorum liquorum commixtione fit unus, aut utrum ambæ distinctæ fuerint in una Verbi Persona; atque hinc est, quod Concilium Chalcedonense anathemate percutit eos, *qui, profitentur duas Naturas ante unionem, unam vero solummodo post unionem. Nos quidem fatemur, Jesum Christum verum Deum & verum Hominem, & anima rationali, & corpore compositum, consubstantialem Patri secundum Divinitatem, & consubstantialem hominibus secundum humanitatem, & per omnia hominibus æqualem sine peccato.*

Ex hac decisione orta est quæstio facti, circa Scripta Ibas, Theodoreti, & Theodori, qui Nestorio, & Eutycheti favere videbantur. Sed hanc ipsam definivit Concilium Constantinopolitanum secundum, quintum OEcumenicum.

Illud supererat sciendum, utrum in Christo Jesu una esset operatio, quemadmodum unum suppositum est, an vero duæ operationes, duo intellectus, duæ voluntates, quemadmodum sunt duæ Naturæ. Tertium Concilium Constantinopolitanum stetit pro duabus operationibus.

Tandem septima Synodus Generalis, quæ est secunda Nicæna, sustulit quæstionem de cultu, qui Jesu Christi imaginibus debetur, statuitque, juxta Catholicæ Ecclesiæ Traditionem, figuram Crucis, Jesu Christi, B. Virginis, Sanctorumque Angelorum sanctas imagines dignas esse, quæ a nobis colantur & honorentur, non tamen latriæ cultu, sed relativo, multaque esse in veneratione habendas Ecclesiæ Traditiones. *Tom. VII. Conc. Labbi col. 555.*

Jesus Christus venit in hunc Mundum, ut Rex, ut Redemptor, & ut Judex. Ut Rex, constituit Ecclesiam suam, tanquam Rempublicam, cujus spiritualis administratio a sæculari potestate nullo modo dependet. Ut Redemptor, suis & meritis, & Sacramentis miserias illas & ærumnas a nobis depellit, in quas Adæ peccatum universum hominum genus conjecerat. Ut Judex demum, æterna proponit & præmia bonis, & malis supplicia. Hæc in Conciliis statuta sunt, prout contrariæ his sententiæ circumferebantur; eodem prorsus modo, quo majoris momenti dogmata in primis Synodis eo quæque tempore definita sunt, quo ab Hæreticis impetebantur. Concilium quartum Constantinopolitanum declarat, Photium in Ecclesiam irrepsisse contra leges & jura, eo quod Patriarchalem Sedem acceperit ab Imperatore sæculari; contra vero Ignatium fuisse legitime electum, ideoque injuste expulsum tanquam verum Patriarcham. Ex quo liquido apparet, Ecclesiasticam Hierarchiam esse juris spiritualis, non sæcularis, ejusque regimen cujus Auctor & Institutor est Christus Dominus, a regia potestate minime proficisci. *Anathemate percellimus Photium*, inquit Synodus, *eo quod Ecclesiam Constantinopolitanam injuste usurpaverit suis malis artibus*. Sed homo malus & perditus, cum Ecclesiæ decisionem sequi recusaret, mortuo Ignatio, iterum eo se proripuit, unde dejectus est, illudque protulit Schisma, quod cum Græci amplecterentur, eosdem a Latinis perpetuo sejunxit.

Quod si Principes nullam habent spiritualem auctoritatem in eligendis, promovendis, Ordinandisque Prælatis Ecclesiasticis, sed solummodo curare debent, ut juxta Sacrorum Canonum præscriptiones hæc omnia fiant, multo minus jus habent instituendi ad beneficia Ecclesiastica, ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Canonicatus &c. Nihilo tamen minus Henricus V. Imperator, aliique Principes sæculares sibi vindicabant conferendorum beneficiorum facultatem, eorumque, uti vocant, investituram. Hac de causa habitum est Concilium Lateranense; neque ante pax subsequuta est, quam Imperator, hæc Jura a se abdicata Ecclesiæ concesserit.

Postquam ab Ecclesia definitum est, sibi soli convenire jus eligendi, consecrandique Episcopos, tum ordinandi, & conferendi beneficia, rursus ab eadem quæsitum est, quænam electio legitima sit, nec ne. Mortuo Honorio II. Cardinales in diversa abierunt. Major numerus, ac sanior pars stetit pro Gregorio Cardinali Diacono titulo S. Angeli, qui Innocentii II. nomen assumpsit; reliqui elegerunt Petrum, Leonis filium, Civem Romanum opulentissimum, qui postea vocari cœpit Anacletus II. Exquisitum est in hanc rem D. Bernardi consilium, qui epist. 125. respondit, *merito illum recipi ab Ecclesia, cujus opinio clarior, & electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens & merito.*

Hinc etsi Anacletus II. D. Petri Cathedram occupaverit, suffecto etiam post mortem in ejus locum Victore, idem tamen Victor coactus fuit approbare Electionem Innocentii, qui se in Galliam receperat, seque tutelæ ac patrocinio Ludovici VI. & Lotharii Imperatoris commiserat, mox verus Pontifex declaratus in Concilio Lateranensi secundo, in quo & illud statutum est, ut ea habeatur & sit legitima electio, quæ suffragiorum numero, & merito cæteris electionibus præstet.

Sed quoniam contingere aliquando potest, ut Imperatores sæcularium Principum potentissimi cum Ecclesiæ proponant tanquam legitimum Pastorem, quem minor numerus elegerit, quemadmodum reapse contigit post mortem Hadriani IV. hinc factum est, ut Ecclesia sententiam suam clarius explicandam putaverit. Ex Cardinalibus duo, vel tres & viginti elegerunt Rolandum, qui postea dictus fuit Alexander III. ab his dissensere tres; scilicet Octavianus, Joannes Morsonus, & Gui Cremensis: quorum duo postremi elegerunt Octavianum, postea appellatum Victorem IV. quem Federicus Imperator potentia sua sustinebat, Galli, Hispani, atque Angli Alexandro III. aperte favebant. Coactum est jussu Imperatoris Conciliabulum Papiæ, in quo verus Papa declaratur Victor, damnatur Rolandus. Anglia contra, opera præsertim Arnoldi Episcopi Lexoviensis, Palestina, & Gallia in Concilio Tolosano constanter Alexandro adhæserunt, qui etiam apud Gallos se receperat, Turonisque Concilio habito Victorem excommunicaverat. Mortuo Victore, suffectus est in ejus locum Callixtus III. qui manus tandem dedit, & una cum Federico Alexandri III. electionem probavit. Hic vero Pontifex coegit tertium Lateranense Concilium, in quo statuit, tollendorum ejusmodi dissidiorum causa, eam demum ad Pontificatum futuram legitimam electionem, in quam Cardinales dimidio plures consenserint.

Nihil hoc loco dicam de Conciliis Lateranensi 4. Lugdunensibus primo, & secundo, & Viennensi, quæ licet de rebus minus gravibus habita fuerint, ejusmodi tamen fuere, ut Ecclesiæ statum non mediocriter in posterum confirmaverint. Sed si ex duabus Personis eodem tempore electis parem unaquæque suffragiorum meritorum rationumque numerum habeat, quid tunc Ecclesiæ faciendum, erit? Magnis dissidiis de Pontificatu certatum est inter Gregorium XII. & Benedictum XIII. Utrisque sua jura tuentibus, coactum est Pisæ Concilium, in quo utrique sunt excommunicati: eorumque loco electus

Ale-

Alexander V. tum, eo mortuo, Joannes XXIII. tres eodem tempore ad supremam Cathedram contendentes dabant. Coacto Constantiensi Concilio, Joannes XXIII. pollicetur se ultro de suo jure cessurum, ubi id Ecclesiæ Pax postulare videatur; interim noctu fuga sibi consuluit. Citatis omnibus, cum parere recusarent, condemnati sunt. Tum electus fuit Martinus V. & ut Schismati remedium aliquod afferretur, declaratum fuit, ut Concilium in nomine Spiritus Sancti coactum, a quo universa Ecclesia repræsentatur, & Concilium Generale constituitur, immediate potestatem habere a Christo Domino; cum quemlibet, cujuscumque demum generis sit, aut dignitatis etiam Papalis, ad hoc teneri, ut eidem obediat in iis, quæ ad Fidem, ad Schismatis extirpationem, ad generalem Ecclesiæ tam in Capite, quam in Membris Reformationem pertinent. Idem rursus definitum fuit in Concilio Basileensi, unde etiam colligitur, quanam a Fidelibus Concilio generali obedientia præstanda sit.

Tom. 6. Conc. Multa præterea a Synodo Tridentina definita sunt, quæ præcedentes Synodi nonnisi leviter attigerunt: Decreta circa Gratiam omnia desumpta sunt a tribus Conciliis Carthaginensibus, duobus Africanis, item Gallicano, & Milevitano. Definitiones tandem circa Justificationem, & Sacramenta ab eodem Concilio Tridentino editæ nihil amplius relinquunt, quod magnopere desiderandum sit.

In prima Actione Concilii Romani, quod Zacharia Ecclesiam regente habitum est anno 745. fit mentio cujusdam Hæretici, cognomento Aldeberti, qui peccata sua confitentibus audacter persuadebat, non esse necessarium, ut sibi patefacerent, & accusarent ea delicta, quæ ipse optime sciebat; proindeque jubebat eos discedere, tanquam Absolutionem jam consequutos. Damnatus homo hæreticus comprobavit 1. necessarium esse usum Sacramentalis Confessionis, quæ Sacerdotibus facienda erat, nam qui ad Sacerdotis pedes se abjiciebant, eidem auricularem Confessionem faciebant. 2. Aldebertum fuisse Presbyterum, eumque ab hujusce Concilii Patribus non alia de causa damnatum, tanquam hæreticum, quam quod negaret ad obtinendam Absolutionem peccatorum Confessionem necessario requiri. Perperam igitur affirmat Daillæus, ante quinque hæc posteriora sæcula nullam extitisse inter Catholicos de Confessione Sacramentali disputationem. Lib. 4. c. 11. de Confess.

Tom. 8. Conc. Confessionem porro necessariam esse sub finem vitæ, aperte asserunt Concilii Calchut. Patres an. 787. c. 20. qui insuper addunt, *minime orandum esse pro eo, qui sine pœnitentia aut Confessione de hac vita discesserit*. Patres item Synodi sextæ Parisiensis lib. 1. Can. 16. affirmant, juxta Ecclesiæ consuetudinem, graviora peccata Sacerdotibus esse aperienda ab eo, qui in Dei gratiam redire cupit; omnibusque Pastoribus a parœciis absentiam inhibent, ne forte aliquando contingat, ut illorum oves, ipsis absentibus, e vita sine Sacramentis decedant.

De Confessionis integritate multa habentur argumenta in Concilio II. Cabillonensi can. 32. in Papiensi c. 6. & in Theodulpho Episcopo Aurelianensi 31. Sui Capitularii articulo. *Nonnulli*, inquit, Concil. Cabill. II. can. 32. *non confitentur integre peccata sua; hinc eos admonere oportet, ut non solum externa peccata, sed ipsas etiam pravas animi cogitationes in Confessione patefaciant*.

Oportet confiteri peccata non solum Deo, sed & Sacerdotibus. Ideoque Canone 6. Papiensis Concilii præscribitur, ut is deligatur Confessionis Minister, qui optime & Judicis, & Medici simul personam gerat. Nam, ut judex, debet peccata investigare, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ lævia sint, pro cujusque hominis ordine, & genere judicare. Ut autem medicus est, ea ægroto remedia adhibeat, quæ ad illius animam sanandam, & in posterum contra morbi vim muniendam aptiora esse videantur.

Tertius Conciliorum Gallicanorum tomus epistolam exhibet, a Roberto Cænomani Episcopo missam ad Episcopos, qui erant Andegavi cum Carolo Calvo: hac ille ab iis Absolutionem petit, eaque ab iisdem conceditur per aliam epistolam; ita ferente illorum temporum consuetudine, ut homines peccata sua saltem generatim per litteras confiterentur. Jam vero credibile admodum est, generali peccatorum suorum confessione non expeti, nisi remissionem pœnæ, quæ ipsis debebatur; ut facile est colligere ex epistola Joannis XIX. ad Hugonem Antissiodori Episcopum.

Quidam Hæretici sæculo decimo contendebant, non esse ab Ecclesia colendos & honorandos, nisi Apostolos, & Martyres. Concilium vero Atrebatense contendit, etiam Confessoribus eum esse tribuendum honorem, qui ipsis debetur. Tom. 13. Spicil. p. 47.

Facile esset in medium afferre plures alias Conciliorum Decisiones circa materiam Fidei; sed satis est indicare præcipua Religionis nostræ dogmata, quæ a Conciliis definita sunt.

Neque vero Dogmata solum decisionibus suis, sed etiam Ecclesiæ fidem aliquando Concilia certissimis factis confirmant. Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio, Articulus Fidei est, & Doctrinæ Catholicæ pars, quæ non secus atque altiora Trinitatis, & Incarnationis Mysteria, intellectum nostrum debet in obsequium captivare. Acriter Græcos inter, & Latinos disputatum est, utrum D. Basilius clare & distincte notaverit processionem Spiritus Sancti, ratione Filii; namque hujusce Patris auctoritatem maximi in utramque partem momenti esse futuram nemo negaverit. Græci igitur, qui hujusce testimonii pondus optime sentiunt, omnem lapidem movent, ut idem aut in dubium vocent, aut prorsus removeant; contendentes, processionem Spiritus Sancti a Filio in D. Basilii scriptis non reperiri. Quod quidem licet etiam verum sit; licet neque in manuscriptis, neque in impressis exemplaribus reperiatur; licet reliqua hujusce Patris antecedentia, & consequentia dicta, eorumque cum aliorum dictis magna similitudo non liquido demonstrarent, authenticam esse eam lectionem quam nos & antiquam, & certam asserimus: tamen id, quod actum est in Concilio Florentino, aperte evincit, lectionem hanc etiam tunc temporis in antiquioribus Exemplaribus extitisse, & Græcos ipsos Catholicæ Ecclesiæ Dogma approbasse; cum inter eosdem non defuerint, qui hujusce testimonii veritate commoti, priore relicta opinione, ab errore recesserunt. Qui vero negarunt, hujusmodi fuisse D. Basilii sententiam de Spiritus Sancti processione, ii in suis exemplaribus delendum putarunt, quod ipsis adversabatur; aut semel arreptam opinionem mordicus defendentes, Cæsareensis Episcopi, tanquam decepti, decisionem rejecerunt: nonnulli etiam Joannem Beccum accusarunt, quod hujusce Patris exemplaria adulteraverit. Sed utri homini steterint pro rei veritate, vel illud evidenter demonstrat, quod egregius Patriarcha, Græcorum Schismate rejecto, Latinorum partes amplexus, tanta easdem tamque incredibili animi constantia defendit, imperante Andronico Michaelis filio sub finem anni 1282. ut libenter passus fuerit, calumniis, & injuriis opprimi a suis, mortemque ipsam miserrime subire post diuturnum durissimumque exilium, potius quam Græcorum schismati, quod semel rejecerat, adhærere. Atqui contrariam aliquando opinionem magnus ille vir sequutus fuerat, fortiterque restiterat Imperatori Palæologo tum, cum pacem Græcos inter, & Latinos conciliare studeret. Sed nimirum sapientissimus vir tunc versabatur in errore, a quo nec promissis, nec minis neque ipsius carceris horrore dimoveri potuit: dimovit autem mox, singulari quodam præpotentis Dei beneficio, studium, & meditatio; siquidem singula testimonia accurate perpendit, quibus detortis perversi homines ad alendum schisma utebantur: eadem consuluit revisitque in ipsis Patrum libris: tunc, erroris nube disjecta, resipuit, evasitque in posterum omnium acerrimus veritatis propugnator: Unus igitur Basilius fuit, qui magnum illum Græcum a sententia detraxit, & in Romanæ Ecclesiæ societatem compulit: quod facile apparet ex ejus scriptis, in quibus D. Basilii auctoritatem decisionis instar habet; ejus vero Archidiaconi, Constantinus, & Georgius insanam calumniatorum malitiam calliditatemque patefaciunt, atque convellunt. Totum hoc factum extat in quadam Dissertatione Latina, nuper typis commissa, in qua ad trutinam revocatur insignis ille D. Basilii locus, quo probari solet, Spiritum Sanctum

a Pa-

a Patre, & Filio procedere: ita vero sese res habuit.

Joannes de Monte-Nigro Dominicanus Latinorum causam tuebatur; Marcus vero Ephesinus causam Græcorum in Concilio Florentino. Dominicanus in medium attulit præfatum D. Basilii locum: Cui Marcus respondit, 1. Textum illum, qualem Latini afferebant, fortasse in quatuor, aut quinque Exemplaribus reperiri: sed Constantinopolis esse sexcenta Exemplaria, a quibus omnino aberat. 2. Quæ furtim, quasique per dolum addita sunt, ea non convenire cum reliqua Sancti Doctoris disputatione. 3. Nunquam D. Basilium credidisse, Spiritum Sanctum procedere a Filio. Priori Articulo facile fuit respondere; satis erat consulere Exemplaria, quæ ante ortam disputationem fuerant conscripta: ex his unum protulit Dominicanus, quod ætatem sexcentorum amplius annorum ferebat, quæsivitque ab adversariis suis, utrum aliud paris antiquitatis haberent, quod diversam lectionem exhiberet. Bessarion, qui illic aderat, testatur, Græcos quinque saltem illius Patris exemplaria habere; profertur unum ex his, apertumque cum priore confertur: nulla quoad locum controversum differentia; inde Græci victi abiere. Hoc historiæ facto mirum in modum confirmatur Catholicum Dogma, cum & Textum, qui illud aperte continet, nobis conservet, & turpem Græcorum cladem ob oculos ponat.

Tom. 13. Concil. col. 311.

Ibid. col. 279.

Ibid. col. 287.

Ibid. col. 283.

In Epist. ad Alexand. Lascarim. Tom. 13. Concil. col. 311.

Facile uno volumine comprehendi, quæcumque in quolibet Theologiæ tractatu definita sunt in Conciliis, atque inde, tanquam ex purissimis fontibus, derivari ea præsidia & adjumenta, quorum ope & tutius sequamur immutabiles Traditionis Regulas, & solidius Fidei nostræ fundamenta firmemus. Noluit Deus, quidquam nobis deesse ad Fidem nostram confirmandam & augendam: quæ nobis credenda sunt, ea voluit non modo exponi in Conciliis Generalibus, sed etiam enucleate explicari in Conciliis Particularibus, quæ Generalia aut antecesserunt, aut exceperunt: quorum illa viam quodammodo straverunt ad OEcumenica, hæc vero, quæ ab OEcumenicis præscripta sunt, executioni mandarunt. Hinc plures habitæ sunt Synodi Particulares adversus Arianos, Nestorianos, Sabellianos, Manichæos, & quoscumque tulerunt secula Erroris impietatisque Propugnatores.

Mysteriorum quidem Trinitatis, & Incarnationis Doctrina accurate exponitur in Concilio Toletano II. quæ ad Ecclesiam, ejusque proprietates pertinent, in Senonensi; doctrina de Gratia, in Arausicano; de Sacramentis, in multis Conciliis Provincialibus, & præsertim in Coloniensi; de statu hominum electorum aut reproborum, in Concilio Provinciali Toletano IV. in Florentino, in Conciliis Generalibus Constantinopolitano primo, & Tridentino sess. 25. quæ copiose hac de re disseruerunt.

Antequam huic capiti finem imponam, dicendum est aliquid de variis diversisque modis, quibus Fidei Quæstiones in Conciliis agitabantur, & dijudicabantur. 1. Igitur Concilium ad quæstionem aliquam dirimendam coactum id in primis sibi curandum putabat, ut qua parte staret veritas, dignosceret; eaque reperta, simpliciter stabiliebatur, aut composito aliquo Symbolo, ut actum est in Conciliis Niceno, & Constantinopolitano primo, aut Fidei Professione, seu formula aliqua peculiari, ut in Conciliis Ephesino, & Chalcedonensi. Atque isthæc fuit primorum Conciliorum consuetudo. 2. Si plures Doctrinales Quæstiones alicujus Concilii judicio subjiciebantur, eæ diu primum perpensæ, & in utramque partem discussæ omnes dijudicabantur, aut longa ipsarum doctrinarum expositione, aut Anathematismis. Ita actum a Concilio Tridentino. 3. In Concilio Actus, seu Relatio distinguenda est ab iis, quæ ab Episcopis dicta sunt: Rationes vero decisionum aut a singulis, aut ab universa Synodo allatæ a Decisionibus ipsis distinguendæ sunt. 4. Multa a Concilio pronunciantur obiter, ac præter propositum, nulla rerum præmissa diligenti discussione; multa consulto, & data opera deliberantur. 5. Multa a Concilio admittuntur, tanquam certa & evidentia, cum hæc ipsa ab iis, quorum interest, admittantur: in eaque nequaquam cadit Concilii judicium; multa contra contestationis ipsius argumentum, & propositum decisionis constituunt. Ex. gr. Dum Concilium Nicænum damnat Arium, tanquam Consubstantialitatem Filii negantem, habet factum hoc, tanquam certum, proindeque in illud non cadit Concilii judicium: at cum Concilium quintum condemnat Memoriam Theodori, Epistolam Ibas, & scripta Theodoreti, tum judicat de facto contestato; scilicet, Theodorum, Ibam, & Theodoretum ejusdem sententiæ & opinionis cum Nestorio fuisse: priore casu, condemnatio cadit in Personas, facti veritate supposita: posteriore vero, condemnatio contestati facti veritatem firmat.

Ex his principiis colligi cogique debet, Generalis Concilii decisione christianorum firmari & stabiliri Fidem, quoad Fidei dogmata, quæ & S. Scriptura continet, & Ecclesia ex Apostolorum Traditione accepit; neque enim fieri potest, ut Ecclesia universa desistat a tradenda doctrina illa, quam Traditione accepit a Christo Domino, & ab Apostolis, aliamque huic contrariam inducat. Idem dicendum est de variis Doctrinæ generibus, quæ habentur in Traditione, & quorum definitio in Conciliis facta recepta fuit ab Ecclesia; nam si illa falsa esse contingat, fiet etiam, ut in Doctrina Fidei erraverit Ecclesia, quæ rejecerit, quod necessario, receperit, quod falso consequitur; hinc Principia Fidei concuti, ac prorsus everti. Tandem & illud certum, ac firmum est, definitiones Symbolis, aut Symbolorum expositionibus comprehensas de Fide esse, quoad res definitas, non vero quoad definitionis rationes, in quibus multæ esse possunt, quæ de Fide non sint: idem dicendum de Quæstionibus incidentibus, quæ in Concilio neque perpensæ, neque dijudicatæ sunt. Nam Acta, & Colloquia Episcoporum, quæ ibi afferuntur, manifestum est, ea non esse opus Concilii, sed historicam narrationem earum rerum, quæ in Concilio contigerunt.

ARTICULUS II.

Conciliorum utilitas, quoad Mores.

Moralis disciplina, in ipso Ecclesiæ ortu, Evangelii præceptis tota innitebatur. Iis Fideles parebant summa religione, vivendique rationem ad Jesu Christi vitam omnino conformabant. Observabant præcepta Decalogi, Legisque naturalis; plerique altiora Christianæ perfectionis dogmata ultro amplectebantur. Illorum hominum expressa veluti imago conspicitur in Constitutionibus Apostolicis, quas Surius omnium primus inseruit in sua Collectione Conciliorum an. 1567. Ibi videre est, Preces publicas, quibus Christiani ut plurimum interessent, fuisse matutinas, & serotinas, quas hodie dicimus Laudes, & Vesperas. Quibus aliquid, quo minus interessent, obstabat, ut qui morbo, aut itinere detinebantur, ii privatim, quo sæpius fieri poterat, congregabantur, Pater familias, in sua quisque domo, erat veluti peculiaris Pastor, qui Precibus, domesticisque lectionibus præerat, & uxorem, liberosque suos, famulosque erudiebat. Videas porro, quænam opera factitarent, quasnam artes profiterentur; maxime vero sibi ab Ethnicorum libris, velut peste, cavebant; Religionem denique respiciebant, tanquam negotiorum omnium maximum, ac porro unum, quod eos tota vita occupare debebat. Canonica Divi Dionysii Alexandrini epistola, quæ tomo 1. Conciliorum extat, notat, quænam consueta, quænam maxima eorum jejunia essent. Ut habetur eodem Libro 1. Constitutionum Apostol. & capite 9. lib. 5. Fideles abstinebant ab unguentis, ab immoderato balneorum usu, a Circi, Theatri, & Amphitheatri spectaculis, ab iis denum omnibus, quæ christianum hominem dedecerent. Uxorem mature ducebant, ne diffluerent ad insanas libidines. Viduis, & egenis dabatur post Communionem convivium. Tempus, quod Ethnici superstitioni, & publicis Festis, Christiani pœnitentiæ, lacrimisque tribuebant. Nundinas non frequentabant, nisi ut emerent, aut quæ sibi ad vitam degendam necessaria erant, aut captivum aliquem, quem Deo lucrifacerent.

Lib. 1. ch. 59.

Lib. 2. ch. 34.

Lib. 4. c. 10.

Lib. 1. c. 4.

Lib. 1. c. 6.

Lib. 2. c. 61.

Lib. 5. c. 9.

Lib. 4. c. 10.

Lib. 2. c. 28.

Lib. 1. c. 9.

Lib. 2. c. 62.

Etsi tam excellens Morum Doctrina magis in illorum vita & actionibus, quam Scriptis posita es-

set (siquidem plura facere, quam dicere solebant) tamen; ubi primum Ecclesiæ licuit se in unum locum congregare, multa subinde facta fuere Decreta, vel ad regulas jam cognitas & ab Ecclesia comprobatas validius confirmandas, vel ad tollendas difficultates, quæ in Fidelium vitæ ratione identidem nascebantur. Sive enim antiquis legibus nova esset auctoritas addenda, sive explicandæ, quæ videbantur obscuræ, sive pro nova temporum conditione nova inducenda regiminis forma, cogebatur Concilium, dubii Conscientiæ Casus decidebantur; Episcopi in unum coacti, ubi diu multumque Spiritum Sanctum in Scripturis; & in anteactis Synodis consuluissent, tum quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, vel ad animæ remedia pertinebant, summa diligentia inquirebant. Conventuum horum omnium talem fuisse
Can. 1. finem, & σκοπὸν; aperte notat Concilium primum Alverniense; iique tunc præcipue habebantur, cùm,
Epist. 13. ut notat D. Cyprianus, *non paucorum, nec Ecclesiæ unius, aut unius Provinciæ, sed totius orbis caussa ageretur.*

Tom. 2. Conc. col. 28. Ipsi Disciplinæ Canones ostendunt, quænam esset illorum temporum Moralis doctrina. Primus Concilii Nicæni Canon eos removet a clericatu, qui incolumi valetudine sibi ipsi membrum aliquod absciderunt. Hinc colligas, hanc esse in hoc Canone Ecclesiæ mentem, ut clericos & ab omni vi arceat, ac feritate, & ad verum castitatis amorem excitet atque inflammet. Canone secundo prohibet ordinari Neophytas; quo quid aliud sibi vult, nisi ut nobis modestiam inspicet? Tertio clericorum, & mulierum cohabitationem damnat: ut scilicet ostendat, clericis etiam peccati scandalique occasiones fugiendas esse. In primis vero puniendi severitas, quæ summa cum esset illis temporibus, mox ejusdem Concilii canone undecimo aliquantum temperata fuit erga eos, qui, nullo cogente, a Religione desciverant, ipsius Ecclesiæ mentem atque animum ostendit; quæ profecto etiamnum illa eadem manet, licet externa Disciplinæ mutatione aliter se gerere videatur erga maximos peccatores, qui ad Sacramenta pœnitentes accedunt. Porro ex iis, quæ de clericis dicuntur can. 17. facile videas, quam longe ab usuris abhorreret Ecclesia.

Tom. 1. Conc. col. 1456. Primus Concilii Ancyrani Canon, postquam, quanta sit sacerdotii dignitas, demonstravit, omnia sacerdotii munia interdicens Presbyteris lapsis, ac deinde ad Pœnitentiam reversis, docet non pertinere ad peculiarem aliquam personam decisionem casuum gravissimorum, eorum præcipue, in quibus aut publica pax, aut communis Ecclesiæ res agitur.

Postulat eadem Ecclesia, ut in Confessione peccatorum mortalium numerus distinguatur. Id vero confirmatur septimo Canone, qui de pœnitentia loquitur iis accommodata, qui pluries idolis sacrificarunt. Quam grave vero & immane sit eorum crimen, qui alios ad peccata compellunt, aut peccandi iis occasionem præbent, manifeste ostendit octavus Canon, qui hujusmodi hominibus gravissimas pœnas infligit. Canon tertius decimus docet, quænam sæculo tertio aut quarto esset clericorum pœnitentium vita, qui carnibus abstinebant. Easdem tamen tangere jubebantur, ne eas esse impuras credere viderentur. Sæculo quinto admirari debemus Concilii prudentiam, qua infamia crimina ne nominare quidem vult, eaque solummodo appellat abominanda. Eodem loco subjicit distinctionem, qua considerandæ sunt circumstantiæ peccatorum, tum qualitas, ætas, & habitus personarum. Canon 18. virginitatis statum repræsentat. Decimus nonus punit adulterium in fœminis. Vigesimus abortum. Vigesimus primus, & vigesimus secundus homicidium. Vigesimus tertius casum peculiarem refert, in quo quæstio erat uno tempore de tribus criminibus, scilicet de fornicatione, de nuptiis incestuosis, & de homicidio. Agebatur enim de homine, qui rem habuit cum sorore ejus, quacum jam nuptias contraxerat, ex eaque filium sustulit. Ea vero, cum deprehendisset, eum cum sorore sua matrimonium consumasse, laqueo miserabiliter se suspendit. Hæc nimirum erat primis sæculis Ecclesiæ consuetudo, ut gravissimos Conscientiæ casus non privatæ alicui personæ, sed toti Concilio agitandos decidendosque proponeret.

Antiquissimi quique Canones severissimi sunt; & ipso persecutionem tempore non facilitate veniæ, & misericordia, sed pœnarum gravitate infirmi homines in officio continebantur. Hujus rei ratio est, quia putabatur hæc animadvertendi severitas tanquam ex Apostolorum Traditione profecta. Eam vero libenter Antiqui in infligendis pœnis sequuti sunt, illud considerantes, & esse quædam peccata, quorum morbus non tam facile, nec momento temporis sanari potest, & peccatores licet ad extremum perditos, pœnitentiæ tamen diuturnitate commotos a peccando deterreri. Itaque nunquam inter Christianos rariora extiterunt crimina, quam hac Disciplinæ severitate vigente; quæ ubi primum processu temporis remitti cœpit, tum Mores statim corrupti depravatique sunt. Nunquam, inquit præstantissimus hujus ætatis Auctor, plures Ethnici Catholicam Religionem amplexati sunt, quam cum & disquisitio Cathecumenorum acerrima, & Baptizatorum pœnitentiæ rigidissimæ erant.

Concilium Laodicænum can. 19. loquitur de Pœnitentibus, qui ad orandum cum Fidelibus admittebantur, sed prostrati. DD. Basilius & Gregorius Thaumaturgus commonstrant diversos pœnitentiæ gradus, quibus peccatores ad Ecclesiam accedebant. Eorum litteræ habentur in Collectionibus Conciliorum, saltem recentioribus. Juxta Basilium, cum ageretur de pœnitentia, fere nulla ratio temporis habebatur: sed Prælati, Pœnitentium progressu diligenter explorato, veniam aut concedebant statim, aut in aliud tempus differebant. Ecclesiastici, sive in commune, sive privatim vixissent, nullas domi excipere fœminas poterant. Inter cæteras Pauli Samosatensis accusationes, ea etiam recensetur a Concilio Antiocheno secundo an. 270. quod *duas fœminas ætate florentes, & aspectu perliberales, ac venustas secum haberet, easque, si forte quopiam iret, una circumduceret.* Itaque clericis extra matrimonium omnis prorsus interdicta est cohabitatio cum fœminis omnibus, quæ non essent ipsis sanguine ipso conjunctæ; idque Concilium primum Nicænum explicat de sororibus, matribus, & Neptibus. Dignitatis Tituli ita habebantur Episcoporum proprii, ut iisdem appellarentur etiam in accusationibus in ipsos intentatis; ut factum est in Concilio Ephesino contra Nestorium, & in Chalcedonensi contra Dioscorum: quin & ipsis hæreticis Episcopis dabantur; Divusque Augustinus in Conventu Carthaginiensi non dubitat vocare sanctissimum Emeritum, & sanctissimum Petilianum, licet essent e grege Donatistarum.

Tom. 2. Conc. col. 1745.
Tom. 1. Conc. col. 831.
Tom. 1. Conc. col. 896.
Tom. 2. Conc. col. 29.
Tom. 3. Conc. col. 451.453.
Tom. 4. Conc. col. 93.

In hoc altissimo honoris dignitatisque fastigio collocati Episcopi & Clerici, paupertatem tamen curare, qualique in deliciis habere debebant. Hinc Clericis in Africa præcipiebatur, ut quidquid ipsis supererat temporis ab officiis Ecclesiasticis, id totum insumerent aut in colenda terra, aut in artificio aliquo exercendo, quo sibi ad vitam necessaria compararent; quod tamen intelligendum videtur potius de minoribus Clericis, quam de Diaconis & Presbyteris, quos propria munia satis superque occupatos habent. Iidem Africani Canones Episcopis commendatum volunt, ut eorum mensa sit parca, ornamenta vilia. Nihil enim indignius Episcopo fastu pleno. Hinc a Concilio Antiocheno secundo an. 270. inter cæteras accusationes Paulo Samosatensi intentatas illud in primis objectum fuit, quod cutem nimis curaret, quod pretiosis vestibus uteretur, quod per urbem incederet magna hominum partim antecedentium, partim consequentium caterva stipatus, adeo ut fastus insolentia ducenario potius, quam Episcopo comparandus esse videretur.

Conc. 4. Carth. c. 52. 53.
Tom. 2. Conc. col. 1204.
Tom. 1. Conc. col. 895.

Licet processu temporis tum Pastorum incuria, tum malis Ecclesiasticorum, sæculariumque exemplis non levis in Ecclesiam invecta esset vivendi licentia, virtutum tamen exercitia non illico omnia prorsus extincta sunt, adhuc aliquantum temporis Legum & educationis vi sustentata. Docent Concilia, regnante Agathone Papa sub finem sæculi septimi, magnam Romæ rerum ignorationem fuisse. Hujus illorum temporum, & consequentium etiam in Oriente ignorantiæ non pauca, neque obscura vestigia, & indicia colligas ex immensa fartagine historiarum dubiarum, ne dicam fabulosarum,

rum, incertæque fidei scriptorum, quæ in Synodi septimæ Actis citantur: licet illa minime pertinerent ad statum quæstionis, quæ agitabatur; cum alioquin illius Concilii Patres satis authenticis probationibus Imaginum cultum stabiliant, eorumque decisionem Ecclesiæ infallibilitate tueantur.

Barbari, qui initio statim, ne Christiani quidem facti, in clericatum recipiebantur, mox sæculo septimo ad Ordines indifferenter promoti, magnam morum confusionem excitarunt. Itaque post hæc solummodo tempora extitere Canones illi, quibus cavebatur, ne Clerici arma deferrent; ne darent operam venationi, ne canes, aut aves alerent ad voluptatem: V. Concil. Vennense, cap. 4. & Cabillonense secundum cap. 9.

Duarum Jurisdictionum in Episcopis commixtio, quæ mox obtinuit, in causa fuit, cur illi auctoritatem suam audacius explicarent, & ad Reges ipsos in Conciliis judicandos devenirent. Porro temporales Jurisdictiones istæ multorum pariter malorum extitere causa & origo. Nulla siquidem amplius Episcopis cura erat studendi, prædicandi, Diœceses visendi, & in Diœcesibus residendi. Accedebant ad Episcopatum sine ulla vocatione. Ex altera vero parte Reges id sibi juris vindicabant, ut Episcopatus pro lubitu conferre vellent: quo factum est, ut Concilia Claromontanum an. 535. cap. 1. & Aurelianum tertium cap. 3. Electionum libertatem maxime commendatam vellent. Clerici noni, & decimi sæculi, rudes plerique & indocti, cælibatus Legem tanquam intolerandam existimarunt. Eorum occupatio fere unica hæc erat, ut canerent Psalmos, quos non intelligebant, & externas quasdam cæremonias exercerent. Sæcularium vitam cætera imitati; suas sibi uxores habebant; magisque confirmati pravorum exemplorum multitudine cælibatum intolerabilem, ejusque legem tanquam tyrannicam judicabant. Primi omnium Græci, sub finem sæculi septimi tam salutare jugum excusserunt, edito tertio decimo Canone Concilii in Trullo, quo Presbyteris permittebant, ut uxores suas retinerent, quemadmodum & hodie faciunt, tum Canone Carthaginiensi non satis intellecto, tum pessimis, iisque frequentibus Latinorum exemplis adducti.

Tom. 6. col. 1147.
Vid. Conc. 5. Carth. c. 3.
Tom. 2. Conc. p. 1216.
Cod. Eccl. Afric. c. 25.

Christiani paulatim imbuti iis ferinis ac barbaris moribus, quos Septemptrionales Populi secum avexerant, eo audaciæ crudelitatisque devenere, ut ipsis fratribus mortem, & incendia moliri, solique annorum justitiam quærere non dubitarent. Horum rerum querelæ ad Episcoporum Conventus delatæ sunt. Nobiles decimas, aliosque Ecclesiæ reditus sibi usurpabant. Simonia facilis visa est ad opes via. Licet autem tam fœda atque horrida morum corruptio in universo ferè Ecclesia a fine sæculi sexti usque ad duodecimum impune regnasse videatur, eandem tamen Deus adversus infirmitatem naturæ, improbosque Inferni conatus semper tutatus est, illud absolvens, quod olim promiserat, cum affirmavit, *portas Inferi nunquam adversus eam prævalituras*. Et sane, his ipsis temporibus, quæ omnium habentur obscurissima & calamitosissima, habuit Ecclesia Doctores, habuit Virgines, habuit voluntate Pauperes, Ecclesiasticos optimos, & Sanctos omni virtutum genere præstantes habuit. Nihil est & admiratione dignius, & ad pietatem accommodatius, quam sæcularium ardens illud studium intueri, quo easdem cum Ecclesiasticis ad Deum preces fundebant. Apostolicæ Constitutiones, de quibus superius, cavent, ac decernunt, ut Fideles omnes, tam Ecclesiastici, quam sæculares, orent summo mane, & hora Tertia, Sexta, Nona, ad vesperas, & mediæ nocte. Eadem fere decreta repetuntur a sexti, & septimi Sæculi Conciliis. Sed hunc canendorum Psalmorum sanctissimum morem Imperatores ipsi religiose observarunt, ut Ecclesiasticæ Historiæ Auctores tradunt. Ea tamen ego solummodo referam, quæ Capitularia nos docent, hujusmodi referta Canonibus. Volunt igitur, ut Oratio fieri possit & debeat quocumque tempore, & loco; utque hoc assidue orandi Præceptum, ab Evangelio, & D. Paulo inculcatum, latissime pateat, & ad omnes omnino Fideles pertineat. Id egregie declarat Nicolaus I. Papa in responsione ad Bulgaros, his verbis cap. 61. Scitote,

Tom. 2. Conc. p. 1061. D.
Socrates Hist. Eccles. lib. 7. cap. 22.
Tom. 8. Conc. col. 538.

Salmon Concil.

neminem eximi a Christo Domino in Evangelio, ubi dicit, *Oportet semper orare, & nunquam deficere*: neque ab Apostolo, ubi ait, *orate sine intermissione*.

Obligatio, quam quisque Fidelium habet, interveniendi omnibus diebus Festis, & Dominicis Divinis Officiis in Ecclesia, probatur ex Canone 13. Concilii Forojuliensi, ex Canone 35. Tiburtini, ex responsione Nicolai I. Papæ ad Bulgaros, c. 11. ex Capitularibus lib. 6. cap. 170. 176. 189. & ex Concilio in Diœcesi Oripitana habito ann. 1050. Hortantur igitur his locis Concilia, ut Festi Dominici observationem incipiamus a Vesperis Sabbati, ipsisque Dominicis Missam, omnesque Horas audiamus. Ante solemniora Anni Festa Fideles in Monasteria se recipiebant, ut ab omni strepitu negotiisque remoti facilius sese ad Confessionem faciendam compararent, justissimamque Dei indignationem a se ipsis jejuniis aliisque bonis operibus deprecarentur. Id manifeste constat ex Dialogo Egberti Episcopi Eboracensis, ex cap. 14. & 33. Regulæ Chrodegandi Episcopi Metensis ex Theodulpho Capitularii artic. 36. & ex Reginone Abbate Prumiensi lib. 1. Collect. Can. cap. 288.

Tom. 7. Conc. col. 1002.
Tom. 9. Conc. col. 458. Ibid. col. 1065.
Tom. 6. Conc. col. 1609.
Tom. 7. Conc. col. 1462.
Ibid. column. 1145.

Ne militibus quidem ipsis spiritualia præsidia ad æternam vitam necessariam deesse voluerunt. Concilium in Germania habitum ann. 742. permittit Ducibus, ut secum in expeditione abducant Presbyterum aliquem, qui confitentium peccata excipiat, debitamque iis pœnitentiam injungat. Concilium hoc, pluraque alia confirmata sunt in Concilio *de Lestine* an. 743. ac deinde relata in Capitularia Caroli-Magni an. 800.

Tom. 6. Conc. col. 1534.

Nulla morum proponi potest præstantior regula, quam quæ proponitur a Concilio habito *Fimis* an. 881. Illius Concilii Patres Can. 7. serio animis inculcant tum pœnitentiæ necessitatem, tum bonorum male partorum restitutionem, exemplo Zachæi; qui ait: Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem fraudavi, reddo quadruplum. Pulcherrima isthæc regula est deducta ex epistola 153. D. Augustini ad Macedonium:
„ Quod autem in epistola tua sequitur, ubi dicis:
„ Verum nunc, ut mores nostri sunt, & sceleris
„ pœnam cupiunt sibi homines relaxari, & id,
„ propter quod scelus admissum est, possideres pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim
„ Res Aliena, propter quam peccatum est, cum
„ reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur
„ ablatum: sed, ut dixi, cum restitui potest.
„ Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios
„ patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec
„ aliud habet, unde restituat. Huic certe non
„ possumus dicere, Redde quod abstulisti, nisi
„ cum eum habere credimus, & negare. Ubi quidem si aliquos sustinet a repetente cruciatus,
„ dum existimatur habere quod reddat, nulla est
„ iniquitas: quia etsi non est, unde luat ablatam pecuniam, merito tamen dum eam per molestias corporales redhibere compellitur, peccati,
„ quo male ablata est, pœnas luit. Sed inhumanum non est etiam pro talibus intercedere, tanquam pro reis criminum; non ad hoc ut minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in
„ hominem sæviat, ille præsertim, qui jam remisit culpam, sed quærit pecuniam, & si fraudari metuit, non expetit vindicari.„ D. Augustinus in hac ad Macedonium epistola ostendit, fictam esse & inutilem pœnitentiam, nisi male parta restituantur; melius esse relinquere furi bona, quæ negat se habere, cum forte habeat, quam, si non habet, eum inaniter excruciare, aut occidere; justitiam demum charitate esse potiorem. Illud in hac re certum & indubitatum est, inquit cum eodem Doctore Fimarum Concilium, cum fieri ejusdem furti & criminis reum, qui precibus, vel auctoritate evincit, ne fures sublata omnia restituant, aut eosdem, cum id facere honeste possit, non compellit ad restituendum: nam nullam omnino operam præstare iis, qui nihil de restitutione solliciti sunt, magis est secundum misericordiam, quam auxilium aliquod iisdem præbere: siquidem adjuvare ho-

Tom. 9. Conc. col. 349.
Al. 55. Tom. 4. Epist. D. August. num. 50.
Tom. 9. Conc. col. 350.

re hominem ad peccata, eidem est exitium potius, & perniciem, quam opem ferre. Cæterum, quos certo scimus aliena bona usurpasse, eaque cum possint non restituere, eos nos reprehensione, minis, detestatione privatim, publiceque persequimur, semper tamen habita personarum ratione, eaque adhibemus remedia, quæ quisque ferre possit; ab iis quam longissime refugientes, quæ peccatores in desperationem adducant, & ad graviora mala compellant. Aliquando etiam ab Altaris Communione eos removemus, nisi timor majoris mali impendentis obsistat . . . . . . Quod solum gratia facere possumus, illud est, ut ab iis, injustitiæ pœnam deprecemur, modo tamen injuste ablata restituant, si adhuc detinent, secus in æstimationem, si solvendo sint. Nam ea bona, quæ furtis, rapinis, calumniis, vi, aut alia quavis ratione contra humanæ societatis jura acquisita sunt, curamus, ut potius reddantur iis, quibus ablata fuerant, quam erogentur in pauperes, juxta id, quod nos docet in Evangelio Publicanus Zachæus, qui, cum domi suæ Jesum Christum recepisset, seque momento temporis totum immutatum, & ad meliorem vivendi rationem amplexandam comparatum sensisset, ait, *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem fraudavi, reddo quadruplum.*

Idem Concilium cap. 3. plura Scripturarum & Patrum loca adducit contra expilationes direptionesque, quæ frequentiores in diem evadebant, additque alia quædam ex Capitularibus, (Can. 6.), quibus Reges eorumque ministros ad eas tollendas, reprimendasque exhortatur. Ludovico III. qui illam Galliæ partem tum obtinebat, proponitur exemplum Caroli Magni, qui tres semper secum habebat ex suis Consiliariis prudentiores viros, quibus communicabat, quæcumque sibi in mentem etiam noctu venerant, ad Ecclesiæ, vel imperii sui bonum spectantia. Hujus igitur exemplo Ludovicum hortatur, ut prudentia & providentia ætatem suam adhuc tenellam exsuperet.

Tandem idem Concilium vehementi exhortatione eumdem commovet contra raptores, qui, invitis parentibus, viduas, filiasque, etiam voti religione adstrictas, per vim secum abducebant; quibus plura adjicit ex Capitularibus desumpta.

Tom. 9. Conc. col. 520. Concilium *apud Suessiones* habitum ann. 909. Episcopis, Religiosis, & Presbyteris ob oculos ponit, quæ ad ipsorum officia spectant. In Præfatione, & Canone 3. condemnat perjuria, & vana juramenta, quæ tunc temporis frequentissima erant, & inimicitias, ex quibus internecione, etiam Episcoporum, tanquam ex fonte, sæpissime proficiscebantur. Imperatoris Caroli Magni tempore an. sc. 789. plures in ea erant opinione, ut crederent, juramentum non esse peccatum, dummodo, non pronunciato Dei nomine, jurarent per Evangelia, *Tom. 2. Conc. Gallia.* aut Reliquias Sanctorum, aut *in veritate*, & *charitate*. Pastores ex cap. 63. Capitularis Carolo M. imperante habiti tenentur, sæpe Fidelibus secundum hoc Decalogi præceptum inculcare, ut hisce malis remedium adhibeant, sibique eodem tempore persuadeant, jurandum omnino non esse, nisi gravi postulante necessitate, summaque consideratione: illud denuum in memoriam revocatur, ut, quemadmodum habetur Tom. 1. Capitular. col. 712. *qui in Sanctis habent jurare, hoc jejuni faciant cum omni honore & timore Dei.*

Tom. 10. Conc. col. 366. Pictaviense Concilium ann. 1078. habitum suspensione Archiepiscopi Cæsarodunensis Simoniaci, & violenti hominis, & depositione Abbatis Bergensis, de Simonia pariter accusati in primis memorabile est. Canones, quibus Episcopis, cæterisque Ecclesiasticis vetitum est, ne a Principibus, & Laicis investituras accipiant, ne easdem Laicis conferant sub pœna excommunicationis & interdicti, ne duas Prælaturas, aut duas Præbendas eodem tempore habeant, hi, inquam, Canones ostendunt, quanta morum probitas in Clericis requireretur.

In Concilio etiam generali Viennensi ann. 1311. habito habentur quædam Constitutiones, quæ Clericorum mores & vitam respiciunt: eædem habentur etiam in Jure Canonico inter Clementinas una cum iis, quæ ad usuras, aliaque Morum dogmata pertinent.

Sed longus plane sim, atque adeo immensus, si colligam omnia, quæ in hanc rem observari possunt in Conciliis, & in regulis a SS. Patribus, & Episcopis præscriptis in hisce Conventibus, ex quibus Ecclesia petebat præsidia firmissima adversus corruptionem temporum morumque depravationem.

ARTICULUS III.

Conciliorum utilitas, quoad Disciplinam.

Concilii Nicæni Patres duo fecerunt decretorum genera ad rem Ecclesiasticam pertinentia: quorum alia *διατυπώσεις*, alia *ὅροι* ab iis sunt appellata. Discrimen, quod inter duo hæc verba intercedit, notatur in Actis ejusdem Concilii: primum refertur ad doctrinam, quæ ad Fidem pertinet; alterum significat Canones, qui ad Disciplinam Ecclesiæ restituendam, reformandosque Ecclesiasticorum mores conscribuntur; idque apparet ex Gelasii verbis positis post Constantini epistolam, quæ extat ad finem Secundæ Partis, seu Libri secundi horum Actorum. Theodoretus nomine *νόμος* appellat Canones, qui ad Ecclesiæ disciplinam pertinent; sed prope infinita sunt Concilia ad Ecclesiæ Disciplinam firmandam tantum coacta, adeo ut ea singillatim recensere supervacaneum sit. *Tom. 2. Conc. col. 265. Theodor. hist. Eccl. lib. 1. cap. 8.*

Apostolicæ Constitutiones, ut habentur in Collectionibus Conciliorum, multa nobis initio statim suppeditabunt animadvertenda circa id, quod quatuor prioribus sæculis obtinebat. Concilia vero sequentibus sæculis celebrata magnam exhibebunt factorum seriem de statu clericorum, Ecclesiæ, & Populorum. Pater Morinus in suis de Pœnitentia Libris affirmat, Constitutiones istas esse habendas, tanquam imaginem illius Disciplinæ, quæ ante Constantini Magni tempora in Orientis Ecclesiis vigebat. Porro Constitutionum Auctor ea tantum collegerat, quæ acceperat ab Apostolis tradita; quibus deinde Orientalium Conciliorum Canones adjuncti sunt. Observandum est hoc loco, Collectionem hanc magnæ antiquitus fuisse auctoritatis apud Græcos: apud Latinos autem non item; quin & ab ipsis Græcis mox fuisse rejectam in Concilio Trullensi, tanquam Librum, qui, cum ab Hæreticis fuerit corruptus, non erat nisi magna animi provisione legendus.

In Conciliorum Collectionibus habentur etiam epistolæ D. Cypriani, & Cornelii Papæ, Epistola, quæ S. Clementi Papæ vulgo tribuitur, epistolæ S. Cælestini Papæ ad Provincias Viennensem, & Narbonnensem, & ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ, Tractatus Baptismatis, Epistolæ omnes D. Gregorii Papæ, epistolæ omnes Canonicæ & Paschales S. Dionysii Alexandrini, Theophili ejusdem loci Episcopi, S. Gregorii Nisseni, S. Basilii, & S. Gregorii Thaumaturgi: atque hæc sunt nobilissima Ecclesiasticæ Disciplinæ monumenta.

Ecclesia, quæ seipsam Canonibus tuetur ac regit, infinitas, prope controversias diremit, quæ initio statim non prævisæ, mox casu aliquo contigerunt, de Disciplina, quæ amoris & concordiæ vinculum inter Fideles est. Earum extant Collectiones ad usum Ecclesiarum particularium: extant & generales, in publicum bonum a Canonistis editæ, ut ab Isidoro ex parte Latinorum, ut alia item Collectio *Corpus Canonum* inscripta; de quibus plura dicemus, non secus ac de Collectionibus tum Græcorum, tum Latinorum Canonistarum.

Præter Conciliorum tum generalium, tum particularium præscriptiones, quælibet Ecclesia suas habebat Canonum Collectiones, quibus regebantur. Collectio Canonum Ecclesiæ Africanæ habetur a Patribus, tanquam antiquæ Ecclesiasticæ Disciplinæ thesaurus; ea proposita & decreta in Concilio 6. Carthaginiensi, mox apparuit in Ecclesiis Orientis, & Occidentis, præ se ferens titulum: *Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ.* In eodem Concilio perlecti sunt Canones plurium Africæ Conciliorum, quæ, Aurelio Carthaginis Episcopo, celebrata sunt. In Concilio Arelatensi ann. 314 plures Canones extant ad usum Ecclesiæ Gallicanæ, quæ mox recepit Concilium Nicænum, ac deinde usa est Collectione a Concilio Chalcedonensi approbata. Extiterunt & Canones ad usum Ecclesiarum Hispanicæ, & Anglicanæ.

Codex

Codex Ms. Corbejensis, cujus meminit P. Coustant in Præfatione ad novam Collectionem Epistolarum Pontificum part. 2. compositus in hunc finem fuit, ut Disciplinæ Canones in unum cogerentur. In eum igitur ab Auctore collati sunt Canones Ancyræ, Neo-Cæsareæ, *Gangres*, Nicææ, Antiochiæ, Laodicææ, Constantinopolis, Carthaginis, Valentiæ, & Augustæ Taurinorum: tum Epistolæ Innocentii I. Papæ ad Synodum Tolosanam, aut Toletanam, S. Leonis ad Episcopos Provinciæ Viennensis, Hilarii ad Leonem; Canones præterea Conciliorum Arelatensis, & *Epaonensis*, epistolæ ejusdem Innocentii Papæ ad Rufum & Eusebium, Symmachi ad Cæsarium, Damasi ad Paulinum, D. Augustini ad Cathecumenos, qui tunc dicebantur *Competentes*, epistola Paulini ad Faustum, Definitio Concilii Chalcedonensis, epistola Flaviani ad Leonem, ejusque Rescriptum, & inter hæc omnia opera & Canones, quorum pleraque ex Conciliis Gallicanis sunt, Epistolæ Leonis ad Anastasium, & Siricii ad Himerum.

Codex, quem P. Quesnellius edidit in sua S. Leonis Editione, eodem fine collectus fuit. Hic habentur simul conjuncti Canones Niceni & Sardicenses, tum decreta Concilii Carthaginiensis ann. 397. decreta Ancyræ, Neo-Cæsareæ, Gangres, epistola secunda Concilii Carthaginensis ad Innocentium Papam, ejusque rescriptum, epistola Concilii Milevitani ad eumdem Pontificem, ejusque responsio, epistola quinque Africæ Episcoporum ad eumdem Innocentium Papam, ejusque ad eosdem responsio, Concilium Carthaginiense, & Honorii Theodosiique Rescripta contra Pelagium & Cælestium, plura opera ad eosdem Hæreticos pertinentia, Epistola Imperatoris Constantii contra Cælestium, edictum Volusianum, Epistolæ Innocentii ad Exuperum Tolosanum, ad Rufum, aliosque Episcopos & Diaconos Macedoniæ, ad Decentium Egubiensem, & Victricem Rothomagensem, Acta & Canones Concilii Chalcedonensis, tres Marciani Constitutiones, Epistolæ Siricii ad Himerum, & alios Episcopos, Rescriptum S. Ambrosii &c. ad Siricium, Zosimi ad Hesichium, ejusque Presbyteros, Bonifacii ad Hilarium Narbonnensem, Cælestini ad Episcopos Viennensem, & Narbonnensem, & ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ, Confessiones Fidei contra hæresim Eurychetis, Epistolæ Simplicii ad Acacium, Acacii ad Simplicium, & Felicis contra Acacium, disputatio Gelasii Papæ, ejusque Epistolæ ad Faustum, ad Anastasium Imperatorem, ad Episcopos Dardaniæ, & Orientales, Epistola Athanasii ad Epictetum, & Cyrilli ad Joannem Antiochenum; atque hanc epistolam in Codice Ms. qui extat in Monasterio S. Huberti, excipiunt Professio Fidei ab iis emissa, qui Eutychianismum ejurant, definitio Concilii Chalcedonensis, Epistola Eusebii Mediolanensis, & Mediolanensis Synodi ad S. Leonem, Gelasii Papæ Constitutiones, Canones Conciliorum Antiocheni, Laodiceni, & Constantinopolitani, regula Litterarum formatarum, & plures S. Leonis Epistolæ. Ms. P. Quesnellii, qui est omnium locupletissimus, post hanc Epistolam affert nonnullas Leges ex Codice Theodosiano decerptas, tum epistolam Damasi ad Paulinum, & Cyrilli ad Nestorium, Constitutiones Gelasii, Canones Conciliorum Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani; Concilium Teleptanum, epistolam Siricii, & regulam Litterarum formatarum; opera antiqua & authentica, quibus Ecclesiæ Disciplina continetur.

Primis Ecclesiæ Sæculis rari fuere Disciplinæ causa Episcoporum conventus: non erat opus frequenti morum reformatione, siquidem Christiani religiose vivebant, neque vitia adhuc radices egerant. *Apostolici homines*, inquit D. Hilarius in fragm. *in id unice erant intenti, ut fidem perfectam prædicarent, ne Religio hæresum labe infecta corrumperetur.* Etsi persequutiones Fidelium constantiam fortitudinemque proderent ac declararent, non defuere tamen, qui iisdem commoti ac perterriti turpiter succubuerunt. Ecclesia diu probabat, qui lapsi erant. Christiani, quos mala vivendi consuetudo in hæc tam horrenda crimina pertrahebat, ii bono demissoque animo pænitentiam accipiebant: cujus diuturnitas magnitudine scelerum definiebatur: ac licet magna aliquando extiterit pœnarum varietas pro varia Ecclesiarum consuetudine, ut facile apparet ex ipsa Canonum Pœnitentialium diversitate, severissimi tamen omnium plerumque sunt, qui maxime antiqui.

Quod attinet ad persequutiones, illud in universum præceptum erat, ut ne Christiani Deum tentantes periculis ultro se objicerent, sed ut detecti ac legitime interrogati de Fide responderent. Ex decimoquarto S. Petri Alexandrini Canone colligimus, quemadmodum judicia publice in foro habebantur, ita ibi semper fuisse aut Idolum aliquod, aut altare: tum eos, quorum Fidem labefactare volebant, manibus ad profanum sacrificium adductis, vi compulsos, ut Idolis thura adolevisse viderentur. Ex Libro Pontificali Collectionibus Conciliorum inserto legimus, S. Clementem Pontificem instituisse Romæ Notarios septem, singulis singulas regiones urbis dividentem, & committentem, qui acta Martyrum sollicite & curiose per regiones quisque suas perquirerent, atque conscriberent. Cirtæ Acta ann. 303. nos docent, Gentilibus in Diocletiani persequutione nihil ad Religionem Christianam funditus evertendam visum esse accommodatius, quam ut sacros Christianorum Libros, quos summa diligentia tum in Ecclesiis, tum in privatorum ædibus perquirebant, omnes ubique flammis absumerent.

Const. Apostol. lib. 5. cap. 5. — *Tom. 1. Conc. col. 968.* — *Tom. 1. Conc. col. 24.* — *Tom. 1. Conc. col. 937.*

Ecclesia summo studio & amore eos prosequebatur, qui in carcere, aut captivitate detinebantur, eorumque pœnas, quoad poterat, lenire studebat. Qui semel a Fide desciverant, ii, nisi publicam pænitentiam agerent, excommunicati erant. Episcopus, pænitentes invisebat, factaque examinatione, an pæniteat, dignique sint, qui in Ecclesiam admittantur, eam cuique pœnam infligebat, quam delicti genus, & ratio pascere videbatur. Epistolæ Canonicæ Sancti Gregorii Thaumaturgi, & Petri Alexandrini diversos exhibent Pænitentiæ gradus & tempus cuilibet pænitenti destinatum. Ex Apostolorum Canone 24. colligimus, Presbyterum, aut alium clericum, qui peccatum publicæ pænitentiæ obnoxium committat, deponi, non tamen & communione privari, tum quia id est alienum ab Ordinis dignitate, tum quia depositione satis graviter punitus videbatur. Primus Concilii Niceni Canon legem habet insignem in eos, qui immoderato quodam continentiæ studio virilia sibi amputabant. In Diaconissas eligebantur viduæ quæque prudentissimæ; & quovis charitatis exercitio probatissimæ: officium hoc & virginibus aliquando dabatur; Prælati tamen diligenter curabant, ne fœminæ Theologos agerent scholamque haberent. In Pauperum classem non referebantur, nisi ii, qui morbo, aut annis victum amplius sibi parare non poterant. Eleemosinæ excommunicatorum peccatorumque publicorum, tum usurariorum & adulterorum respuebantur. Magna habebatur Martyrum, expositorumque infantium cura.

Constit. Apostol. lib. 5. cap. 2. — *Ibid. lib. 5. c. 13.* — *Ibid. lib. 5. c. 2.* — *Ibid. lib. 2. c. 16. 17. 41.* — *Const. Apostol. lib. 8. c. 17.* — *Ibid. lib. 3. c. 5. 6. 7.* — *Ibid. lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 1. 2. &c.* — *Ibid. lib. 4. c. 5. 6. 7. 9.* — *Ibid. lib. 4. c. 12.*

Subsidia multa mittebantur ad pauperes Provinciarum Ecclesias, & ad Confessores ad metalla damnatos, ut patet ex Epistola S. Dionysii Corinthii apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 23. & ex Actis Cirtæ superius laudatis. Episcopus eas indicebat eleemosynas, quas egentium necessitas requirebat. Diaconi utebantur brevioribus quibusdam vestibus, quæ dicebantur dalmaticæ, ut ad motum aptiores essent: eorum opera Laici, quæ sibi necesse erant, Episcopo repræsentabant. Episcopum iter facientem cæteri Episcopi benigne excipiebant, eumque rogabant, ut apud populum sermonem haberet docendi causa ad ostendendam Sacerdotii & Ecclesiæ unitatem. Dum cadavera efferrentur, ea Christiani accensis faculis tædisque, & Psalmorum hymnorumque cantu prosequebantur, tum ut Deum laudarent, tum ut de mortuorum resurrectione admonerentur.

Const. Apost. l. 3. c. 19. — *Ibid. l. 2. c. 57.* — *Ibid. l. 2. c. 28.* — *Ibid. l. 2. c. 58.*

Episcopus a duobus, vel tribus Provinciæ Episcopis in Ecclesia vacante congregatis eligebatur, juxta primum Apostolorum Canonem, & Apostolicas Constitutiones. Clerici ipsius Episcopi doctrinam moresque attente considerabant; ac, si quid is doceret, aut ageret, quod Apostolicis Traditionibus adversaretur, obsistebant continuo Presbyteri Diaconique ætate provectiores. Eorum pariter erat dissidia discriminaque componere, & omnes Ecclesiæ thesauros distribuere pro voluntate; præterea Cate-

Const. Apost. l. 6. c. 29. & l. 8. c. 41. 42. — *Ibid. lib. 3. c. 20.* — *Ibid. l. 8. c. 4. 27.* — *Ibid. l. 2. c. 28.* — *Ibid. l. 8. c. 12.* — *l. 2. c. 45. 46.* — *l. 2. c. 25. & Can. Apost. 6.*

chu-

chumenos iis audire, quæ singillatim recensentur lib. 7. cap. 40.

Ex Altaribus ad repræsentandum Spiritum Sanctum appendebantur Columbæ aureæ, aut argenteæ, quibus aliquando SS. Sacramentum includebatur. [Tom. 5. Conc. col. 160.] Vide Concil. Constant. ann. 536. act. 5. Ex Anastasio habemus, sub Silvestro, Leone III. & Stephano IV. cujusmodi essent Ciborium, & Columnæ, quibus illud sustinebatur. In qualibet Ecclesia describebatur historia ejus Martyris, cujus Reliquias custodiebat. [Tom. 7. Conc. col. 16.] Gregorius II. in epistola prima, quæ habetur in Concilio Nicæno secundo, inquit, eas picturas fuisse expressas indoctorum præcipue causa, quibus loco librorum erant. Ex Libro Pontificali comperimus, Ecclesiarum calices fuisse plerosque trium librarum pondo, patenas vero ingentes pelves: scimus etiam, Silvestri tempore Ecclesiis dono data candelabra aurea 37. librarum pondo, & argentea 45. juxta Anastasium. Baptisterium præseferebat formam Agni, aut Cervi, juxta Librum Pontificalem sub Innocentio I. Exhibet etiam Imaginem S. Joannis Baptistæ, & Columbam auream, aut argenteam ex Sacro Balneo appensam, quibus exprimebatur historia Baptismatis Jesu Christi, & veritas Spiritus Sancti, qui in aquam Baptismalem descendit. V. Conc. Constant. ann. 536. [Tom. 5. Conc. col. 160.]

[Tom. 4. Conc. col. 646.] In Syria superiore plerique Episcoporum linguam Græcam ignorabant, Syriacam tantummodo callentes, ut apparet ex Conciliis Ephesino, & Calcedonensi ad initium actionis 10. in qua opus fuerat interprete. [Const. Apost. l. 2. c. 57.] Ecclesiam ingredientibus suus cuique locus assignabatur. Auditores sedebant ordine, viri quidem ex una parte, fœminæ vero ex alia. Finito sermone, dimittebantur extemplo ii omnes, qui sancto sacrificio interesse non poterant: primum quidem Auditores & Infideles: tum Energumeni, seu a Dæmone possessi, pro quibus fundebantur preces: deinde Competentes, postremo Pœnitentes, juxta [Const. Apost. l. 8. c. 12.] Concil. Laodicenum cap. 19. Episcopus accedebat ad altare indutus splendida veste; ex quo liquet, fuisse peculiares quasdam vestes, qui in hoc tantum ministerio deferebantur. Sed processu temporis, cum clerici subuculam perpetuo deferre consuevissent, statutum est, ut Presbyteri aliam in Altaris usum seponerent, ut ea candidiore uterentur. [Tom. 9. Conc. col. 418.] *V. Homiliam Leonis Papæ* IV. Eæ vero vestes, quæ ad Altare adhibebantur, erant forma cæteris similes, sed [Tom. 6. Conc. col. 564.] pretiosiores, juxta Constitutiones Riculfi cap. 7. [Tom. 1. Conc. col. 1300.] ann. 889. & Concilium 4. *Braccarense*, can. 3. In primis vero Canones 22. & 23. Laodicææ Presbyteris, & Diaconis inculcant, ne Altari serviant sine *Orario* inferioribus Ministris interdicto.

Ad Altare nihil aliud afferebatur, quam panis, [Tom. 1. Conc. col. 471.] & vinum, quæ sacrificii materia esse debebant, juxta Canones 3. & 4. Apostolorum: afferebantur etiam nova legumina, sed eo tantummodo, ut, finito Sacrificio, benedicerentur. [Const. Apost. l. 8. c. 11. lib. 8. c. 12.] Ecclesiæ ostia non aperiebantur Fidelibus ab initio Oblationis, usque ad Communionis finem. Preces Præfationis, & Actionis, quam Canonem dicimus, erant multo longiores. Post Consecrationem Episcopus Communionem accipiebat, quam deinde Presbyteris, tum Diaconis dabat: ac nono sæculo satis erat, si christiani omnes communicarentur quater in anno, i. e. In Nativitate Domini, feria quinta hebdomadis Sanctæ, Paschatis, & Pentecostes tempore. [Tom. 8. Conc. col. 37.] V. Homiliam Leonis IV. ann. circ. 850. Qui Sacrorum Mysteriorum participes erant, non poterant accedere ad [Tom. 5. Conc. col. 959.] Eucharistiam, nisi jejuni. Concilium Laodicenum [Tom. 2. Conc. col. 859.] Can. 15. vetat, ne Laici, nisi sint Cantores, in Ecclesia canant: Liber vero Pontificalis asserit, S. Damasum Sæculo quinto Psalmorum cantum jussisse, ut hac ratione & Fideles attentius præsto essent, & profana colloquia ab Ecclesia exularent. [Tom. 5. Conc. col. 154.] S. Gregorius Papa l. 3. ep. 30. testatur, dum viveret, fuisse habita pro reliquiis S. Apostolorum ea [Tom. 3. Conc. col. 1297.] lintea, quæ eorum sepulchra tetigissent. S. Leo Papa Epist. 4. damnat Episcoporum Siciliensium consuetudinem, qua die Epiphaniæ baptizabant; eodemque loco nos docet, qua mente ab Ecclesia instituta fuerint Festa, cæteræque anni Ecclesiastici partes, quibus diversa vitæ Jesu Christi Mysteria recoluntur.

[Tom. 2. Conc. col. 586.] Jam Ecclesiæ facultates quales quantæque essent, colligi facile potest ex oblationibus Constantini Imperatoris ab Anastasio collectis. Fundi, quibus primum aucta est & dotata Ecclesia, fuere christianorum bona, vigente persecutione, fisco addicta; quorum administratio erat tota penes Episcopos, juxta Concilium Antiochenum ann. 341. Can. 25.

Monasteria primum quidem longe multumque distabant ab urbibus; sed mox in tantam multitudinem excreverunt, ut nonnulla tempore Concilii quinti Constantinopolitani ann. 553. in locis habitatis, & prope urbes, juxta Concilium vero Arelatense ann. 554. etiam in ipsis Urbibus posita fuisse constet. [Tom. 5. Conc. col. 781.] Monachi, cum occasionem egrediendi nullam haberent, vivebant hisce claustris perpetuo conclusi; atque hanc Eutyches hæresiarca causam adduxit, cur se non in Concilio Calcedonensi sisteret. [Tom. 4. Conc. col. 2.] Libertate Ecclesiæ mox reddita, vidimus Prælatos magnorum honorum splendore valde commoveri, quasique transversos agi; qua de re extant querelæ ad Concilium Calcedonense delatæ adversus Dioscorum, & Ibam, act. 3. & 10.

In Concilio Arelatensi ann. 554. habentur jura [Tom. 5. Conc. col. 781.] Episcoporum in Monasteria; tum initia exemptionum ex eo profecta, quod Communitatis corpus constaret ex Laicis, qui sibi Superiorem elegerant.

Qui Christianas Virgines Religiosam vitam amplexas olim, ut hodie sunt, Monasteriorum ambitu fuisse conclusas putat, is mores nostros antiquis confundit. Primus in hanc rem S. Paulinus Patriarcha Aquilejensis Capitulo 12. Concilii Forojuliensis ann. 696. juxta Pagium, aut 791. juxta Labbæum, decretum edidit, quo Abbatissis, aut aliis [Tom. 7. Conc. col. 1007.] quibuslibet Religiosis facultatem adimit adeundi Romam, aut alia quæcumque Sancta loca pietatis causa; quod certe indicat, ante hoc Concilium Religiosas potuisse aliquando e Monasteriis egredi. Quod quidem si animadvertisset cæteroquin præstantissimus nostrorum temporum Scriptor, nunquam sibi persuasisset, Gissam, seu Ghisellam, Caroli Magni Sororem, perpetuo vixisse in Monasterio, quod semel erat ingressa, & in quo etiam vita decessit, juxta Eginardum in Caroli Magni Vita, quam nobis dedit Duchesne tom. 2. pag. 100. neque tam audacter affirmasset, Instrumentum, quo Gisla plures terræ fundos Monasterio S. Dionisii dono dedit, allatum a P. Mabillone lib. 5. p. 389. & lib. 6. p. 503. nullius esse auctoritatis, eo quod confectum fuerit ad Aquas Sextias Mense Junio ann. 31. aut 36. Caroli Magni 791. & præseferat subscripta nomina Ghiselæ, Caroli, Pipini, & Ludovici, filiorum Caroli Magni.

In omnibus fere Conciliis, Carolo regnante habitis, magnopere commendatur D. Benedicti Regula, in illo præsertim Francofurti, in illo ad Aquas Sextias ann. 802. quod generale appellatur, & in quinque aliis Conciliis ann. 813. habitis, in quibus plura ad restituendam hujusce Regulæ pristinam vim decreta condita sunt. [Tom. 7. Conc.] Concilia vero sunt hæc, Cæsarodunense, Mayentinum, Remense, Arelatense, & Cabillonense, quæ in diversis Gallici Imperii partibus sunt celebrata. Vetitum erat fœminas in [Tom. 5. Conc. col. 856. & 960.] Monasteria virorum ingredi, juxta Concilium Cæsarodunense secundum ann. 567. can. 17. & Antissiodorense ann. 578. can. 16. Id autem eo factum est, ne Religiosi vitæ solitariæ studium deponerent. Canon 6. Synodi Toletanæ 16. ann. 693. probat, [Tom. 6. Conc. col. 1340.] panem Eucharisticum candore, rotunditate, & exiguitate molis diversum omnino a pane communi consuetoque fuisse: integrum tamen fuisse, non partem aliquam ex integra massa divulsam. Eandem panis formam respexisse videntur Concilia quintum Arelatense, cap. 1. & Calchut in Anglia habitum [Tom. 5. Conc. col. 781.] circiter sub finem sæculi octavi, cum utrumque inhibuit, ne pro ejusmodi pane crustum aliquod adhiberetur. Primis Ecclesiæ sæculis suam quisque oblationem faciebat: Matiscique Concilium ann. 585. [Tom. 6. Conc. col. 1865.] cap. 4. decretum edidit in eos, qui secus fecissent. [Tom. 5. Conc. col. 981.]

Oblationum pars accipiebatur pro materia Sacrificii; ea erat, quam Fideles, Evangelio lecto, offerebant; pars altera benedicebatur, ad conficienda Eulogia: quod reliquum erat, alterius generis, in Ministrorum, aut Pauperum usum cedebat. Secundum Nannetis Concilium ann. 900. can. 9. panem [Tom. 9. Conc. col. 470.] tritum ac vulgatum, quem Ecclesiæ Fideles offerre solebant, ab Hostiis confectandis egregie distinguit. [Tom. 7. Conc. col. 1511.] Abbates Concilii ad Aquas-Sextias ann. 817. cap. 68.

illud

illud constituerant, ut Presbyteri eulogia in triclinio Fratribus elargirentur.

Sæculo octavo panis & vini Oblationi pecuniariam eleemosinam Fideles suffecerunt: ac, quemadmodum Laici paululum argenti elargiti putabant cujuslibet Missæ fructum sibi adipisci, ita Papa Eugenius II. tollendam censuit pessimam hanc consuetudinem, quæ in dies magis invalescebat. Vid. Conc. Romanum ann. 837. cap. 17. & Leonem IV. in Concilio Romano. Patres decimi sexti Concilii Toletani superius memorati observant, panem, qui in Missa consecrabatur, fuisse azymum.

Tom. 8. Conc. col. 109.
Tom. 6. Conc. col. 1341.

In Concilio Cæsarodunensi, can. 4. a Burchardo allato, legimus, infirmum illum, qui Viaticum accipiebat, communicasse sumendo Sanguinem Jesu Christi, & panem Sanguine aspersum; quod in usu fuit apud Cluniacenses, licet multo ante Concilium Bragense can. 2. cavisset, ne populo in communionis complementum Eucharistia distribueretur vino temperata.

Tom. 6. Conc. col. 563.

Fœminæ susinet manibus Eucharistiam accipiebant; id vetitum fuit in Concilio Antissiodorensi sub Anachario execunte sæculo 6. Can. 36. Can. vero 42. illud eisdem præscriptum fuit, ut manibus suis tenerent linteum, quod dicebatur Dominicale. Sed sæculo octavo Eucharistia dabatur etiam in manus fœminarum, quæ mox, ut earum mos est, eo temeritatis devenere, ut eandem aliis etiam distribuere vellent: tam pessimam consuetudinem Concilia neque in viris, neque in fœminis ferendam esse duxerunt. Vid. Concil. Parisiense ann. 829. cap. 45. part. prim. & Remense a Reginone allatum lib. 1. de Ecclesiasticis Disciplinis, a Burchardo, & a Gratiano. Concilium Rothomagense ann. 650. habitum can. 2. vetat, Laicos intra manus accipere Eucharistiam. In antiquis Carnuti Statutis ann. 1259. cautum est, ut Diaconi quovis Dominico die se communicent ea Hostia, quam sibi reservarunt: in Hudegari vero Statutis ann. 1273. Guillelmus Major reprehendit Curatos seu Parochos, quod Diaconis facultatem dabant excipiendi Confessiones, & absolvendi extra necessitatem, & ægrotis Viaticum deferendi; quod omnino inhibet, proposita Suspensionis pœna.

Tom. 5. Conc. col. 960.
Ibid. col. 961.
Tom. 7. Conc. col. 1626.
Conc. Rothom. Provinc. p. 8. V. Bochel.

Vocabulum Missæ usurpatum ad significandas publicas preces, quæ ab Ecclesia Eucharistiam offerente fiunt, primus omnium exhibet Canon tertius Concilii secundi Carthaginiensis ann. 390. habiti. Missa Quotidiana, cujus frequens celebratio sæculo sexto primum incæpit, sæculo octavo fere ubique quavis die celebrabatur. Statutum Synodi Papiensis ann. 855. & Constitutio Riculphi Suessionis Episcopi cap. 3. ostendunt, hujusmodi consuetudinem sæculo nono in Gallia magnopere viguisse.

Tom. 9. Conc. col. 417.
Tom. 5. Conc. col. 1711.

Sæculo septimo Episcopi & Presbyteri ante Altare in Missa publica communicabant. Vide Concilium 4. Toletanum coactum Sisenandi Regis anno tertio, cap. 18. Id vero probat, tunc temporis quemlibet Presbyterum non celebrasse quotidie Missam; postea usus obtinuit, ut Presbyter uno die plures Missas celebraret; quod a Concilio Emeritæ Augustæ ann. 666. coacto permissum fuit ob inopiam Presbyterorum, diebus tantum Dominicis, & in iis Parœciis, quæ unius Presbyteri curæ demandatæ erant. V. cap. 19.

Tom. 6. Conc. col. 507.

Etsi primis Religionis christianæ sæculis nonnisi unum in qualibet Ecclesia Altare extitisset, plura tamen processu temporis extructa sunt, & Carolus Magnus in Capitulario ann. 804. in Villa Theodonis cavit, ne Altaria in Ecclesia superabundent. Cum unum tantum in Ecclesia erat Altare, tum ibi permissa erat quotidiana plurium Missarum celebratio; quæ secus in hanc rem decreta sunt, ea unum eundemque Presbyterum, non diversos respiciunt; quod liquido constat ex can. 10. Concilii Antissiodorensis ann. 578. celebrati, cujus verba illud Episcopo supra alios Presbyteros deferunt, ut his non liceat Sacrificium offerre eodem die, eodemque in Altari, ubi Episcopus Missas dixerit: ergo Presbyteris permissum erat, unum post alium celebrare Missas in eodem Altari; alioquin inutilia sunt habenda, quæ circa Episcopos Concilium addenda existimavit.

Capitul. Tom. 1. col. 422.
Tom. 5. Conc. col. 938.

Sed neque permissum erat, Reliquias collocare in Altari, juxta Concilium Remense, cujus decreta nonnulla afferuntur a Reginone, Burchardo & Ivo; idque vetat etiam Ratherius in sua Synodali Oratione.

Translationes Reliquiarum plurimas intulere fallacias ad quæstum, & ad superstitionem, quas merito damnandas censuere Concilia, præsertim Magontinum cap. 51. ann. 813. Eodem sæculo Reliquiæ Sanctorum deferebantur adversus eos, qui privatorum bona aut usurpabant, aut vi rapiebant: cujus rei plura passim extant exempla. Concilium Lugdunense allatum in Sexto Decretalium de Of. ord. c. si Canonici condemnat, ac penitus reprobat *detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum Imagines, seu statuas irreverenti ausu tractantes, eas in aggravationem cessationis a divinis prosternebant in terram, & urticis spinisque supponebant.*

Tom. 7. Conc. col. 1252.
Tom. 11. Conc. col. 984.

Sæculo octavo nonnulli homines peculiares quosdam Confessores habebant. Humbertus, vel Bertus Offæ Mercianorum Regis Capellanus dicitur *conscius ejusdem secretorum & Confessor.* Stephanus, qui mox hæreticus fuit, dicitur Confessor Reginæ Constantiæ, uxoris Roberti Galliæ Regis in Actis Concilii Aurelianí allatis ad tom. 2. Spicilegii. Quin etiam unus idemque vir plures Confessores habebat, qui illius peccata audirent, & absolutionem ad extremum vitæ spiritum impertirentur: hæc tamen ipsa Confessio erat secreta, ut testantur Patres Concilii Tricassensis in Epistola ad Nicolaum Papam.

Conc. Britanniæ. Tom. 1. Spelman. p. 303.
Tom. 9. Conc. col. 842.
Tom. 8. Conc. col. 871.

Nam ad Presbyterorum quidem Confessiones quod attinet, Pontifex Zacharias in responsione ad Pipinum vetat, Presbyteros reconciliare manuum impositione, h. e. pœnitentia publica. De Presbyterorum Confessionibus fit etiam mentio in cap. 46. Concilii 6. Parisiensis Part. 1. Sed in primis hac de re consulenda sunt Concilia 14. Sæculo celebrata. Concilia Vaurii ann. 1368. cap. 81. & Narbonis cap. 18. statuere, Presbyteros Confessionis causa adire posse, quoscumque sibi deligere vellent in iis, qui necessariis ad hoc ministerium facultatibus instructi sunt. Chapellani nomen in Concilio Germanico ann. 742. primum apparet.

Tom. 6. Conc. col. 1506.
Tom. 11. Conc. col. 2008. & 2506.
Tom. 6. Conc. col. 1534.

In Conciliis sæculi octavi, & sequentium nonnulla occurrunt animadvertenda in publicæ pœnitentiæ Disciplina. Concilii Clovesho Patres sæculo octavo conquesti sunt, eam erogatis pecuniis Missarumque celebratione redimi consuevisse: Patres vero Conciliorum Cabillonensis & Remensis improbarunt & damnarunt peregrinationes & itinera pœnitentiæ causa suscepta. Concilium Clovesho ann. 747. eam periculosam consuetudinem existimavit, qua pœnitentia eleemosinis commutaretur: Concilium vero Lateranense ann. 1215. cap. 62. nimis frequentem Indulgentiarum concessionem vituperat, eo quod nimia indulgendi facilitas & Ecclesiæ claves paulatim in contemptum adducit, & ipsius pœnitentiæ vim imminuit atque debilitat.

Tom. 7. Conc. col. 1282.
Tom. 11. Conc. col. 216.

Fideles pietate & charitate, peccatores vero æternitatis cogitatione adducebantur ad dotandas Ecclesias. Quid enim non in illorum animis poterat redimendorum peccatorum, salvandarumque animarum flagrans studium, & accensa cupiditas? Jam compulsi & erecti Ecclesiæ Patrum exhortationibus, qui locupletum vitia graviter insectabantur, iisque æterna supplicia non resipiscentibus proponebant, nihil sibi potius faciendum putabant, quam ut eadem eleemosynis copiose datis a se ipsis deprecarentur: legendi sunt in hanc rem Salviani sermones, in iis præsertim quatuor Libris, quos Timothei nomine ad quamdam Ecclesiam scripsit. Sed ad id adigebantur etiam proborum hominum exemplis, qui pecunias variis rationibus affluenter erogabant, ut accepimus de Chrodino, cujus elogium habetur lib. 6. Histor. Gall. cap. 20. auctore Gregorio Turonensi; ut de Regina Radegunda, lib. 9. cap. 40. Ibid. &c.

Hæc, aliaque ejusmodi, ut ego arbitror, in causa fuere, cur brevi ditescerent Ecclesiæ & Monasteria, quibus innumeræ bonorum donationes passim fiebant; sed hæc ipsa tamen processu temporis immoderatam vivendi licentiam, impunitatemque invexêre. Cum enim illud plerique facile crederent, peccata omnia, quantumvis immania, piis tamen

dona-

donationibus eleemosinisque remitti, iidem ad omnia scelerum vitiorumque genera ultro delabebantur, ita sibi persuadentes ea legatis piis minimo negotio elui expiarique posse: quam istorum tam perversam opinionem penitus improbavit Concilium Chabillonense secundum an. 813. can. 36.

Tom. 7. Conc. col. 1280.

Porro publicæ Pœnitentiæ ad extremum vitæ subeundæ ratio ea erat e multis una, ut pœnitentes cinere cilicioque se contegerent. Capitularia lib. 5. iis, qui sibi pœnitentiam postulant, illud præscribunt, ut cilicio a Sacerdote tegantur, quemadmodum ubique statutum est, atque ita manuum impositionem accipiant. Cilicium porro annum integrum deferebant juxta can. 135. Capitul. Vid. Concil. Toletanum III. cap. 12. Id vero moris, quoad infirmos, obtinuit usque ad sæculum decimum tertium.

Tom. 1. Capitular. col. 816.

Tom. 5. Conc. col. 1013.

Quod autem Daillæus inquit, publicam pœnitentiam penitus exolevisse sæculo decimo tertio, sive exacto Innocentii III. Pontificatu, id falsum omnino est; siquidem in Synodo Rothomagensi an. 1245. illud inter cætera præceptum fuit, ut Parochi suos quique Pœnitentes initio Quadragesimæ in Ecclesiam Cathedralem solemniter convocent, eo fine, ut inde ejiciantur ab Archiepiscopo, & ab eodem Archiepiscopo die Jovis ante Pascha reconciliati reducantur.

In Concilio Londinensi an. 1268. illud præcipitur, ut servetur forma Absolutionis, *ego te absolvo, authoritate qua fungor*: in Nemausano an. 1284. post *Indulgentiam* additur, *& ego te absolvo authoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & officii mihi commissi, ab iis peccatis quæ confessus es & aliis oblitis*: in Frisingensi an. 1440. *ego te absolvo a peccatis tuis & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris, &c.*

Tom. 11. Conc. col. 869.

Ibid. col. 1207.

Tom. 13. Conc. col. 1297.

Tam in Germania, quam in Gallia, & in Ecclesia Romana Pœnitentiæ obnoxii erant milites ipsi, qui in bello etiam justo depugnaverant. Nam, præterquamquod ab armorum tractatione raro admodum abesse solet injustitia, tum in omnibus fere bellis sæpissime incertum est, qua parte stet causæ æquitas ac justitia, ut habetur can. 3. Concilii Tiburtini an. 895. Eodem modo Provinciæ Remensis Episcopi an. 923. coacti gravem admodum inflixere pœnitentiam iis omnibus, qui in bello ad Suessionem Robertum inter, & Carolum dato interfuerunt, licet Carolus, cui cognomentum *Simplex*, legitimus Rex esset, Robertus vero Comes, & perduellis. Liber Pœnitentialis Romanus tit. 1. c. 20. eandem disciplinam servat: Canon tertius Concilii Suession. an. 909. totus in eo est, ut Monasticam Disciplinam Abbatum regularium incuria collapsam revocet atque restauret: quæ in hanc rem affert, observatione dignissima omnino sunt.

Tom. 9. Conc. col. 458.

Ibid. col. 581.

Ibid. col. 527.

Abstinentia ab escis die Sabbati extra Quadragesimam, & quatuor Tempora sæculo decimo invecta fuit. Gregorius VII. in Concilio Romano vult id religiose observari, nisi aut infirma valetudo, aut alia major solemnitas eodem die occurrens aliud suadere videatur. Juxta Gotfredum Priorem Vigeensem Urbanus II. in Concilio Claromontano præscripsit, ut qualibet die B. Virginis Horæ recitentur, Sabbato vero ejusdem Officium fiat. Si fides Spelmanno est habenda, vocabulo *Beltidum*, quod habetur in Canone 10. Concilii in Anglia 816. habiti, designatur *Rosarium*: sed Du-Cange dissentire videtur: Mabillonio vero nullum dubium est, quin eo vocabulo certus quidam Orationum Dominicalium numerus denotetur. Eudus Parisiensis Episcopus, & Mauritii successor post annum 1196. in Statutis suis numero 10. præscribit Presbyteris, ut Populum assidue hortentur ad recitandam Orationem Dominicalem, *Credo*, & B. Virginis Salutationem. Similia decreta ex Conciliis Normaniæ afferunt P. Pommeray, ac deinde P. Bessinus. Concilium Senonense probat decretum illud, quo Joannes XXII. Indulgentias concedit iis, qui post Solis occasum tres *Ave* recitarent. Addit idem Concilium triginta alios Indulgentiæ dies concedi iis, qui eandem Orationem, adjuncto *Pater* recitabunt pro Sanctæ Ecclesiæ Exaltatione, pro Regni felicitate & pace, pro Regis, totiusque regiæ Familiæ incolumitate. Ut Populi ad hasce

Grat. decr. de Consecr. 15. c. 31.

Tom. 10. Conc. col. 511.

Tom. 7. Conc. col. 1489.

Tom. 10. Conc. col. 1806.

Conc. Norm. Bessin. p. 38.

Tom. 11. Conc. col. 1915.

Indulgentias promerendas vehementius incitentur, Pastores ex Concilio Vaurii 1368. habito debent sub pœna excommunicationis eos, oriente Sole, admonere sonitu Campanæ ejus, quæ decidente pulsatur, concessis triginta Indulgentiæ diebus iis omnibus, qui flexis genibus in honorem quinque Plagarum Domini nostri Jesu Christi recitabunt quinquies Orationem Dominicam, septies autem Angelicam Salutationem.

Ibid. col. 2028.

Precum Societates non solum apud Religiosos regulares, sed etiam apud Clericos & Laicos in usu esse cœperant; huc sane referenda sunt, quæ Carolus magnus inquit in Epistola ad Elipandum, & ad alios Hispaniæ Episcopos; tum quæ statuta sunt ab Episcopis in Concilio Saponariensi habito medio nono sæculo exacto.

Tom. 8. Conc. col. 673.

Convivia, & sacra anniversaria, quæ Abbas Hilduinus in suo Monasterio instituerat ad memoriam Sanctorum ibi sepultorum certis diebus recolendam, Concilium Pitres an. 862. confirmavit. Spelmannus refert, Ethelredum Mercianorum regem ratas habuisse eas donationes, quas ejus frater & sorores alicui Monasterio fecissent, & Agathonem Papam cum eas approbasset, insuper eos voto solvisse, qui Romam adire voverant, dummodo istiusmodi Monasterium inviserent.

Ibid. col. 756.

Campanæ pulsabantur pro morti proximis, non secus atque pro mortuis: quod Concilium Calchut faciendum edixit post Episcopi mortem.

Tom. 7. Conc. col. 1489.

In Germania non sepeliebantur mortui in Ecclesiis Parochialibus, nisi cum in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, & in Religiosorum Religiosarumque Monasteriis sepeliri non potuissent, nam Canone 5. Concilii Triburiensis 895. præscriptum est, ut defunctis exequiæ fierent in Ecclesia Episcopali; ut, nisi locorum longinquitas, aut quævis alia ratio vetet, sepeliantur in Ecclesiis Canonicorum, vel Religiosorum, quorum preces magni ponderis sunt apud Deum, aut eo saltem in loco, cui decimam viventes solvebant.

Tom. 9. Conc. col. 449.

Concilium Antissiodorense can. 15. vetat, *mortuum super mortuum poni*, eo fortasse fine, ne Sanctorum & Martyrum cineres interturbentur. Hanc potissimum hujusce moris causam fuisse confirmare videntur, quæ Ammonius de Sanctis Monachis Sinaitis refert, pag. 129. Elatus est, inquit, unus ex his Monachis, isque sepultus non cum Sanctis, sed loco ab eorum sepulchris dissito, ut ne in posterum rursus detegeretur, aut neve Sancti & Martyres Christi perturbarentur. Ex hoc profecto est ea formula, quam legimus in Epitaphio ab Aringho allato.

Tom. 5. Conc. col. 959.

Combefis Acta Mart.

Lib. 1. de Roma subterr. cap. 26. p. 89.

Viri sæculares ad extremum vitæ habitum alicujus Ordinis Religiosi ex more induebant; id profectum videtur ex iis, quæ constituta sunt in Concilio Tolesano tertio c. 12. & quarto c. 54 & 55.

Tom. 5. Conc. col. 1012. & 1718.

Direptionibus Barbarorum, qui Romanum Imperium everterunt, Ecclesiæ mores cœperunt in pejus ruere, christianorumque non pauci licentius vivere. Epistola canonica S. Gregorii Thaumaturgi, & tres D. Basilii epistolæ ad S. Amphilochium pœnitentias recensent, iis imponendas, quos Barbarorum in Cappadociam incursiones in varia genera scelerum vitiorumque pertraxerant. Patres Concilii primi Bragensis an. 411. habiti plurima conqueruntur ex his incursionibus mala & incommoda redundasse in Hispaniam, in qua amplius non satis tutum, neque liberum erat, Populos erudire, Presbyteros Doctoresque creare, invisere proprias oves, Concilia cogere, aut ea demum agere, quibus Ecclesiastica Disciplina sustinebatur.

Tom. 2. Conc. col. 1508.

Barbaris Regibus Christianam Religionem vix dum ingressis, Episcopi illorum Conciliis se statim immiscuerunt, suamque omnem auctoritatem, & Ecclesiæ potentiam ad sustentandos pauperes, & ad augenda publica commoda contulerunt. Operæ pretium est videre in Anastasio, quæ a S. Gregorii usque ad Caroli Magni tempora summi Pontifices peragenda putarunt sive ad Romam restaurandam, & non solum ad excitanda templa, & xenodochia, sed ad vias etiam ornandas, & aquæductus deducendos, sive ad Italiam a Barbarorum furore, & Græcorum avaritia vindicandam; ex quibus omnibus id facile colligas, Pastores optimos civili rerum administrationi numquam officisse.

Ubi

Ubi Monasteria & loca sancta bellorum tumultu, & frequentibus Normannorum irruptionibus pleraque sunt eversa ac destructa, Ecclesia divitiis & honore cœpit destitui. Ædes sacræ, quæ rursus excitabantur, antiquis magnificentia longe inferiores, rudi lapide construebantur; altaria columnis instructa æratis; ex ære Cruces, ex ære facta Candelabra; ex auro argentoque Calices tantum, iisque non nisi locupletiores Ecclesiæ utebantur. Tanta hac rerum inopia sese inserente, Concilia Calchut in Anglia ann. 787. can. 10. Triburiense an. 895. can. 18. & Remense prohibuerunt, ne vitrei, aut cornei, aut lignei, aut ærei calices adhiberentur, iis tantum, qui ex stanno conflati essent, permissis an. 1317. Concilii 4. Ravennatensis tempore rubr. 12. nam multo ante hoc tempus legimus, S. Exuperium Domini nostri corpus vase vimineo, sanguinem vero vitreo circumtulisse; sed, ut egregie animadvertit S. Hieronimus, ad id tum demum devenit, cum illum profusa in pauperes charitas totum exhausisset.

Illud præterea moris invaluit, ut Officii publici tempore privatæ Missæ celebrarentur, ac plura etiam eodem tempore peragerentur Officia diversa: quæ dum habebantur, eo processit quorumdam Christianorum insolentia, ut Ecclesiam totam irreligiose obambularent, ac de profanis, & a divino cultu alienis rebus fabularentur. Ex Can. 8. sess. 21. Concilii Basileensis colligimus, Ecclesias a strepitu non fuisse remotas, nec satis spatii circum habuisse in usum pomparum solemnium, seu, ut nostri dicunt, Processionum; id visum esset urbium magnitudini nimis efficere.

Tom. 12. Conc. col. 554.

Tom. 8. Conc. col. 147.

Sæculo nono, sc. tempore Concilii Papiensis an. 855. celebrati Episcopi conquesti sunt, Ecclesias desiisse a divitibus, & potentibus frequentari, eosque variis exhortationibus compulerunt, ut Festis saltem solemnioribus ad Ecclesiam accederent. Ex Conciliis habitis sub Leone IX. Alexandro II. Gregorio VII. & Urbano II. colligimus, Ecclesiæ Disciplinam, Populorumque mores cœpisse a confusione & licentia aliquantulum respirare, exeunte sæculo undecimo. Sæculo nono adhuc erant in usu peregrinationes ad loca sanctitate insignia susceptæ, quæ mox multorum malorum causa extitere, adeo ut fuerint condendæ Leges ad vagos palantesque coercendos, qui, pœnitentiam simulantes, huc illuc armati discurrebant, & obviis quibusque metum damnumque inferebant. *Vid. Concil. 2. Chabillonense an. 813. & Capitulare ad Aquas-sextias an. 787.*

Tom. 7. Conc. col. 986. & 1282.

Laici ex octavo usque sæculo Parœcias sibi usurpaverant, reclamantibus Conciliis Magontino an. 813. can. 41. Ingelhemii an. 948. can. 4. Ausburgi an. 952. Presbyteri Missam celebrabant non communicantes: hujus criminis Joannes XII. traductus est reus in Concilio Romano coram Othone magno. Concilia Romanum, Rothomagense, & alia huic malo remedium attulerunt juxta Oderieum lib. 4. part. 527. Subdiaconi corpus Christi Domini, sive hostiam consecratam vendebant Episcopis, dum consecrarentur: Concilium Ravennatense ostendit, quam contrarium id Ecclesiæ legibus, & injuriosum sit.

Tom. 7. Conc. col. 1251. Tom. 9. Conc. col. 625. & 637.

Tom. 2. Conc. Gall. p. 133.

Ex irruptionibus Normannorum innumeræ exortæ sunt expilationes direptionesque in Ecclesia Gallicana, & in plerisque Monasteriis; adeo ut Abbates laici una cum illorum fœminis, liberis, militibusque habitarent. Concilii Suession. Patres an. 909. tam depravatum consuetudinem graviter dolent.

Tom. 9. Conc. col. 527.

In Anglia Eduardus Alphredi filius tanta animi contentione & ardore in rem bellicam incubuit, ut, virtutum studio prorsus neglecto, incredibilis rerum ignoratio & negligentia omnia occupaverit; adeo ut in toto Saxoniæ Regno nullus Episcopus reperiretur. Gravissimæ in hanc rem Joannis IX. querelæ fuerunt: quibus commotus Rex Concilium cogi jussit per Plegmondum Episcopum Cantuariensem, in quo Septem Episcopi pro septem Ecclesiis creati sunt. Cæterum Ecclesiam Cantuariensem Monachi habuerant ab Apostolatu S. Augustini usque ad sæculum circiter nonum; quo exeunte Clerici demum suffecti sunt. Spelmannius privilegium adducit ab Ethelredo Rege hac occasione concessum an. 1003. idemque Cnuti decreto confirmatur an. 1018. Concilium Clovesho can. 24. notat, quinam esse debeant Religiosorum mores.

Conc. Aug. tom. 1. p. 505. *Salmen Concil.*

Concilium Metense exeunte sæculo nono habitum graviter conqueritur de longa Conciliorum Provincialium prorogatione, idemque reformationem morum proponit tanquam præsidium tutissimum ad eam pacem reducendam, quæ, Normannis invadentibus, procul exulaverat. Eodem morum reformandorum studio ducebantur Patres in Concilio Suession. an. 909. Concilia illius temporis omnia graviter invehuntur in eos, qui Canones violabant, qui simoniam committebant, qui dignitates & bona usurpabant, qui patrabant homicidia, & incæstus; præcipue vero in Presbyteros, qui uxores ducebant. Hæc omnia vitiorum genera erant recens invecta, nulla amplius neque status, neque personarum habita ratione. Concilium Romanum sub Gregorio V. vehementer redarguit Robertum regem, qui Bertam consanguineam sibi in uxorem copulaverat. Concilium Nannetense cap. 3. Presbyterorum nuptias condemnat. Narbonnense an. 1054. cap. 2. proponit inducias, tanquam optimum homicidiis remedium. Simonia sese late explicuerat; iique, qui aut electi, aut designati erant Episcopi, in Fidei Professione quatuor tantum generalia Concilia commemorabant. Concilium Moson. damnat istiusmodi abusum, eumque vocat a Sanctis Legibus alienationem. Coadjutorum numerus jam creverat fere in immensum, quamvis neque sacram benedictionem acciperent, neque insignia Episcopalia deferrent; Adalbero tamen Udalrici Ausburgensis nepos, & successor designatus voluit baculo Episcopali insigniri, sibique temporalem etiam administrationem tradi. Id Concilium Ingelhemii vehementer reprehendit, parumque abfuit, quin illum perpetuo Episcopali dignitate spoliaret. Stephanus Velaunensis, qui, vivente patruo VVidone electus fuit, non etiam a populo confirmatus, a Concilio Romano sub Gregorio V. ad pristinum vitæ statum redactus est.

Tom. 9. Conc. col. 413.

Ibid. col. 521.

Ibid. col. 772.

Ibid. col. 469.

Ibid. col. 1072.

Ibid. col. 748.

Ibid. col. 710.

Tom. 9. Conc. col. 773.

Tempore Concilii II. Lateranensis an. 1139. celebrati propter Schisma, quod tamdiu Christianam Rempublicam tenuit, morum Disciplina elanguebat pæne intermortua. Jam silebant Canones; jam simonia, clericorum intemperantia, duellorum, bellorumque privatorum furor, ac rabies, gladiatorum ludi, consanguineorum nuptiæ, Beneficiorum contra leges possessio, dissoluti & impudentes Monachorum Religiosarumque mores, disciplina pœnitentiæ immutata atque eversa turpiter Ecclesiam deformaverant; Concilium II. Lateranense, & Innocentius II. qui Concilio præerat, 28. Canones edidere, quibus aliquod tantis malis remedium adhiberetur; Patribus omnibus adeo in unam Disciplinam intentis, ut schisma Petri Lugdunensis & hæreses Petrobusianorum, & Arnoldi Brixiensis non nisi duobus conditis Canonibus condemnaverint.

Tom. 10. Conc. col. 1002.

Sed & an. 1179. Concilio tertio Lateranensi jam coacto, simonia in Ecclesiis & Monasteriis grassabatur, fastus & avaritia vigebant inter Ecclesiasticos, immanes usuræ Laicorum animos occupaverant: in Beneficiorum collatione nulla meritorum, nulla probitatis ratio habebatur: promovebantur ad honores nullo discrimine juvenes, indignique: judiciorum Ecclesiasticorum ordo passim negligebatur: Polygamia spiritualis etiam in Clericatum irrepserat. Studuit his malis medicinam afferre Alexander III. editis 27. Canonibus.

Tom. 10. Conc. col. 1507.

Concilia aliquid aliquando de vetere Disciplina remittendum putarunt, ut cederent Imperatorum potentiæ, Legumque civilium auctoritati; quod certe negari non potest: sed neque illud negandum est, Ecclesiam, ubi primum a vi metuque respirare licuit, continuo se se recepisse, & adversus invectos abusus valde reclamasse.

Concilium Arelatense Can. 10. viros, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, hortatur, ut alias ne ducant, viventibus iis, quibus primum nupserunt. Hortatur, inquam, non etiam obligat, ut aliquid deferre videatur civilibus legibus, per quas licebat, divortio facto, aliam ducere.

Et sane in Ecclesia Latina locum habebat divortium; quo semel secundum leges probato ab iis, ad quos cognitio causæ spectabat, poterant vir & fœmina aliud pro arbitrio matrimonium contrahere. Consuetudo hæc tam perversa, & Jesu-Christi legi omnino contraria, diu tamen toleranda fuit, antequam potuerit rejici, & ab Ecclesia, reditu prorsus omni intercluso, exterminari. *Marculph. form. l. 2. c. 30.*

Ecclesia semper damnavit quosdam abusus, veluti profanas in Festis lætitiæ significationes in Synodo Branovii an. 124. cap. 4. Absurda spectacula, quæ per summam impudentiam in Ecclesias ipsas irrepserant, damnata sunt a Concilio Basil. sess. 21. Qui vere sancti Christianique fuerunt, semper hæc censuerunt rejicienda. In primis vero pravis consuetudinibus naviter obstitit S. Carolus in Conciliis Mediolanensibus. Inter cæteras Concilii Viennensis an. 1311. Constitutiones ea præsertim eminet, quæ ad Regularium Privilegia pertinet. Hanc porro confirmavit Synodus Tridentina cap. 15. Sess. 23. de Reformatione: quæ processu temporis Concilia in Provinciis habita sunt, eo omnia spectarunt, ut Ecclesiasticam, & Monasticam Disciplinam collabentem restituerent. Omitto ea, quæ multo plura in hanc rem notari possent, ex unis Conciliis petita, cum plurima adhuc supersint animadvertenda ab iis, qui aliquem ex hac cognitionum congerie fructum & utilitatem percipere student. *Tom. 11. Conc. col. 374.* *Ibid. col. 1567.*

Ad Ecclesiæ disciplinam funditus intelligendam, primum comprehendi debet quorundam verborum vis, & explicatio difficultatum, quæ Concilia legentibus occurrunt. Albaspinæus plures ex his interexplicavit: Cabassutius, & Thomassinus multam in hoc operam contulere: Glossarium etiam Du-cange prodesse mire potest. De hoc studii genere plura deinceps edisseram. Optandum sane esset, ut, quod Binius sibi faciendum proposuit, id aliquis alius ad exitum perduceret, nimirum ut *Canones, quibus Hæretici abutuntur, obscuriores illuminaret, dubios confirmaret, falsos refutaret*, neque ullam Hæreticis Religionis nostræ oppugnandæ ansam relinqueret. Atque ita cognoscenda est Ecclesiæ mens, ut Joverius observat in Præfat. *Si nostri temporis, inquit ille, quo disciplina Ecclesiastica & morum integritas languit deferbuitque, ratio habeatur, nonnulla statuta* (ut Concilii Nicæni) *rigida, difficilia, aspera, & æquitati adversa videbuntur. At si priscam ætatem illam consideres primitivæ ferventis ac novitiæ Ecclesiæ, æqui bonique consulas eum, qui tunc expediebat rigorem. Ad hæc prudentia Christiana ita exigebat ad eliminandos profanos quosdam ritus paganorum, qui recens Christo dabant nomen, quos imbiberant, cum quibus adoleverant, ac proinde eosdem Religioni Christianæ conjungere conabantur. Contra hæc monstra in his antiquis Synodis acerrime pugnatum est: & nisi quia hujusmodi consideratione in legendis antiquis Conciliis probe muniitur, multa leviter, insulse, ac ridicule in eis statuta existimabit.* *Præfat. ad Collect. Conc.*

Veri nominis Theologus, inquit Thomassinus, admiratur Politiam ab antiquis Conciliis comprobatam, eam tamen semper in judicando sequitur, quæ posteriorum auctoritate confirmatur. Neque enim, inquit Hugo de S. Victore, levitate quadam & inconstantia factum est, ut, antiquis rejectis, novæ consuetudines inducerentur. Patres ea jussere, quæ illis temporibus accommodata Fidelium bono inserviebant: Si quædam mox ad nonnulla præcavenda mala Ecclesia censuit immutanda, non idcirco ab antiquorum Canonum mente discessit. Illud enim satis est, inquit D. Augustinus, *Si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia; nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ audaciæ est.* *In resp. ad anon. Script. anon. n. 14.* *l. 2. de Sacr. fid. p. 2. c. 12.* *Epist. 54. n. 6.*

Non eo tamen id dictum velim, quasi Canonum omnium æterna lex fuerit, aut par eademque omnium vis, nullumque discrimen. Multos enim constat, prout res ac tempora flagitabant, a posterioribus antiquatos, nonnullos ævi sui gentisque labem & ingenium redolentes ægre receptos, brevi etiam apud suos sponte sua concidisse. Hæc animadvertit P. Sirmondus in Præfat. ad Concil. Gall.

Licet igitur non ejusdem omnes auctoritatis sint, licet Canones Conciliorum Provincialium & nationalium cum Conciliorum OEcumenicorum canonibus non ullo pacto sint conferendi, non mediocris tamen ipsis veneratio tribuenda est, & aliquid auctoritatis deferendum in iis præsertim rebus, quæ ab OEcumenicis Conciliis definitæ non sunt. Et sane Conciliorum minorum Canones ita semper venerata est, & suspexit antiquitas, ut, præter suam universæ Ecclesiæ Canonum Collectionem, particularium etiam Ecclesiarum collectionem habuerit, unius ope & consilio omnia moderabatur ac regebat. Hujus antiquitatis insigne monumentum adhuc exstat Ecclesiarum Africanarum Canonum Collectio, quam Patres semper habuerunt tanquam Ecclesiasticæ Disciplinæ thesaurum, vere aureum, & ad verbum ediscendum volumen. Ex iis, quæ contigere in Concilio Carthaginensi usque ab an. 419. in quo multarum Ecclesiarum decreta recitata sunt, facile cuivis apparet, non novum & insitatum fuisse, Canones Conciliorum particularium colligere, & inde veluti certam agendæ vitæ normam regulamque desumere.

Mirandum non est, differentiam & contrarietatem aliquando inter nonnullos Conciliorum Canones prima facie intercedere, cum ea de medio omnino tollatur, ubi illos conferas cum illorum temporum disciplina, quam alii rursus alterius Ecclesiæ Canones detexerunt. Hinc in Concilio Tarraconensi cap. 11. observanda proponitur ea Constitutio, quam Galliæ Canones circa Monachos ediderunt: Concilium Ilerdense cap. 3. jubet te consulere Synodos Agatensem, & Aurelianensem: Valentinum cap. 2. quæ facienda sunt post Episcopi mortem, ea peti vult ex Concilio Regensi: decimum Toletanum decernit, Potamium Episcopum, qui crimen suum fuerat confessus, etiam condemnatum fuisse juxta tit. 4. Concilii Valentini in Gallia. Inter Canones Conciliorum Gallicorum, & Hispanicorum magnus intercedit quasi consensus concentusque, qui ex eo certe videtur esse profectus, quod inter easdem Ecclesias magna etiam intercederet concordia, ac veluti mutua veneratio tum erga seipsas, tum erga Sacrorum Canonum auctoritatem. *Tom. 4. Conc. col. 1565.* *Ibid. col. 1611.* *Ibid. col. 1818.* *Tom. 6. Conc. col. 468.*

Leges a Conciliis particularibus editæ non tenent plerumque, nisi eos, qui intra ipsorum Conciliorum fines comprehenduntur. Obligatio ab ipsis injuncta ipsarum Ecclesiarum, quas repræsentant, majore, minoreve amplitudine & dignitate definitur: hinc ex. gr. Concilii nationalis decreta, quæ totius nationis Ecclesiam repræsentant, obligant eos omnes, qui hanc nationem constituunt; decreta vero Conciliorum patriarchalium eos tantum obligant, qui in patriarchali jurisdictione immediate, vel mediate constituti sunt. Idem dicendum est de legibus a Conciliis primatialibus vel provincialibus promulgatis, quibus ii solummodo tenentur, qui Primatis, aut Metropolitæ jurisdictioni obnoxii sunt.

Dixi *plerumque*: nam accidit aliquando, ut Leges a Conciliis particularibus editæ ab aliis etiam extra Conciliorum fines Ecclesiis recipiantur: tunc vero iis tenentur istarum quoque Ecclesiarum Christiani. Hujusce rei perillustre exemplum habemus in quinque Orientalis Ecclesiæ Conciliis: Neocesareensi, inquam, Ancyrano, Antiocheno, Gangrensi, & Laodiceno. Hæc non solum ab universa Orientali Ecclesia, sed etiam ab Occidentali recepta sunt; ex quo fit, ut, licet ipsa per se particulari tantum auctoritate prædita sint, recepta tamen ab utrisque Ecclesiis universalem acquisierint.

Etsi Conciliorum particularium Leges Conciliorum generalium Legibus sint auctoritate inferiores, tamen, si forte illis contrariæ deprehendantur, non continuo, ubi agitur de disciplina, Conciliorum generalium Leges sunt particularium legibus anteferendæ; nam si vigeant perdurentque causæ eæ & rationes, propter quas particularium Conciliorum gratia Generalium legibus derogatum, dubitari non potest, quin eo casu particularium Leges generalium Legibus sint præferendæ; quod si causæ ex rationesque cessaverint, tunc Conciliorum particularium leges generalium legibus non

sunt

sunt anteponendæ, cum his major firmiorque insit auctoritas.

Etsi aliquando Summus Pontifex alicujus Provinciæ Concilia probat, ac rata habet, non tamen idcirco ea vult ejusdem esse per omnem Ecclesiam auctoritatis; nam, dum approbat, non declarat, se universales quædam leges approbando condere voluisse. Hinc videmus, decreta Conciliorum Rothomagensis an. 1581. Remensis, Burdigalensis, & Cæsarodunensis 1583. Biturigensis 1584. ad Aquas-sextias, Mexicani 1585. Tolosani 1590. Aquilejensis 1596. Mechliniensis 1607. licet fuerint a S. Sede approbata, non tamen in omnibus Occidentis Ecclesiis auctoritatem obtinuisse. Siquidem judicatum est, ea Pontificem non approbasse, nisi illarum Provinciarum causa, a quibus condita fuerunt; præterea & aliarum Provinciarum consensum necessario fuisse requirendum ad hoc, ut vim legis apud omnes obtinerent.

Licet vero aliquid discriminis interesse dixerim inter Canones Conciliorum generalium, & Canones Conciliorum particularium quoad disciplinam, non tamen idcirco contendo, priores fuisse semper apud omnes Ecclesias receptos. Quemadmodum enim Leges non semper ita generatim perlatæ sunt, ut ab earum receptione non aliquem locum vel ipsius Legislatoris privilegium, vel jam confirmatus in contrarium usus exemerit; ita nonnulli sæpe existunt Conciliorum generalium Canones, ad disciplinam spectantes, qui non in omnibus Ecclesiis recepti sunt. Ita vigesimus Concilii Nicæni canon, quo oratio Dominicis diebus, totoque Paschali tempore facienda præscribitur, nunquam apud omnes generatim Ecclesias obtinuit: ex quo apparet, eum quarumdam solummodo Ecclesiarum causa fuisse exaratum. Ita Canones secundi Concilii OEcumenici S. Gregorii tempore nondum erant ab Ecclesia Latina recepti, neque deinceps vere fuerunt: licet tandem coacta fuerit admittere, quæ in favorem Sedis CP. ibi præscripta sunt. Ita Canones Ephesini non habentur in Codice Dionysii Exigui, qui censetur esse Ecclesiæ Romanæ Codex, non quod eos ipsa rejecerit, sed quod nonnisi hæreticos Nestorium Cælestiumque respiciunt. Ita vigesimus octavus Chalcedonensis nunquam ab Ecclesia Romana receptus fuit, & plerumque a Latinæ Ecclesiæ collectionibus abest. Ita tandem Disciplinæ Canones conditi a Concilio Tridentino nondum in Gallia promulgati fuerunt, eo quod aliqua contineant, quæ illius gentis consuetudini & libertati officere videntur. Sunt enim Galliarum reges Canonum Custodes & executores: antequam igitur recipiantur, videant oportet, ne quid contineant, quod Canonibus jam receptis, quod Gallicanæ Ecclesiæ Disciplinæ, quod Majestatis juribus, totiusque Regni tranquillitati adversetur. Nam in iis, quæ extra geruntur, h. e. quæ externam disciplinam respiciunt, ipsi sunt Episcopi a Deo constituti, ut de se ipso ajebat Constantinus Magnus, sive ut de Constantino Magno inquit Eusebius.

Nos quidem in Gallia religiose observamus quoscumque etiam solius Disciplinæ Canones, qui in quatuor primis Conciliis generatim receptis exarati fuerunt; præterea eos, quos antiqua ediderunt Galliæ Concilia, quæque in Provinciis particularibus postremis hisce temporibus, præsertim post Concilium Tridentinum, habita sunt. His porro magnus etiam eorum omnium numerus addendus est, qui per omnem Ecclesiam ab eodem Tridentino Concilio rursus excitati confirmatique sunt. Ex hoc genere sunt primum ii, qui Clericorum vitam doctrinamque, resque ab ipsis fugiendas respiciunt: Canones hi, quorum maximus est numerus, omnes a laudato Concilio rursus confirmantur eo decreto, quod extat *sess.* 22. *c.* 1. *de reformatione*. *Statuit Sancta Synodus* &c. Sessione vero 25. de reform. cap. 17. & 18. renovat confirmatque Canones, & decreta, quæ ad Episcopos præsertim, eorumque agendi rationem spectant: *Sancta Synodus, sacros Canones* &c. Tandem fere in omnibus de reformatione decretis, dum peculiares quasdam res corrigendas aggreditur, ut Residentiam Episcoporum, Beneficiorum singularitatem, & alia his similia, declarat, se in hoc antiquis Canonibus adhærere, eodemque tempore eos condemnat tanquam Canonum horum sacrorum violatores, qui secus fecerint.

Quod vero attinet ad Canones, qui non a Concilio Tridentino nominatim confirmati sunt, & contraria obtinente consuetudine, abrogati videntur, adhuc verum est, ab iis observandis non sine ulla ratione eximi posse; eam vero futilem esse & inanem, quæ ducitur ex eo, quod neque quisquam alius hujusmodi Canones observet, neque pœna inde plectatur. Nam in Canonibus distinguere oportet ea, quæ sunt juris positivi, & ea, quæ naturalis ac divini juris sunt. Plerique hæc diversa jura comprehendunt: ex. gr. plures Canones vetant, ne quis plures Præbendas in diversis Ecclesiis eodem tempore possideat. Hæc prohibitio complectitur aliquid juris positivi ab hominibus constituti, propositis quibusdam pænis, a quibus homines neque afficiebantur ante hosce Canones, & ab ipsis hominibus eximi possunt. Sed hoc ipsum jus positivum innititur immutabili illa æternaque lege, quæ ordinem perpetuo observari vult; innititur jure naturali & divino prohibente, ne quis ea sibi in Ecclesia sumat officia, quibus satisfacere apte non potest, cum unus idemque in duabus Ecclesiis eodem tempore esse non possit; ne divinus cultus imminuatur, quod fit ab eo, qui unus eum locum occupat, in quo duo Deo inservirent; ne alteri demat, quo honeste ali posset in Ecclesiæ ministerio collocatus; ne quis voluntatem Testatorum inanem reddat, &, ipsis invitis, eorum bona abliguriat, quæ certis quibusdam conditionibus Ecclesiæ reliquerunt. In iis igitur, quæ sunt juris positivi, homines dispensare possunt, ubi contraria consuetudo invaluerit: quo casu tolli potest etiam pœna a jure positivo irrogata: iidem tamen non possunt dispensare in iis, quæ a jure naturali & divino proficiscuntur, ut egregie S. Thomas *Prima secundæ qu.* 97. *art.* 4. *ad tert. & secunda secundæ qu.* 66. *art.* 7. *in corp.* Igitur a jure divino & naturali non hominum auctoritas, neque contraria consuetudo, sed aut necessitas, aut caritas in alios, aut verum aliquod & insigne Ecclesiæ bonum dispensare potest. Idem dici debet de iis Canonibus, qui aliquid juris positivi continent; Si qua enim existat contraria consuetudo, quæ & vetus sit, & ab Ecclesia cognita, & in publicis Judiciis ab eadem tolerata, tunc hujusmodi Canones censeri possunt velut abrogati. Contra vero credendum non est, eos a Deo excusatos haberi, qui Canones quoscumque se audacter violare posse arbitrantur, dummodo iis consuetudo aliqua adversetur, licet ea sit recens, perniciosa, & a pravis quibusdam Confessionum Ministris invecta, aut etiam prudentia quadam tolerata, præsertim ubi evenire facile poterat, ut Pastores eam funditus exstirpandam aggressi Ecclesiæ pacem perturbarent, & Principum sæcularium indignationem commoverent. Postremo quælibet dispensatio, quæ tribus conditionibus careat a Concilio Tridentino præscriptis *sess.* 25. *de reform. c.* 18. eo tantum tendit, ut nocentiores efficiat tum eos, qui illam concedunt, tum eos, qui concessa utuntur.

Denique, ut omnia paucis expediam, cum dico, Disciplinæ rationem mutari posse, non intelligo morum doctrinam, quæ statuitur in Evangelio, & præceptis Dei, & Jesu-Christi continetur, æternæ animarum saluti necessaria, cujusmodi est amor Dei, amor proximi, & his similia; sed eam tantummodo intelligi volo Diciplinæ rationem, quæ externa est, quæque versatur vel in iis, quæ per se sunt ἀδιάφορα, aut saltem non necessaria, aut etiam possunt absolute omitti, vel in iis, quæ Sacramentorum administrationem respiciunt, semper tamen servata materia & forma, vel demum in iis, quæ ad Ecclesiasticam Jurisdictionem aut cæremonias pertinent.

Ecclesia neque in decisione rerum moralium, neque in articulis doctrinæ speculativæ errare potest: cum utraque res, æque hominum saluti necessaria, æque etiam a revelatione & traditione dimanet; adeo ut Ecclesia veræ Ecclesiæ indolem & naturam amitteret, statim ac aut falsa dogmata traderet, aut perversos mores suaderet. At vero in iis, quæ in externa disciplinæ ratione sita esse dixi-

diximus, Ecclesiæ definitiones non sunt semper eædem: possunt enim hæ mutari & corrigi pro mutatione temporum, & personarum ratione, a quibus omnes de Disciplina quæstiones; prudentia ita exigente, pendere maxime debent. Ubi igitur Conciliorum OEcumenicorum varias in hujusmodi controversiis decisiones fuisse, ipsamque Ecclesiæ universæ consuetudinem aliquando a se ipsa diversam esse deprehendimus, non continuo dicendum est, Ecclesiam idcirco in errorem incidisse; quod etiam multo certius est in iis, quæ per se sunt ἀδιάφορα, veluti externi ritus & cæremoniæ; in his enim parum refert, quem potissimum usum sequaris, dummodo ad eam Ecclesiam te accommodes, in qua vivis, ne diversa agendo aliis errandi occasionem suppedites, ut admonet S. Augustinus: Hinc Concilia OEcumenica id Juris merito habent, ut, quæ sibi aptior laudabiliorque videtur, consuetudinem inducant & stabiliant; quorum decisionibus si Particularia obsistant, habenda sunt statim, tanquam Schismatica, excommunicata, & ab Ecclesia sejuncta, ut sejuncti reapse fuere quartodecimani post Concilii Niceni definitionem.

Sed ipsas disciplinæ mutationes, quarum in Conciliis vestigia extant, posterioribus inducti exemplis animadvertamus. Magnopere interest, illud in primis scire, utrum quocumque tempore & loco idem semper in Sacramentorum administratione servatus sit ordo. Ut isthæc solvatur quæstio, quoad Extremæ Unctionis Sacramentum, Concilia tantum consulenda sunt; ea vero nos docent, mutatam esse antiquam consuetudinem eam, qua ante Viaticum conferebatur, & quænam fuerit hujusce mutationis causa, demonstrant. Illud certum est, ante Viaticum conferri consuevisse, quod etiam nunc obtinet apud solos Monachos Cistercienses, & in quibusdam Ecclesiis. In Vita Ludovici VI. Galliæ Regis, ab Abbate Sugerio conscripta legimus, S. Chlotildem Reginam primum quidem hanc Unctionem, deinde vero accepisse Viaticum Corporis & Sanguinis Jesu-Christi, ac postremo egisse animam in Confessione SS. Trinitatis. Idem habemus in Vita S. Kunegundæ ab incerto ejusdem ætatis Auctore, & a Bernero Abbate conscripta. Facta est igitur in hoc mutatio; eaque contigit sæculo decimo tertio, quo, cum illud perperam invaluisset, post Extremæ Unctionis susceptionem etiam conjugatis esse penitus cohabitationem interdictam, factum est, ut hoc Sacramentum usque ad extremum vitæ spiritum imperiti differrent, licet antea Viaticum accepissent. Richardus Sarisberiensis Episcopus an. 1217. Constitutionum suarum peculiari quodam articulo, can. 68. contra hunc perversum ritum notat, Conjugatos etiam post susceptum hoc Sacramentum posse cohabitare. Sed ex Conciliis Oxoniensi an. 1287. & Vindesoriensi an. 1308. facile apparet, præposteram hanc & superstitiosam opinionem tam altis defixam fuisse radicibus, ut eam Episcopi nonnisi maxima contentione ex hominum animis evellere & labefactare potuerint. Interim ex ea factum est, ut Extrema-Unctio in ultimum vitæ tempus differretur, & consuetudo inde profecta paulo post per omnes Ecclesias disseminaretur, quemadmodum observat Sapientissimus Mabillonius in Præfatione ad primum Tomum Actorum Ordinis Benedictinorum.

ARTICULUS IV.

Conciliorum utilitas, quoad Historiam.

Utilitas Conciliorum multiplex est & diversa, pro multitudine & diversitate rerum, quæ a Conciliis agitatæ & constitutæ sunt. Quædam enim illorum decisiones Ecclesiasticæ Disciplinæ ordinem respiciunt; quædam in eum finem habitæ sunt, ut eandem disciplinam tueentur & restituerent in iis locis, in quibus quorumdam Pastorum incuria & oscitantia in pejus jam delapsa ruebat. Illæ veritatem mendaciis veluti oppressam & afflictam excitarunt: hæ tutissimas ad pie sanctèque vivendum regulas hominibus exhibuerunt. Modo omnem industriam operamque in hoc contulerunt, ut Hæreticos in Ecclesiæ Matris gremium, unde discesserant, rursus compellerent: modo, conjunctis viribus reprimere ac funditus tollere studuerunt in dies crescentia schismata, quæ improborum fastu & invidia evenerant: modo, ne evenirent, summa animi provisione curarunt. Verum quæcunque habendorum horum Conciliorum vel occasio fuerit, vel causa, illud tamen certum & indubitatum est, tam grandem ab iis insignium eventuum factorumque numerum & copiam contineri, ut inde potissima & nobilissima Ecclesiasticæ Historiæ pars constituatur. Quid, quæso, aptius, quid accommodatius ad ipsam subinde explicandam prophanam Historiam, quacum Concilia sæpe sunt arctissimo veluti vinculo affinitatis conjuncta? Ex his habes, quæcunque in Ecclesia contigerunt, non solum dum haberentur, sed etiam ante, & post habita Concilia: ex his percipis statum & naturam tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ: ex his cognoscis Imperatores, qui ibi regnarunt, eorumque successionem; summorum Pontificum seriem, & cujusque Pontificatus tempus & durationem; Episcopos, qui primi Principes Ecclesiarum cathedras occuparunt; controversias, quæ in quolibet cujusque regni imperiique angulo sunt exortæ; hæreses identidem invectas; hæreticorum absurda dogmata, eorumdem principiorum insolentiam & impietatem, obfirmatum in iis sustinendis Sectatorum animum & audaciam, furorem & amentiam Imperatorum gentilium; persequutiones, quas crudeliter excitarunt; contraria partium studia, quæ Jesu-Christi Sponsam discerpserunt; insignes demum singularesque victorias, quas ab hostibus suis tum reportavit, cum jam eorum potentia & viribus quasi victa atque oppressa esse videbatur.

I.

Post quartum Jerosolymitanum Concilium, ab Oriente Ecclesia eo coactum, ut aut Judæ successorem sufficeret, aut septem Diaconos eligeret, aut Fideles a circumcisionis, cæterarumque Judaicæ legis cæremoniarum observantia vindicaret, Ecclesia ea nobis initio statim Concilia ob oculos ponit, quæ controversia de Paschatis Festo coegit. Præter ea, quæ plures Orientis & Occidentis Provinciæ, suis quæque rebus consulens, habuere, aliud Romæ celebratum est, in quo Asiaticorum mores damnati sunt. Hæretici Ebion, Theodotus, & Attemo in Concilio item Romano; S. Victore Papa, damnati & excommunicati fuerunt; Marcio, & Montanistæ in Lugdunensi, quod sub finem sæculi secundi coegit S. Irenæus. Eorum factum, qui in persequutione lapsi fuerant, ansam præbuit Concilio primo Carthaginiensi medio sæculo tertio. Controversia de Hæreticorum Baptismate in duobus aliis item Carthaginiensibus fuit agitata: Paulus Samosatenus confutatus in duobus Antiochenis Conciliis Dionysio Papa celebratis.

Subito crudelissimi Diocletiani recepto, & persequutione præsertim in Africa aliquantum remissa, cum Ecclesia etiam aliquantulum respirare cœpisset, Conventus Episcoporum frequentius, pariterque frequentiores sunt habiti; Provinciarum Episcopi coacti ordinabant Ministros, quibus viduarum Ecclesiarum curam committerent. Nonnulli Numidiæ Episcopi, cum se ad urbem Cirthæ sæculo quarto contulissent, ordinatum ibi Silvanum in Pauli locum suffecerunt; iidem mox Donatistarum partes Principes tutati sunt.

Patres Concilii Illiberitani in Hispania an. 350. Christianos debiles & infirmos confirmarunt, fortissimisque decretis in eos animadverterunt, qui in Idololatriam delapsi fuerant; tum Donatistarum hæresis coegit Concilia Romanum, & Arelatense, a quibus se damnatos senserunt; sed neque Alexandrinum, & Nicænum Ario parcendum putarunt. Eo tempore vidimus Concilia, in quibus S. Athanasius a sua Sede dejectus fuit, scilicet Cæsareense mox Thyatiram translatum, & Antiochenum. Aliud Sardicæ habitum est, in quo Athanasius restituitur; Ariani tamen in Concilio Mediolanensi dominantur. Concilium Ariminense in Italia ad oras maris Adriatici habebat Occidentis Episcopos, qui initio fortes invictique, mox astu

vique superati cesserunt. Sed neque Seleuciæ in Illyrico veritatem Orientales satis firmiter tutati sunt. Postremum Concilium, quod Constantii regnum, hujusmodi Conventuum feracissimum, vidit, fuit Constantinopolitanum, condemnato Ætio in primis nobile.

Duabus de causis Theodosius secundum generale Concilium Damasi Papæ consensu coegit, primum ut componeret, quasique in unam cogeret omnes diversas Sectas, quæ, Ecclesia dissensionibus tumultibusque distracta, Constantinopoli insederant; deinde ut Episcopum daret eidem Imperatoriæ Urbi, cujus sedes, Demophilo expulso, vacaverat. Palladii & Secundini causa fuit excussa in Concilio Aquilejensi an. 381. in quo iidem condemnati sunt, tanquam Ariani, & Attalus Presbyter una cum Valente anathemate percussus. Siracusanum Concilium pertinaciæ damnavit Priscillianum, ejusque asseclas; Burdegalense vero an. 385. Instantium de sua Sede dejecit. Ineunte anno 412. Pelagius fuit hæreticus declaratus a Conciliis Carthaginiensi & Milevitano. Idem tanquam Catholicus est habitus an. 415. ab Episcopis Diospolis in Palæstina, postquam in Conventu Jerosolymitano damnationem effugisset. Processu temporis Africæ Concilia, pluresque Romani Pontifices ejus dogmata proscripserunt, & Honorius Imperator solemni edicto una cum ejus sectatoribus etiam Roma expulit.

Dissensionum discordiarumque incendium, quod hæresis Nestoriana excitaverat, Concilii Ephesini Patres non prorsus extinxerunt. Joannes Patriarcha Antiochenus de Sede detrusit S. Cyrillum & Memnonem in Conciliabulo Ephesino; sed Imperator, cum veri Concilii Acta magna reverentia accepisset, iisdem falso accusatis libertatem restituit, Nestoriumque in exilium conjecit. Eutyches & Dioscorus in hæresim lapsi Nestorianæ hæresi prorsus contrariam a Concilio Calcedonensi anathemate perculsi sunt. Nonnulla scripta, quæ Nestorio hæresiarchæ favebant, damnata sunt in secundo Constantinopolitano; dicebantur tria Capita, ratione trium Auctorum jamdiu defunctorum, de quibus tunc agebatur. Ad trutinam revocatæ sunt etiam sententiæ & opiniones Origenis, qui sæculum integrum dissensione & tumultu Orientem omnem permiscebat: sed tunc ipse, iique omnes, qui perniciosam ejus doctrinam sequuti erant, anathemate perculsi sunt. Monothelitæ rejecti fuere in Concilio sub Martino Papa habito, iidemque in tertio Constantinopolitano an. 680. magna ipsorum confusione convicti. Annis decem post habitum Concilium quartum Constantinopolitanum jam exactis, Callinicus Patriarcha Constantinopolitanus illud Justiniano II. Imperatori persuasit, ut novum Constantinopoli Concilium indiceret; quod mox celebratum appellatum est Quinisextum, seu in Trullo.

Sæculo octavo habes, quot quantæque in Ecclesia turbæ Imaginum causa concitatæ fuerint: eas condemnavit Conciliabolum Constantinopolitanum. Aliud Concilium eodem loco habitum est an. 786. annoque insequenti Nicæam translatum, in cujus prima sessione Iconoclastæ a pluribus Episcopis proscripti sunt, in eosque anathema dictum. Concilii Francofurti Patres infida versione decepti Concilium Nicænum condemnarunt: sed, errore mox detecto, sententia revocata est, Conciliumque Nicænum ab Ecclesia universa, tanquam septimum generale Concilium, approbatum. Historia S. Ignatii Patriarchæ, ejusque persequutio, qua a propria Sede dejectus, Photiusque in ejus locum suffectus fuit, Orientis Episcopis diversas conventuum cogendorum ansas suppeditavit, eaque demum ad exitum perducta est a Concilio quarto Constantinopolitano an. 869. in quo Photius citatus fuit, ejusque falsitate publice evicta, anathemate percussus.

Sæculo undecimo extitit Schisma ab Investituris exortum. Eam quæstionem diremit Concilium primum Lateranense; secundum item Lateranense coactum fuit an. 1139. ad perniciosum Anacleti schisma extinguendum, & ad Petrobrusianorum, eorumque principis Petri de Bruis audaciam comprimendam. Arnoldus Brixiensis Italia pulsus, se se in Germaniam, atque inde in Galliam recipere coactus est. Magnam hujusce regni partem Vodensium, & Albigeensium errores contaminarunt: qui ne latius sese explicarent, Alexander III. Papa, habito tertio generali Concilio Lateranensi, curavit.

Petrus Eremita Urbano II. Papæ id consilii dedit, ut Infideles ex Palæstina ejiceret. Id in causa fuit, cur magna Ecclesiasticorum vis ex omnibus Italiæ Germaniæque provinciis Placentiam se transferret, simulque cogeretur ann. 1094. An. 1095. Claromontium convenerunt Episcopi ducenti, & quadringenti Abbates, ut secum ipsi consulerent qua tantum opus confici via ac ratione posset. Sub initium sæculi decimi tertii habitum est Concilium quartum Lateranense, in Ecclesia celeberrimum, in quo indicta est Crociata. Innocentius eundem sibi finem proposuit, cum primum Lugdunense Concilium convocaverat, in quo Federicus Imperator excommunicatus fuit. Secundum Lugdunense Concilium annis 29. post primum celebratum est, eo fine, ut Græci una cum Latinis in eadem Mysteriorum fide validius confirmarentur. Templariorum Ordo ita corruptus est depravatusque; Beguardi vero per universam Germaniam ita aperte errores suos disseminarunt, ut ad eos averruncandos Concilio opus fuerit; quod habitum est Viennæ in Delphinatu anno Christi Dom. 1311.

Occidentis Schisma se se extulit post mortem Gregorii XI. qui, Avenione relicto, Romam reversus ibi decessit, successoremque habuit Urbanum VI. Sed Cardinales Galli, aliique, cum ejus Electionem contra leges factam fuisse judicassent, an. 1378. Clementem VII. elegerunt: inde schisma illud exortum, quo nullum unquam diuturnius afflixit Ecclesiam. Initio sæculi Decimiquinti Concilium Pisanum vagos incertosque Papas de solio detrusit, & Alexandrum V. elegit. Denique generali Concilio Constanciensi ad id opus fuit, ut tres isti Competitores Pontificatu sese abdicarent, quartumque eligerent, ab omnibus generatim, tanquam totius Ecclesiæ Caput, approbatum. Martinus V. igitur electus novo Concilio, quod juxta decisionem Concilii Constanciensis sess. 44. quinque post annis celebrandum erat, Papiæ urbem assignaverat. Sed pestilentia ibi exorta coactus Concilium transtulit Senas: eamque sibi fore justissimam causam putavit, cur rursus generale Concilium intra septem annos habiturum Basileam transferret: inde vix habitum Eugenius Papa Ferrariam, unde mox, pestilentia item cogente, Florentiam deducit.

Sæculo decimo sexto Ludovicus XII. cum se nulla alia ratione tueri posset a Julio II. qui ipsi ex omni parte inimicos & adversarios conflabat, sub finem an. 1510. Ecclesiæ Gallicanæ conventum Cæsaroduni convocavit, ut inde intelligeret, quid hac occasione fieri tuta conscientia ad sui defensionem posset. Concilium, quod in primum Septembris diem an. 1511. nonnulli Cardinales Pisæ indixerant, Papa dissolvit, ejusque loco Lateranense assignavit.

Ecclesiastica Respublica tum Lutheri Calvinique hæresibus, tum morum corruptione eversioneque disciplinæ afflicta quasique prostrata summorum Pontificum animos vehementer occupabat. Plures ii quidem Bullas ad Concilii generalis celebrationem emiserunt: irritæ tamen omnes cesserunt. Hinc etsi Paulus III. in diem 22. Maji an. 1537. Mantuæ Concilium indixisset, idem tamen in annum sequentem distulit, ac deinde an. 1539. Vicentiam transtulit: Sed mox coactus dissidiis dissensionibusque, quæ inter Principes perpetuo exardebant, alia edita Bulla ejusdem celebrationem in alia meliora tempora differendam putavit. Nihilo tamen minus, Carolo Quinto Imperatore urgente, Tridento Concilium indixit. Sed idipsum, post octo Sessiones, cujus prima habita est ann. 1545. transfertur Bononiam: obstat translationi Imperator: Julius III. rursus Tridentum deducit an. 1551. ubi, quatuor Sessionibus habitis, reliquas sustulit Germaniæ bellum: ac deinde revixit an. 1560. Hoc Pontifice habitæ sunt Sessiones novem, Concilioque finis impositus die 4. Decembris an. 1563. Ejusdem Acta & Decreta a S. Sede pleno, uti dicunt, Consistorio approbata uno volu-

volumine comprehensa sunt, & in omnes Christiani Orbis partes emissa.

Episcopi suis quisque Diœcæsibus restituti nihil potius sibi faciendum putarunt, quam ut illius Decreta ab omnibus admitterentur. Celebriora Concilia, quæ sæculo elapso celebrata sunt, fuere sex Mediolanensia habita sub S. Carolo Borromæo, qui omnem Ecclesiasticam Disciplinam complexus est.

Qui hæc paulisper animadvertet, is facile profecto deprehendet, Historiam Conciliorum, & historiam profanam arctissimo inter se vinculo contineri, & alteram alterius opem poscere, & amice conjurare. Ubi scias, Zenobiam uxorem Odenati Palmiræ regis, & Provincialium Orientalium adversus Barbaros victoris bene erga Judæos fuisse affectam, non amplius miraberis, Paulum Samosatenum Antiochiæ Episcopum, hominem levem ac seditiosum, & ab Antiocheno Concilio, ut dixi, damnatum, judaicam habuisse opinionem de Jesu Christo, quem purum solummodo esse hominem asserebat. Imperio inter tres Constantini liberos diviso & distracto, scilicet Constantinum juniorem, Constantium, & Constantem, cum istorum prior periisset eo bello, quod cum posteriore fratre de imperii sui finibus habuit, soli superfuerunt Constantius, & Constans. Jam vero quæcumque dura & aspera perpessus est S. Athanasius, Concilii Nicæni propugnator acerrimus, ea accepta referenda sunt Constantio tanquam auctori, qui ejusdem Concilii Fidem oppugnabat; neque Alexandrinæ Sedi, cujus erat Patriarcha, restitutus est, nisi S. Julii I. Papæ decreto, cui vim & auctoritatem addidit Constans, ejusdem Concilii patronus.

Quod Orthodoxi Episcopi vel in ipsis Conciliis a suis sedibus exturbantur; quod Ariani horum Conventuum quodammodo domini ac reges sunt; quod Ecclesiam tumultu & confusione permiscent; culpæ vertendum est Constantio, cujus animum ipsi occupaverant, ejusque auctoritatem legibus omnibus anteposuerant. Quod autem hæretici Macedoniani, qui Spiritus Sancti divinitatem negabant, minus quam Ariani proficiunt, id magno Theodosio tribuendum est, qui in societatem Imperii a Gratiano adscitus, Oriente assignato, non pluris victoriam a Gothis Barbarisque relatam, quam istorum hæreticorum damnationem faciebat.

S. Joannes Chrysostomus, Patriarcha Constantinopolitanus, & Orientis totius splendor & ornamentum, nunquam fuisset a sua sede dejectus, nisi Eudoxia Arcadium, virum suum, infensa & irata in illum instigasset, eademque suæ crudelitatis furorisque ministrum & adjutorem Theophylum Patriarcham Alexandrinum habuisset. S. Augustini tota laus est, qui errores dissipavit Cælestii, & Pelagii, qui negabant peccatum Originale, & gratiam, qua Christiani nominamur, & sumus. Ex divinis ejus scriptis mox Africæ Concilia, & Sancti Pontifices Innocentius, & Zosimus, quos deinde S. Cœlestinus Papa sequutus est, tanquam ex uberrimo fonte, desumpserunt, quibus hæreticorum impudentem audaciam in perpetuum comprimerent. Postquam Belisarius & Narses Eunuchus, præstantissimi Duces, Justiniano Imperatori Africam, Italiam, & Romam restituissent, Persarum impetum repressissent, Ostrogothos, & Vandalos superassent, cogi per otium potuit quintum generale Concilim Constantinopolitanum, a quo antecedentia sunt confirmata.

Quo plura Ecclesiam affligebant mala, eo majores sumebant Hæretici animos, viribusque confirmabantur. Mahumetanum sectam statim excæpit sæculo septimo secta Monothelitarum, qui omnibus hæreticorum numeris distinguebantur. Hi pestilens errorum suorum virus verborum ambiguitate obtegentes, tum dubietate rei, falsoque studio pacis inducti contendebant, ut ne ulla in posterum de una, vel duabus voluntatibus mentio fieret. In quo iis mirifice profuit Honorius Papa, qui, cum iisdem veluti facta conventione, quodammodo approbavit illud silentium, quo mendacium æque ac veritas supprimebantur. Ac, nisi vigilantia sua obstitisset S. Martinus I. Papa, qui Lateranense Concilium coegit, nisi S. Maximus eos Imperatores publice reprehendisset, qui de quæstionibus fidei ausi fuerant sententiam ferre, nunquam neque Ecthesis Heraclii, neque Constantis ejus Nepotis edictum, aut, ut tum dicebatur Typus, anathemate perculsa fuissent. Sed nimirum dicendum est, malum opinione latius fuisse disseminatum, siquidem Concilium sextum generale, cui S. Agatho Papa per suos Legatos præfuit, perculit anathemate & Episcopum doctrina insignem, & Patriarcham Alexandrinum, & quatuor Patriarchas Constantinopolitanos, h. e. omnes Monothelitarum sectæ Principes & Auctores.

Nam ecquis alius sæculo octavo turbas seditiosasque excitavit, nisi Leo Imperator, dum omnes Jesu Christi, Sanctorumque imagines, tanquam Idola, evertere aggressus est? in quo Saracenorum consilia sequutum fuisse ferunt. Atque, ut Ecclesiastica quodammodo auctoritate niti videretur, novum Constantinopoli Concilium coegit: cui tamen, ut mos erat, neque S. Sedis Legati, neque Episcopi, neque Legati aliarum Sedium Patriarchalium interfuerunt. In hoc Concilio non solum damnatus est, tanquam idolicus, quicumque Imaginibus, ipsorum Sanctorum gratia, honos deferebatur, sed Sculptura etiam, & Pictura, veluti artes perniciosissimæ, explosæ & ejectæ. Hinc facile apparet, Imperatores in hujusmodi Conventuum convocatione supremam, qua erant instructi, auctoritatem explicasse in Episcopos, aut saltem in eos, ex quorum arbitrio reliqui omnes, ipsi vero ex Imperatorum arbitrio tum pendebant. Sane quicunque Principum, eorumque, a quibus regebantur, mentem & propositum in rerum administratione diligenter introspiciet, eaque cum eventis factisque, quæ Conciliorum exhibet Historia, comparabit, is facile intelliget, Ecclesiæ pacem, perturbationemve ex iis fere unice dependere; licet Spiritus Sancti subinde emicuerit divina auctoritas & splendidissima lux, qua antiqua traditio, errore victo depulsoque, victrix ad extremum ex certamine ac superior evasit.

II.

Quod si cujuscumque generis facta requiris, ea ex Conciliorum Collectionibus abunde tibi suppetunt. Postulas enim, quæ ad statum Ecclesiasticorum hominum pertinent? Habes in iis, quæcumque ipsis externa sunt: tum vestium formam, tum ordines, quibus a primo Clericatus gradu usque ad Episcopatum ascensus est; præterea quinam conferant exercendorum Ordinum facultatem: ornamenta demum, quæ cuique conveniunt, dignitatemque, qua ornantur. Hinc Concilium Toletanum quartum cap. 41. docet, quænam tunc temporis fuerit Romanorum tonsura. *Tom. 5. Conc. col. 1716.* Ac Tonsuram quidem Clericalem usque ad sæculum decimum collatam fuisse ab Episcopis, & Abbatibus Superioribus Monasteriorum, & a Presbyteris etiam, aperte probat tum caput 7. decimi secundi Concilii Chabillonensis, tum ea, quæ Ratherius Veronæ Episcopus medio sæculo decimo presbyteris suis Synodali quodam sermone differebat. *Tom. 7. Conc. col. 1274.* Abbas benedicebat, tondebatque Clericos, litteratosque viros, qui Monasticum statum profitebantur: Ii vero in Ecclesia Græca neque officiis clericalibus fungebantur, neque jus coronam deferendi habebant, nisi primum Clerici essent. Qui tonsuram adhuc infantes acceperant, juxta Concilium septimum, Can. 14. non poterant apud Monachos Lectoris munus exercere in suggesto ad id destinato, nisi prius manuum impositionem accepissent ab Episcopo, aut ab Abbate, qui & Presbyter esset, & hanc impositionem ipse pariter ab Episcopo accepisset. *Tom. 7. Conc. col. 607.* Concilia Pictaviense an. 1100. cap. 1. & Bellovacense Tomo 12. Spicilegii allata hanc Abbatibus facultatem tribuunt, ut Religiosis suis Tonsuram conferant.

Sæculo nono, promoti ad Ordines Episcopis suis obedientiam pollicebantur. *Tom. 7. Conc. col. 1275.* Hujusce rei origo refertur ad tempus Concilii secundi Chabillonensis an. 813. cap. 13. Licet autem hujusmodi Ordinationes, quas talia juramenta præcessissent, Simoniacæ quodammodo videri possent, iisque Abbates, qui magna sibi inde damna timebant, vehemen-

hementer obstitissent, non tamen sublatæ sunt, ac rejectæ. Episcoporum regionariorum Ordinationes nequaquam approbatæ fuere in Conciliis Vernensi cap. 14. Vernoniensi cap. 13. Chabillonensi, secundo cap. 53. Scotis illud etiam vetitum fuit, ne celebrarent in Anglia, Vid. cap. 5. Concilii Celchyt.

Tom. 6. Conc. col. 1659. col. 668. Tom. 7. Conc. col. 1287.

Caroli Magni tempore Imperium habetur jam divisum ac distractum in 21. Ecclesias Metropolitanas; videlicet Romanam, Ravennatensem, Mediolanensem, Forojuliensem, Gradensem, Coloniensem, Magontinam, Salisburgensem; Trevirensem, Senonensem, Bisantinam, Lugdunensem, Rothomagensem, Remensem, Arelatensem, Viennensem, Tarentasiam, Ebrodunensem, Burdigalensem, Cæsarodunensem, & Bituricensem. Hic historiæ locus nobis innotescit ex divisione; quam divitiarum, totiusque suæ supellectilis laudatus Imperator fecit anno Jesu Christi 811. Is omnia in tres partes divisit, earumque duas iterum in 21. particulas, quas recensitis Regni sui Metropolitanis Ecclesiis assignavit: hoc Testamentum subscripsere Episcopi, Abbates, Comitesque omnes, qui aderant. Quæret fortasse quispiam, cur in Caroli Testamento nulla fiat mentio trium Metropoleon, scilicet Elusæ in Aquitania, Narbonis, & Aquarum-Sextiarum. Quod verosimilius videtur, illud est, ejusmodi Ecclesias tunc temporis aliis Ecclesiis fuisse obnoxias; videlicet Aquas-Sextias Arelatensi, Narbonem Bituricensi, Metropolis tamen titulo conservato. Nam Elusa quidem an. 732. a Saracenis capta fuerat ac excisa; eaque nondum restituta, adhuc Burdigalensi subjacebat.

Tom. 1. Conc. col. 1203.

col. 1956.

Ex iis, quæ habentur ad finem Tomi octavi Conciliorum, & in Sirmondo post Caroli Capitulare, comprobatur trium pariter Episcopatuum in Britannia minore institutio. Res ita se habuit. Dux Nomenojus Bretones Episcopos Simoniæ accusatos Romam miserat ea spe fore, ut a Pontifice deponerentur. Sed, cum eos, Episcopatu retento, Romà redire intellexisset, rem ipse aggressus est, eodemque tempore obtinuit, ut Rex ab omnibus proclamaretur, captis urbibus Nannete, Condate, Andegavia, & Cenomanis usque ad Magontiacum. In Monasterio igitur S. Salvatoris de Condate cogi jussit quatuor Britanniæ Episcopos; scilicet, Subsannum Episcopum Dariorigi, Salaconem Aletæ, Felicem Corisopiti, & Liberatum Lugduni, itemque permultos alios primæ notæ viros, quorum consilio superiores Episcopos eo compulit, ut se suis Sedibus abdicarent, Baculosque, & Annulos, dignitatis Episcopalis insignia, deponerent; morte etiam, ut ferebatur, ipsis clam intentata, nisi se ipsi reos ultro confiterentur. Eorum loco quatuor alios Episcopos ordinari jussit; quos cum vereretur, ne Archiepiscopus Turonensis eorum Metropolita consecrare vellet, neque, Caroli Regis metu, in Britanniam minorem descendere, ipse tres novos Episcopatus instituit, scilicet Dolæ, Brioci, & Trecorii, quorum primum etiam Metropolitam declaravit, itaque Britanniam minorem a Provincia Turonensi secrevit. Mox obtinuit, ut ipse quoque ab his septem Episcopis Dolæ coactis in Regem consecraretur. Porro tres Episcopatus recens instituti perpetuo deinde permanserunt, Dolaque in primis trecentorum annorum spatio Metropolis jure gavisa est.

Concilio septimo nonnulla habentur exempla eorum Episcoporum, qui à suis Sedibus, libidinum causa, remoti sunt. Schismaticum Ephesi Concilium ann. 476. restituit Paulum Ephesi Episcopum a Sede dejectum, & huic Ecclesiæ reddidit jura Patriarchalia, quæ illi Concilium Calcedonense tum ademerat, cum Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjecerat. Concilia Toletana inter cætera illud etiam nos docent, omnium Hispaniæ Episcoporum ordinationem ad Episcopum Toletanum pertinere. Canon sextus Concilii 12. quo facultas datur ordinandi eos, quos Princeps elegerit, idem Comprovincialibus adimit jus eligendi Episcopos, Metropolitæ vero eosdem consecrandi, ut jura omnia Regi, & Episcopo Toletano conferret. Sæculo undecimo quoddam Concilium Anglicanum ann. 1075. habitum exhibet Episcopos ex oppidis in Urbes translatos; Claromontanum

Tom. 6. Conc. col. 1230.

Tom. 10. Conc. col. 347.

ann. 1095. habitum Atrebatensem Episcopum suæ Sedi restitutum; Romanum ann. 1080. celebratum electiones legitimas Episcoporum, qui ibi commendantur.

Concilium Cæsaraugustanum ann. 380. cap. 6. vetat Clericis, ne officia sua deserant, eo prætextu, ut majorem in vita Monastica perfectionem adipiscantur. Idem vult, Virgines nonnisi 40. ætatis anno velari, idque fieri Episcopi auctoritate. Quo loco observandum est, nunc primum mentionem fieri vitæ Monasticæ in Hispania: nam de Mitra sermo adhuc nullus. Concilium vero quartum Toletanum cap. 27. vituperat eos Episcopos, qui digitum annulis aureis ornabant: quos Lombarii Concilium ann. 1176. Budæ vero Can. 4. quod habetur inter Constitutiones Hungaricas ann. 1279. tantum Prælatis permittit; Concilium tandem Narbonense ann. 1609. Clericis adimit sub finem cap. 41.

Tom. 10. Conc. col. 1471. Tom. 11. Conc. col. 1075.

Quæ habet Agatho Papa in epistola ad Constantinum Imperatorem, itemque alia suo, Patrumque Concilii Romani nomine missa, liquido ostendunt, litterarum studia sæculo septimo fere penitus interiisse: ex quarum interitu mala etiam majora exorta sunt. Et sane hominum oscitantia, Librorumque inopia tunc temporis tanta fuit, ut Tajus Episcopus Cæsaraugustanus postquam tota Hispania postremam Moralium S. Gregorii partem frustra conquisivit, ejus inveniendæ gratia, Chindasvindi regis jussu, Romam ipsam pergere coactus fuerit, in qua etiam fortasse nunquam invenisset, nisi perscrutanti omnia divina quædam revelatio indicasset. Vid. Concilii septimi Toletani Appendic.

Ex Bonifacii litteris comperimus, magnam eum curam & diligentiam in hoc posuisse, ut apud Germaniæ Monachos studia florerent. Concilium ad Aquas-Sextias ann. 817. cap. 45. mentionem facit de Scholis claustralibus ad usum Monachorum, eorumque, qui ibi tanquam Oblati degebant. Idem internas scholas distinguit ab externis, quæ exterorum, seu sæcularium commodo fuerant institutæ: Monachis etiam ætate provectis interdicta erat Ethnicorum Scriptorum lectio, nisi iidem juventutis edocendæ onus suscepissent. Vid. decretum Patrum Concilii Clovesho in Anglia Sæculo octavo, Can. 7. & 20. in quo Monachis datur vocabulum *Nonni*, quod tamen idem in Concilio Aquisgranense ann. 817. peculiari jure tribuitur iis, qui cæteris præerant. Idem Concilium exhibet exemplar Capitulorum generalium, quæ mox Sæculo duodecimo in usu fuere.

Tom. 5. Conc. col. 1844.

Tom. 7. Conc. col. 1510.

Tom. 6. Conc. col. 1579.

Juxta Concilium Augustæ Ausciorum ann. 1068. celebratum Regulares etiam undecimo sæculo dignitates obtinebant in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus erant Canonici sæculares: & loci S. Orientii Abbati adsignatur Archidiaconi locus. Regulares non solum paupertatis, sed ipsius, in quo vivebant, Monasterii titulo ordinabantur. Vid. Concilium Londinense ann. 971. quo cavetur, ut Regulares ejus Monasterii, quod Virgini dicatum est, *Sanctæ Mariæ* titulo sint ordinati: Concilium porro Cæsarodunense cap. 14. plura præscribit, quæ ad Regularium Cellulas spectant.

Tom. 9. Conc. col. 1195.

Tom. 8. Conc. col. 703.

Romæ Cardinalium institutio ejusdem fere antiquitatis habetur cum institutione Diaconorum & Presbyterorum: quorum illi pauperum curam habebant, & in mores christianorum inspiciebant; hi vero in diversis urbis partibus in eum finem collocati, ut Sacrificium Missæ celebrarent, Fideles erudirent, Sacramenta administrarent, cæteraque Curatorum munia peragerent. Extitere deinde homines pietate & religione instructi, qui ad alendos sustentandosque hujusmodi Presbyteros Diaconosque plures fundos reliquerunt; qui fundi, priorum dominorum nomine retento, tituli appellati sunt, veluti tituli Equitii, Pammachii, Pontificum Julii, Callisti, & Damasi; tum tituli Matronarum Vestinæ, Lucinæ, Eudoxiæ. Porro tituli ita assignati firmatique dicti sunt Cardinales, iique, a quibus possidebantur, Presbyteri pariter Cardinales, Diaconi Cardinales. Ecclesiæ, quæ a Christianis primum extructæ sunt, hujusmodi titulos præseferebant. Hinc in Conciliis Romæ habitis, Symmacho, & S. Gregorio Pontificibus,

Tom. 5. Conc. col. 856.

Tom. 4. & 5. Concil.

ha-

habentur subscriptiones Presbyterorum SS. Joannis & Pauli titulo Pammachii, item subscriptiones Diaconorum diversis urbis regionibus commorantium. Habentur etiam duo vel tres Presbyteri in iisdem titulis collocati, vel quod eorum fundi uberiores copiosioresque essent, vel quod hujusmodi Parœciæ latius paterent. Processu temporis, omisso Fundatorum nomine, eoque Ecclesiarum, quibus inserviebant, tantummodo retento, in sequentibus Synodis sub Paulo I. an. 761. & Eugenio II. an. 853. subscripsere Presbyteri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ titulo SS. Joannis & Pauli, titulo duodecim Apostolorum, titulo S. Clementis. Diaconi nondum mentionem faciunt de titulis, sed tantum de ea urbis regione, quæ eorum curæ concredita erat. Incertum est, an ante annum 963. subscripserint Cardinales Presbyteri, Cardinales Diaconi; sed ejusmodi fuisse eorum subscriptiones apparet ex Conciliabulo adversus Joannem XII.

Tom. 6. Conc. col. 1694.
Tom. 8. Conc. col. 122.
Tom. 9. Conc. col. 648.

Cardinalium Episcoporum institutio habetur minus antiqua; de qua nihil certi fortasse reperias ante annum 769. Stephano III. Pontifice. Inter plurium Episcoporum subscriptiones an. 998. sub Gregorio V. habetur subscriptio Benedicti Paconiæ Episcopi tum suo, tum cæterorum Cardinalium Episcoporum nomine. Qui primus inter exteros hac dignitate auctus est, is fuit Conradus de VVittelsbac Archiepiscopus Magontinus, qui an. 1163. cum Friderici I. Imperatoris iram persequutionemque defugeret, confugit ad Alexandrum III. Papam, qui tunc Cæsaroduni Concilium habebat; sed Conradus creatus fuit Episcopus Sabinorum.

Tom. 9. Conc. col. 773.

Tom. 10. Conc. col. 1493.

Anno 845. Concilium Meldense, cap. 54. illud magnopere commendat Episcopis, ut bonos viros præficiant titulis Cardinalibus; hoc est, Parœciis suarum Diœcesium: ex quo apparet, nomen hoc non ita proprium ac peculiare fuisse Ecclesiæ Romanæ, ut non idem & in aliis Ecclesiis fuerit usurpatum ad significandum eum Ecclesiasticum, qui titulum & Titulare haberet.

Quod si quis scire optat, quid usu receptum fuerit circa Sacramenta, percurrat is, quæcumque a nobis dicta sunt, cum de Conciliorum utilitate quoad disciplinam loqueremur. Quæ in Concilio Celychit initio sæculi noni præscripta sunt, ea nos docent, Baptismum per immersionem alicubi adhuc obtinuisse. In Concilio tertio Toletano cap. 12. & quarto cap. 55. fit mentio tum de perpetua pœnitentia, quam nonnulli in extremo vitæ constituti & vovebant, & ad sanitatem restituti exequebantur, tum de statu religioso, quem una cum tonsura in mortis discrimine semel susceptum perpetuo retinebant. Concilium Compostellæ ann. 1056. jubet, Episcopos & Presbyteros qualibet die Missam celebrare.

Tom. 7. Conc. col. 1012. & 3489.
Tom. 5. Conc. col. 1718.
Tom. 9. Conc. col. 1087.

Porro qui mala & incommoda, quæ diu Ecclesiam afflixerunt, cupit intueri, is consulat Acta Concilii Pragensis, quod an. circiter 410. habitum est. In hoc multa habentur de Barbarorum in Hispania direptionibus. Sed & ex Concilio Epaunensi an. 517. colligimus, Germanicos victricium nationum mores in Gallia in primis viguisse: hinc can. 4. Episcopis, Presbyteris, & Diaconis vetitum est, ne venationem exerceant, ne canes & volucres ad voluptatem alant. Quæ Lugdunensis Concilii Patres an. 517. in antecessum ducunt sibi esse præcavenda, ea liquido ostendunt, a Regibus barbaris, licet Catholicis, eos multa dura atque aspera perpeti consuevisse: iidemque cap. 3. profitentur, se Monasterium aliquod ingressuros, ubi Rex obstinate velit Communione alicujus eorum abstinere, qui Stephanum incæstus causa damnaverint.

Tom. 2. Conc. col. 1508.
Tom. 4. Conc. col. 1576.
Ibid. col. 1548.

Tom. 9. Conc. col. 413.

Metense Concilium sub Arnoldo rege anno circiter 888. habitum can. 1. commemorat Normannorum irruptiones, publicasque calamitates, & ærumnas, in quibus nos docent ad Deum esse confugiendum.

Ibid. col. 436.

Sed Ecclesiæ status erat longe calamitosior, exeunte sæculo nono. Habes ipsum veris coloribus expressum a Flodoardo in iis quæ attingunt Concilium Romanum, in quo Formosus Papa, qui primum fuerat Episcopus Portuensis, eo redactus fuit, ut juramento affirmaret, se in Communione laicali perpetuo mansurum. Ejusdem status descriptio funestissima habetur in Actis Concilii Remensis ab Arnoldo Episcopo Aureliano exarata, & relata a Gerberto, in qua animadvertit, plures Ecclesias se jam ab Romana Ecclesia sejunxisse, Africanam, Asiaticam, Constantinopolitanum, atque etiam Europæam: præterea decisiones in Hispania fuisse prorsus ignotas, licet fateatur, Galliæ, Germaniæ, & Angliæ insignes præstantesque Prælatos tunc temporis non defuisse. Concilia, quæ sane multa in Gallia celebrata sunt, præclara admodum eo tempore condidere decreta, quibus remedium aliquod tantis malis adhiberetur: multa habita sunt Narbonis, & in Magalonensibus; multa item Trosley, Cæsaroduni, & Cabillonii; tria Rhemis; unum Augustæ Suessionum, unum pariter Veroduni; duo Mosomi &c.

In Actis Concil. Remensis. Sæc. 5. act. Bened. in Præfat.

Tom. 4. Conc. col. 1263.

Jam vero ex Conciliis habes etiam, quid præstare Ecclesia consueverit in Canonizatione Sanctorum. Decretum Gelasii, seu Hormisdæ in quodam Romano Concilio vetat, Acta Martyrum publice in Ecclesia legi; tanta erat Romanæ Ecclesiæ providentia. Offa Marciorum Rex Canonizationem S. Albani Martyris obtinuit ab Adriano Papa ann. 794. Concilium Magontinum an. 813. cap. 51. Reliquiarum translationibus adversatum est, ut turpissimo quæstui, quem ea in re nonnulli faciebant, occasionem prorsus demeret. Canonizatio hoc tempore fiebat, corpore sublato; ejusmodi fuit canonizatio S. Othmari Abbatis, consensu Episcopi, & Concilii Constantiensis facta. Primum solemnis cujusdam Canonizationis a Papa habitæ exemplum exhibet canonizatio S. Udalrici Ausburgensis Episcopi, quam Joannes XV. an. 993. Liutulpho ejusdem loci Episcopo expetenti frequentissimo hominum conventu concessit. Leo IX. ann. 1053. retulit inter Sanctos Gerardum Tullensem Episcopum, consentiente Concilio Romano. Spelmannus Canonizationis formulam affert. Canonizandorum Sanctorum facultas, quæ in qualibet Diœcesi ad Episcopum, adjuncto tamen populi suffragio, usque ad sæculum decimum pertinuit, mox devoluta est ad Concilium, & ad Principem, cujus consensus requirebatur; idque obtinuit usque ad Alexandrum III. quoad particularem tamen Canonizationem; nam generalis pendebat a generali Concilio, sive a populo, qui toti Ecclesiæ hunc, vel illum, tanquam Sanctum, publice renunciabat.

Conc. Spelman. tom. 1. p. 309.
Tom. 7. Conc. col. 1252.
Mabillon. sæc. 3. Ben. part. 2. p. 164.
Tom. 9. Conc. col. 741.
Ibid. col. 1071.
Tom. 2. Conc. 313.

Tam in Ecclesia Græca, quam in Latina opinio est, Festum Annuntiationis usque a sæculo quinto invectum fuisse. Hujusce rei nullum apud Græcos antiquius monumentum est Canone 52. Concilii Constantinopolitani in Domo Imperiali an. 692. celebrati. Eo igitur jubetur, ut Missa Præsanctificatorum qualibet Quadragesimæ die celebretur, exceptis tamen diebus Sabbati, Dominicæ, & Annuntiationis: idem Festum in Hispania institutum fuit sæculo septimo, ut colligitur ex Concilio 10. Toletano. Anno 656. celebrabatur octavo ante Jesu Christi Nativitatem die. Festum vero Conceptionis B. Virginis institutum est in Concilio Magontino an. 1049. In Concilio autem Viennensi an. 1311. Papa Clemens V. confirmavit eam Bullam, qua Urbanus IV. S. Sacramenti Festum instituerat, eique diem Jovis post Pentecostes octavam assignaverat.

Tom. 6. Conc. col. 1167.
Ibid. col. 460.
Chr. lupus, to. 3. in can. Synod. p. 495.
Tom. 11. Conc. col. 816.
Clement. lib. 3. tit. 16. de Reliq.

Quid quod Concilia multa nobis suppeditant ad res politicas, civiles, militaresque illustrandas, & ad dignitates etiam sæculares cognoscendas? Jam notum est, ubi Galli magnam agrorum suorum partem Franchis cedere coacti sunt, Francos easdem terras accepisse ab omni prorsus onere liberas & immunes, uno tantum excepto, quod belli tempore Regi suo munifices esse, eique inservire debebant. Iisdem conditionibus, iisdemque oneribus hæ ipsæ terræ ad viros Ecclesiasticos devolvebantur. Et, quoniam Episcopi militiæ onus subire ipsi non poterant, qui ipsorum vel Abbatis loco mittebatur, dicebatur *Advocatus*, *Vicedominus*. Carolus Calvus in quodam Capitulari de hujusmodi Episcopi Legato mentionem facit. Sed & Episcopi ipsi, Abbatesque aliquando in bellum proficiscebantur: quod aperte probat Concilium Suessionense an. 744. sub Childerico III. celebratum, Abbatibus vetans, ne *hostem faciant, nisi tantum homines*

Tom. 6. Conc. col. 1553.

eorum

eorum transmittant, nam vocabulum *hostis* apud inferioris ævi Latinos significabat militem, exercitum, aciem, aliaque hujusmodi.

In Capitularium Collectione a Balutio data, & in tomo 7. Conciliorum P. Labbæi, habentur ea Monasteria, quæ Milites, munera, vel preces Regi debebant; in tomo autem secundo Collectionum Duchesne habetur Constitutio Ludovici Imperatoris, cognomento Pii, qui totius Gallici Imperii Monasteria numerat eis, & trans Rhenum posita. Porro Munerum nomine certus equorum numerus aliquando designabatur. Nomine vero Militiæ intelligitur is militum numerus, quem, bello exorto, Regi debebant. Præterea ex Monasteriis quædam tantum munera, quædam & munera, & milites debebant; erant etiam, quæ nec munera, nec milites, sed debebant solummodo preces supplicationesque pro Imperatoris, ejusque liberorum, totiusque Imperii felicitate.

Tom. 4. Conc. col. 1402. Disciplina militaris, Clovis rege, magnopere florebat vigebatque; idque satis luculenter apparet ex ejusdem regis epistola ad Episcopos trans Ligerim, victo Alarico, conscripta, & ex supplicio ejus militis, qui manipulum fœni cuidam villico fuerat suffuratus. Ejus exercitus Ligerim transgressus Turoniam contendit, cui, licet inimicus & infestus, nullum tamen damnum intulit, rege ita jubente, qui S. Martinum impense colebat, præfatique militis levem cæteroquin culpam morte ipsa puniebat. Post hæc, scripsit Rex ad Episcopos epistolam, in qua se jactat & summam in singulos exercitus sui homines auctoritatem habere, & adhibita disciplinæ severitate, damna omnia, quæ in expeditione militari plerumque contingunt, removisse. Sed ista tamen disciplinæ severitas cœpit mox remitti, ejusque successorum tempore in licentiam degenerare.

Ubi exercitus in expeditionem educebantur, Princeps secum ipse adducebat, veluti itineris socios, unum, aut alterum Episcopum, Chapellanis, & aliquo ex eorum Presbyteris adjunctis. Ita quælibet exercitus pars suum habere Presbyterum debebat, qui sacra curaret. Id aperte colligitur ex Concilio Lessinensi sub Carlomanno ann. *Capitular. tom. 1. p. 146. & 409.* 742. celebrato. Carolus vero Magnus ann. 803. Edicimus, inquit, iis omnibus, qui Deo se fe addixerunt, ne arma deferant, ne manus conferant, ne adversus hostem in bello proficiscantur: eos tamen exceptos volumus, qui debent celebrare Missam, & Reliquias Sanctorum deferre: hoc est, unum, vel duos Episcopos cum eorum Chapellanis & Presbyteris; quos Princeps secum adducit. Præterea, ut quilibet Dux sibi Presbyterum eligat, qui Militum confessiones audiat, eisque necessariam Pœnitentiam imponat &c.

Porro de modo delectus militum habendi sub secunda stirpe, consulas oportet Constitutiones Caroli magni, quæ extant in Collectionibus Conciliorum, & in Capitularibus Regum Gallicorum. Ibi videas, Terras a Principe dono datas fuisse appellatas *Beneficia*, tum quinam essent *Fideles Principis*, quinam a Principis servitute exempti, aliaque ejusmodi multa ad Gallici Imperii reges, subditosque, & disciplinæ militaris rationem pertinentia, quæ fusius & explicatius habentur in Militiæ Gallicæ Historia a P. Daniele conscripta lib. 2. c. 1.

Comitis nomen, quod in quibusdam Conciliis occurrit, dabatur iis, qui Gubernatorum auctoritate per certum regionis tractum jura reddebant, ducebantque ad exercitum ejusdem regionis homines, *pagenses* dictos a latino verbo *pagus*, quod tamen illius temporis consuetudine non semper pagum, aut vicum, sed regionem etiam sæpe significat. Hi Comites, non secus ac Duces, ante regnum Caroli, cui cognomentum *Simplex*, removeri poterant ab officio & dignitate; quam primum successorio jure tenuere ex Capitulari Caro- *Capitular. tom. 2. col. 269. 270.* li Calvi ann. 877. confecto, cum jam Imperator factus secundum in Italiam iter institueret, ubi etiam vita decessit. Sed tanta hæc erga Comites inductio animi, atque indulgentia, Ludovico filio, cui cognomentum Balbus, absentis loco patris imperium regente, maximas molestiarum dissidiorumque moles toto imperio excitavit; nam, dissentiente Imperatore, ac repugnante, postquam

fœdus cum Normanniæ Ducibus, Regibusque Germaniæ fecissent, ita omnia pro ingenio moderabantur, ut Imperatoribus potius, quam subditis *Vasallisque* similes esse viderentur.

Denique tam multa ac diversa diversis temporibus in Conciliis sunt agitata ac discussa, ut multa etiam inde ac diversa lumina identidem emicent, quæ Regnorum, Regumque statum, tum subditorum, Provinciarumque, & pagorum naturam, præterea Ecclesias, & publica privataque negotia magnopere illustrant & ornant. Jam enim in Concilio Placentino ann. 1095. Adelaidem audis gravissime conquerentem de viro suo Henrico Imperatore, a quo injuriam fuerat passa: in Concilio vero Barii habito ann. 1098. cum Græcis acerrime disputatur. Hic vides in Concilio Erphordiensi ann. 1073. Thuringiæ decimas ex parte Archiepiscopo Mogontino adjudicari: illic in Concilio Remensi ann. 1093. agitari componique dissensiones, quæ inter Attrebati Episcopum, & Ecclesiam Cameracensem intercedebant. Qua Concilium Magontinum ann. 1069. de Henrici regis divortio judicat: qua aliud de controversiis Dolensis Episcopi cum Archiepiscopo Cæsarodunensi agit. Viennæ ann. 1112. & alibi damnantur Investituræ: Vintoniæ ann. 1139. causa Episcoporum, qui carcere detinebantur; Vaurii vero ann. 1213. agitur res Raymundi Comitis Tolosani. Porro de *induciis Domini* nusquam alibi plura legas, quam in Conciliis, a quibus ad hunc præsertim finem excogitatæ videntur, ut hac via & ratione mutuas magnorum virorum cædes, quæ sæpissime exoriebantur, aliqua saltem ex parte tollerent ac removerent. *Tom. 12. Conc. Tom. 13. Conc. pag. 571. 583. 637.*

Sed operæ pretium esset, cujusque Regni res & facta omnia singillatim afferre ad eos Canones explicandos, qui pro rerum factorumque necessitate conditi sunt. Cur enim, quæso, Capitular. 1. Canone 18. jubet Carolus, ut ne Episcopi, Regnorum divisionem prætendentes, aliorum bona detineant? quia videlicet tum Gallia erat inter Carolum, & Carlomannum divisa. Cur Joannes VIII. Papa, scribens ad Lambertum, & persequutiones commemorans, quas a Paganis, aliisque patiebatur, affirmat, se eo brevi adactum iri, ut regem Carlomannum adeat in Francia, cum is Bavariæ tantum Rex esset? quia videlicet Francia tunc dicebatur omne Francicum Imperium tam in Germania, quam in Gallia positum. *Tom. 1. Capitular. p. 189.*

Quid pluribus opus est? Etiam Consulum seriem, eorumque numerum nobis Concilia exhibent. Duæ Agapiti Papæ ad Cæsarium Arelatensem epistolæ, Concilium Arvernorum, & Concilium tertium Aurelianum cognomentum *Junior* Paulino dant. Mirum sane est, non idem Paulino dari a Collectoribus Fastorum seu Consulum, cujusmodi sunt Cassiodorus, Marcellinus, Chronica Alexandriæ, & inter recentiores Cuspinianus, Onuphrius, Janson Almelovenius, Calvisius, Christophorus Helvicius, Paulus Constantinopolitanus, Phrygius, aliique. Hoc tamen casu adhærendum est auctoritatibus Conciliorum, in quibus neque additum fuisse nomen illud post ipsorum celebrationem dicendum est, neque datum minori jure, quam Anicio Probo, Anicio Olybrio, Cæcinæ Decio Basilio, Flavio Justino, & Flavio Basilio, qui aliquot annis ante, vel post Paulinum Consules fuere, idque ipsum nomen, de quo loquimur, præseferunt. Ita autem appellabantur, ut distinguerentur ab ejusdem nominis alio, qui eandem ante ipsos dignitatem fuerat consequutus. Et sane alicubi reapse repperias duos Decios Paulinos Consules. *Tom. 4. Conc. col. 1798. 1803. Tom. 5. Conc. col. 294.*

Qui, levi quadam, confusaque rerum cognitione contenti, antiquitatem aut minus attente introspiciunt, aut etiam contemnunt, non id, quod dixi, dignum observatione putabunt. Iidem tamen aliter profecto sentient, simul ac animadverterant, Baronium, hac observatione neglecta, in magnum errorem incidisse in suis Annalibus ad ann. 540. num. 1. ubi ex uno Paulino protulit duos. Cum enim invenisset *Paulinus Junior*, oblitus ejus Paulini, quem Consulem cum Joanne Sufflico adnotaverat ad an. 499. putavit alium fuisse excogitandum Paulinum, qui Consul fuerit

post Decium Theodorum. Eum igitur creavit, quem dedit Collegam Justino Juniori sex annos post verum Paulinum Juniorem, in quo etiam Calvisius Baronium secutus est. Uterque tamen egregie deceptus est, non solum quia Justinus, ut P. Pagius observavit, fuit Consul solus, ac sine Collega, sed etiam quia, ut praestantissimi Auctores animadverterunt, Agapitus Papa, Consule Paulino, vivebat, cum duae ejus ad Caesarium Arelatensem epistolae dentur *post Consulatum Paulini Junioris*. Jam vero Agapitus, cum Joanni II. Papae successerit anno Christi Domini 535. supremamque Cathedram, juxta communem sententiam, nonnisi menses 10. vol. 11. dies 18. tenuerit, pertingere nequaquam potuit usque ad Consulatum Justini, & Paulini Junioris a Baronio invecti, quem nonnisi quinque, aut sex post annos repperias. Quod quidem neque ex opinione Baronii contingere potuisset, qui unius anni Pontificatum Agapito tribuit, neque ex eorum sententia, qui ostendunt, Agapitum annum unum, menses 10. & dies 19. Pontificatum habuisse. Eodem modo, cum Aurelianum Concilium habitum fuerit anno quarto post Consulatum Paulini Junioris, ut fidem facit Lupi Archiepiscopi Lugdunensis subscriptio, collocandum esset decem & amplius annis supra, quam Baronius illud collocat, collocarique reapse potest: Ita non alius fuit Paulinus Junior, quam Decius Theodorus Paulinus Collega Imperatoris Justiniani quarto Consulis.

Sant. Labbè tom. 4. pag. 1798.

Anastasius Bibliothec. Vit. Pontific. ad Ag. p. 37.

III.

Conciliorum gesta atque Acta ad comparandam Ecclesiasticae Historiae cognitionem tam necessaria quovis tempore visa sunt, ut in iis conservandis summam diligentiam & curam praestantissimi quique Auctores adhibendam putaverint.

Eusebius plurium Conciliorum Acta dedit, aut eorum saltem nobis memoriam conservavit. Ea sunt Ephesinum circa Pascha, ubi praefuit Polycrates; & Palaestinum; Romanum contra Novatianum, & Italicum eodem tempore habitum; tum quae Iconii, & Synnadae celebrata nobis innotescunt ex S. Dionysii Alexandrini epistola; praeterea Antiochena ann. 264. & 270. adversus Paulum Samosatenum, Romanum ann. 313. memoratum in Epistola Constantini ad Melchiadem, Arelatense ann. 314. memoratum in epistola ejusdem ad Ablavium, & ad Chrestum: denique Alexandrinum secundum ann. 324. in Vita Constantini lib. 2. cap. 63. & Concilium Thyatirae ann. 335. lib. 4. cap. 4. & 42. & Jerosolymitanum ann. 335. lib. eod. cap. 43.

Multa ex iis, quae recensuimus, nobis etiam ex D. Hieronymo innotescunt, ut Ephesinum, & Palaestinum: in Dialogo vero adversus Luciferianos mentionem facit Concilii Carthaginiensis circa Rebaptizandos.

Theodoretus nonnulla ex praecedentibus Conciliis memorat, ut Antiochenum ann. 264. & insuper alia, ut Concilium Mediolanense ann. 351. Ariminense, & Conciliabolum Constantinopolitanum ann. 359. Alexandrinum ann. 363. Illyricum, & Romanum ann. 369. seu potius ejus Concilii Synodicam Epistolam, Constantinopolitanum ann. 381. & Constantinopolitani ann. 382. Synodicam epistolam. Eidem Theodoreto acceptam referre debemus plura aliorum Conciliorum Acta, veluti Acta Nicaeni circa Pascha, ejus epistolam ad Ecclesiam Alexandrinam, & formulam Fidei, quam Ariani huic Concilio exhibuerunt.

Liba. haeret. fab. cap. 2.

Hist. Eccl. lib. 1. cap. 9. & 11.

D. Cyprianus plura posteritati reliquit, quae nos ex ipso fere uno cognoscimus; cujusmodi est Concilium Africanum adversus Felicissimum; Africanum item adversus Novatianum, & Carthaginiense in epistola 71. de Rebaptizandis.

Epist. 55. ad Cornel. Epist. 54. ad Cornel.

Optatus Milevitanus historiam contexit Concilii Cyrtensis ann. 305. adversus Donatistas lib. 1. contra Parmenianum. Ex ipso etiam habetur Concilium Carthaginiense ann. 311. Carthaginiensis conventus, & Romanum ann. 313.

D. Augustinus praeter Acta Concilii Cyrtensis, item duorum Carthaginiensium superius memoratorum, in epist. 46. ad Vincentium affert Concilium Carthaginiense secundum; affert Carthaginiense primum adversus Coelestium ann. 412. tum Jerosolymitanum ann. 415. & Diospolitanum eodem tempore; praeterea Carthaginiense secundum contra Pelagianos ann. 416. Et Romanum primum sub Zosymo Papa ann. 417. Et Africanum secundum ann. 418. item aliud ann. 425. ubi de facto Leporii Monachi actum est.

Plura occurrunt Concilia in Ecclesiasticis Historiis Socratis, & Sozomenis: quorum primus adducit Epistolam Circulatoriam Concilii primi Alexandrini ann. 320. adversus Arrium, & Epistolam Imperatoris ad Alexandrum & Arrium; item secundum Concilium Alexandrinum ann. 324. Laudatus Historicus una cum Sozomeno inter ea, quae digna posterorum cognitione sunt visa, affert Concilium primum Jerosolymitanum ann. 335. duo Conciliabula Arrianorum, tum Conciliabula Constantinopoli habita ann. 336. & 339. item Concilium Sardicense, Sirmiense, & formulam secundam Fidei, praeterea Mediolanense ann. 354. Ariminense, Conciliabolum Constantinopolitanum ann. 359. Concilium Antiochenum sub Meletio, & Lampsacenum. Sozomenus his addit & Synodos Tyanenses ann. 365. & Cariae Provinciae Asiae minoris ann. 366.

Ex D. Athanasio cognoscimus Concilium Alexandrinum ipsius causa coactum ann. 339. cujus Concilii epistolam Synodicam affert; cognoscimus Antiochenum Arrianorum causa celebratum ann. 341. cognoscimus quatuor horum Haereticorum Formulas, tum Concilium Romanum ann. 341. secundum Antiochenum ann. 345. eorumdem Arrianorum causa habitum, & Sardicense ann. 347.

Apolog. 2.

S. Hilarius multa nobis plurium Conciliorum Gesta suppeditat; veluti epistolam Synodicam Concilii Sardicensis ad Julium Papam; Concilium Mediolanense; Professionem, seu Formulam Fidei ab Eusebianis Philippopoli factam; primam Formulam Sirmiensem, Conciliabolum Arelatense ab Arrianis coactum; Concilium Mediolanense ann. 355. Concilium Bliteris, seu Biteris habitum; Ancyranum a Semi-Arrianis celebratum; Parisiense contra Arrianos ann. 362. Epistolam Episcoporum Italiae ad Illyrici Episcopos simul coactos ann. 363. aut 364. Germinii responsum ad epistolam Synodicam Conciliabuli Singidunensis in Mysia; Concilium Romanum ann. 369. contra Auxentium; & ejusdem Haeretici epistolam.

Orosius Marius Mercator, S. Prosper, Facundus Hermianensis, Cassianus, & Gennadius alia praeterea afferunt scitu digna ex memoratis Conciliis, itemque ex aliis pluribus, quae habita sunt adversus Pelagianos.

Sulpicius Severus in Historia Ecclesiastica non omittit neque Syracusanum ann. 380. contra Priscillianistas, neque Conciliabolum Arelatense ab Arrianis coactum.

Beda pariter in suis Operibus, veluti in Historia Ecclesiastica Anglicana, nonnullorum Conciliorum nobis notitiam tradidit; cujusmodi est Concilium Palaestinum de Paschate; Conventus ad Fanum S. Albani in Britannia. Auctor Vitae S. Germani affert & hunc Conventum, & Concilium Gallicum ann. 429.

Palladius mentionem facit de Conciliis adversus S. Joannem Chrysostomum habitis, in primis vero de Conventu du *Chesne*. S. Leo de Concilio Romano circa factum Hilarii Arelatensis ann. 445. Sidonius Apollinaris de Cabillonensi ann. 470. & de Bituricensi ann. 472. Benedictus Diaconus in suis Capitularibus de Germanico anno 742. & *Lestinensi* ann. 744. Annales Bertiniani de Conciliis *Pistrensi*, & *Vermbriensi* ann. 869. de Duziaco ann. 871. *de Pontico* ann. 875. & de secundo Trecis habito ann. 878. Flodoardus in Historia Remensi, & in suis Chronicis refert Concilia secundum, tertium, & quartum *Trosley* habita ann. 909. 921. & 924. & alterum habitum Ingelheimi ann. 948. Qui Emonii historiam prosequutus est, & Robertus Monachus Antissiodorensis, & Auctor Chronicorum S. Petri le Vif apud Senones memorant Concilium Ponticum ann. 875. Qui vero Luitprandi opus continuavit, praeter

Ponticum, memorat etiam Conciliabolum Romanum contra Joannem XII. ann. 963.

Ordericus Vitalis in Historia Ecclesiastica memorat Concilium Pictaviense ann. 1078. Eadmerus Romanum anno 1099. & Londinense anno 1102. Simeon a Dunelmo aliud Londinense anno 1125. *Continuator* Florentii Monachi Vigorniensis aliud pariter 1127. Matthæus Paris, & Henricus Venantodunensis Londinense ann. 1129. Rogerius Hovedenius Romanum ann. 1099. sub Urbano II. & Eboracense ann. 1195.

Leo Ostiensis in suis Montis-Cassini Chronicis loquitur de Concilio Beneventano sub Victore III. ann. 1087. Sugerius in Vita Ludovici VI. cui cognomentum *il Grosso*, meminit Cabillonensis colloquii inter Paschalem II. Papam, & Henricum Germaniæ regem habiti, & Concilii Trecensis. Petrus Diaconus in suis Montis-Cassini Chronicis adducit Concilium Beneventanum ann. 1108. Abbas Urspergensis Trecense sæculo duodecimo, & Lateranense secundum, quod est decimum OEcumenicum, de quo item loquitur Otto Frisingensis. Historicus modo laudatus plura quoque Concilia attulit habita contra Abelardum, veluti Suessionense ann. 1121. & Senonense ann. 1140. Plura alia cognoscimus ex Matthæo Paris.

Plura quoque fuere Concilia in Hispania celebrata, nobisque cognita ex illius Regni Historicis, quos Balutius edidit eo Libro, qui inscribitur *Marca Hispanica*. Pleraque Galliæ Concilia, quæ partim a P. Sirmondo, partim accepimus a la Lande, & a Balutio in Conciliis Narbonensibus, aliisque Operibus, deducta fuere ex iis Canonum Collectionibus, quæ in Bibliothecis delitescebant.

Longe plura ac propiora dici possent de Conciliis a memoratis Scriptoribus in medium adductis; ea tamen pauca, quæ dixi, satis superque sunt ad ostendendum, cujusque ætatis Historicos summa diligentia & attentione evolvisse ea Concilia, quæ ad illorum temporum, de quibus loquebantur, historiam referrentur; quæque legentibus exhiberent maximam partem eorum factorum, quorum memoriam posteris tradi volebant. Ac inter cætera, quæ ex hac a me instituta enumeratione deduci possunt commoda & bona, illud certe contemnendum non est, quod nobis velut ob oculos ponit plerosque cujusque sæculi Ecclesiasticos Auctores, sin minus omnes, saltem eos, quorum usus in Conciliorum tractatione maximus videri potest. Tandem hic & illud animadvertendum videtur, Auctores hosce Ecclesiasticos, ex quorum fide superiora Concilia allata sunt, in eam partem fuisse loquutos, qua referebantur aut ad controversias inter Catholicos, aut Hæreticos ipsorum tempore exortas, aut ad consuetudines, quas Disciplina in Ecclesiam invexerat.

CAPUT III.

Diluuntur objecta contra Conciliorum auctoritatem, ex eorum Collectionibus, ipsorumque Collectorum opposita confessione desumpta.

I.

Objectio Prima.

INter cætera, quæ contra Conciliorum auctoritatem objiciuntur, illud fere maximum est, quod parum admodum fidei habendum esse videatur exemplaribus iis, quæ ad hanc usque ætatem pervenerunt. Aliter enim, inquiunt adversarii, de Conciliis, ac de Sacra Scriptura sentiendum est. Nam Deus, qui Sacros Libros integros semper incorruptosque divino quodam prodigio ad hæc usque tempora conservavit, non etiam ab omni corruptionis depravationisque labe Concilia exemit; ut Conciliorum Collector Crabbe fassus est in Opusculo in tres partes diviso, quod habetur ante Concilium Lateranense ann. 1215. celebratum. *Concilia antiqua*, inquit ille, *& etiam posteriora* vix inveniuntur; *& est mirabile, quomodo hoc ita neglexerit Ecclesia Romana, & quomodo non ordinavit, ut in Ecclesiis Cathedralibus, vel etiam Metropolitanis saltem semper haberentur*. Ad hæc verba Balthassar Lydius Hæreticus, cujus est hæc objectio in notis ad Taboritarum Disputationem, audacter notat in margine *Conciliorum Codices magna ex parte esse corruptos*, veluti si hujusmodi παράδοξον cum Crabbe sententia aliquo modo conveniret. Atqui, licet etiam non omni studio & diligentia fuerint custodita Concilia in Ecclesiis Cathedralibus earum Diœcesium, vel Provinciarum, in quibus habita sunt, licet verum esset, paucos admodum Conciliorum Codices reperiri, non tamen adhuc inde colligi cogique posset, quos habemus, eos esse magna ex parte corruptos, nullamque iis adhibendam fidem.

Salmon Concil. Pag. 1001. tom. 2. edit. 1551.

Tom. 2. pag. 136.

Primum igitur respondeo, dubitandum non esse, quin vera sint, quæcumque continentur in iis Conciliis, quæ modo habemus; deinde habere nos ea ipsa Acta, eosque Canones ipsos, qui in hisce Conventibus conditi olim firmatique fuerunt. Qui hujusmodi monumenta paulisper evolver, is profecto intelliget, quanta Patres cura & attentione etiam reliqua levioris momenti monumenta custodierint: ut inde facile colligere possit, eos diligentiam longe majorem in servanda Conciliorum exemplaria contulisse. Et sane Patres Concilii Milevitani initio sæculi quinti celebrati, cujus verba habentur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, jubent, *ut Matricula, & Archivus Numidiæ & apud primam Sedem sit, & in Metropoli, i. e. Constantina*. Eodem modo quomodo Bonifacius Episcopus in Concilio Carthaginiensi ann. 525. habito contendere potuisset, *ut proferrentur ex scrinio hujus Ecclesiæ antiquorum Patrum venerabilia constituta*, nisi ea suo tempore in scrinium reposita fuissent? Quomodo Holstenius idem Concilium ex Vaticano educere potuisset, ac deinde P. Acherius edere tom. 6. Spicilegii, nisi Manuscriptum religiose servatum fuisset. Profecto dicendum non est, Ecclesiam earum tabularum curam abjecisse, quibus suam multorum fundorum, bonorumque immobilium possessionem confirmat, ac ratam facit. Non sinit nos hac de re dubitare Concilium Agathense ann. 506. celebratum, cujus Canon 26. est contra eos, qui Conciliorum Acta vel supprimunt, vel adversariis tradunt; quos proinde ad damni illati compensationem ipsius Communionis privatione compellit: idemque eadem pœna eos quoque affici vult, qui hujusmodi Instrumenta, Depositariis vel promissis, vel pecunia, vel alia quavis ratione subornatis, sibi usurpaverint. Numquid igitur putandum est, Ecclesiæ minus fuisse cordi monumenta Ecclesiastica, ea præsertim, quibus dogmata continentur?

Tom. 2. Conc. col. 1101.

Tom. 4. Conc. col. 1636.

Tom. 4. Conc. col. 1387.

Sed ea nimirum erat Pontificum Romanorum consuetudo, ut seponerent ac reservarent ipsas autographas Litteras, & Acta, quæ aliquam Ecclesiæ utilitatem afferre potuissent, non secus atque eas epistolas, quas vel ipsi aliis scripsissent, vel ab aliis sibi scriptas accepissent. Porro locus, in quo servabantur, variis nominibus dicebatur, *Scrinium, Chartarium, Archivum*. Ad finem epistolæ quartæ Damasi Papæ n. 5. ex Collectione P. Constant habentur hæc verba: *Explicit hæc Epistola vel expositio Synodi Romanæ habita sub Damaso .... ac* deinde pluribus subscriptionibus interjectis: *similiter & alii 146. Orientales Episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in Archivis Romanæ Ecclesiæ tenetur*. Ex his liquido apparet, ann. circiter 379. fuisse Romæ Tabularia, sive, ut dicebant, Archiva, in quibus insigniora servabantur Ecclesiastica monumenta, quæ certe Concilia sunt: ibi enim agitur de Concilio Romano, & de Antiocheno, in quo Orientis Episcopi supra 146. subscripsere.

Epist. Romanorum Pont. col. 500.

Tom. 2. Conc. Labbé pag. 894.

Cum Rufinus dubitare visus fuisset de litteris, quas Anastasius I. miserat ad Joannem Jerosolymitanum, D. Hieronymus eum provocat ad Romanæ Ecclesiæ Chartarium, ubi si forte *deprehenderit ab Episcopo non datas, tunc manifestissime se criminis reum teneri non recusat*. Bonifacius I. hac voce scrinium probat, Rursum jam creatum fuisse

Lib. 3. adv. Rufinum.

Epist. 4. n. 2.

fuisse S. Sedis ad Thessalonicenses Legatum, *ut*
Epist. 4. n. 8. *scrinii nostri monumenta declarant*. Cælestinus I. mittit ad Episcopos Provinciarum Viennensis & Narbonensis exemplaria libellorum; qui sibi dati fuerant contra Danielem, additque, eosdem autographos *in scriniis publicis contineri*. Idem moris obtinebat tempore S. Leonis, ut apparet ex ejusdem epistola 110. ad Maximum Antiochenum, & ex 61. ad Theodosium, ubi loquitur de Epistolis S. Cyrilli Alexandrini. Id ipsum testantur Provinciæ Arelatensis Episcopi epist. 54. ad eumdem Pontificem. In hoc Hilarius Papa Decessorum suorum exempla sequutus est: quos pariter ut imitari videretur Sycophanta nescio quis, Symmacho fortasse Papa regnante, qui falsa Xysti III. Acta deprompsit, in fronte Actorum suorum verba hæc adjecit: *Hoc indiculum collegit Archidiaconus Presbyter & ipse quasi in Chartarium Ecclesiæ con-*
Apud Buch. pag. 489. *locavit*. Cum Symmachi tempore quæstio de celebrandi Paschatis modo agitaretur, ex Romanæ Ecclesiæ Archivis educta sunt Episcopi Paschasini Scripta, quibus continebatur epistola ejusdem ad Leonem, in qua probat, servandam esse Ecclesiæ Alexandrinæ computationem. Symmachus epist. 3. fatetur, & esse *scrinium*, & Archiva antiquorum Episcoporum canonibus redundare.

Acta Concilii Romani, cui præfuit Bonifacius II. eumdem a Romanis Pontificibus morem servatum probant. Cum Episcopus quidam auctoritate Romanorum omnium Pontificum, qui Bonifacium
Tom. 4. Conc. col. 1699. præcesserunt, probare voluisset, Romanos Episcopos peculiare quoddam in Ecclesias Illyrii semper jus habuisse, *quarumdam Epistolarum* SS. Patrum *complura exemplaria protulit, quorum fidem fieri ex scrinio publico postulavit. Bonifacius Episcopus jussit, prolatas epistolas recitari, & scriptorum fidem in Sedis Apostolicæ scrinio requiri*. S. Gre-
Lib. 3. indict. 11. Ep. al. 54. gorius, cum privilegia, quæ Joannes Episcopus Ravennatensis suæ concessa fuisse Ecclesiæ contendebat, non satis certa compertaque haberet, jussit ea in Archivis Romæ diligenter perquiri, ac deinde Joanni scripsit, nihil prorsus esse uspiam inven-
Al. l. 7. indict. 2. Ep. 117. tum, quod ipsi faveret. Didier Episcopus Viennensis, qui Pallii usum Ecclesiæ suæ tanquam ex privilegio debiti ab eodem Pontifice requirebat, tulit idem responsum, non secus atque Ætherius
Al. l. 9. indict. 4. Ep. 50. Lugdunensis. Idem Pontifex voluit ad Episcopum Sabinensem mitti exemplaria Actorum, quæ in iisdem Archivis erant, quæque Gallipolitas tueri poterant a direptionibus, quibus per summam injuriam affligebantur. Eadem etiam processu temporis habita est Archivorum cura; & sæculo deci-
Al. l. 7. indict. 2. Ep. 105. mo tertio Innocentius III. harum Archivorum Acta peteurrit legendo, ut deprehenderet, qua ratione & quo modo se gesserit Nicolaus I. Papa tunc, cum Triballi ad opem Sedis Apostolicæ supplices confugerunt.

Nimirum certum & indubitatum est apud omnes, quicumque sunt in Ecclesiastica Historia non omnino rudes & imperiti, in Concilio sexto Carthaginensi, & consequenti, recitatas fuisse epistolas Concilii Nicæni juxta exemplar delatum a Cæciliano Carthaginiensi Episcopo, qui ibi interfuerat. Patres rogarunt Zosimum Papam, ut observanda præscriberet, quæcumque in Concilio Nicæno fuissent præscripta. Idem addidere, si quæ disposita ac stabilita fuerunt in duobus Concilii Sardicensis canonibus, eadem in Concilio Nicæno continerentur, non esse camdem crambem recoquendam; at, si secus sit, nullo jure prohiberi, quin injurias injuste illatas repellant: hinc addunt
Tom. 2. Conc. col. 1592. & illa: *Obsecramus vos, ut scribatis ad Episcopos Africæ, Alexandriæ, & Constantinopolis, & quibuscumque placuerit, qui nobis Nicænos Canones mittant. Quis enim amplius dubitare poterit de veritate exemplarium, quæ ab his illustribus Ecclesiis deferrentur, quæque autographis suis invenirentur omnino convenientia?* Concilium istud Carthaginiense Alexandriam misit Innocentium Presbyterum, cui S. Cyrillus accuratum tradidit Concilii Nicæni exemplar ad verbum expressum ex autographo, quod in Archivis Ecclesiæ suæ custodiebatur. Marcellus pariter Subdiaconus Constantinopolim missus est, & ab Attico item Concilii Nicæni exemplar accepit.

Eutyches in Concilio Constantinopolitano damnatus Imperatori libellum dedit, quo petebat, *Lib. Brevic. cap. 11.*
ut hujusce Concilii relegerentur Acta, quæ contendebat non fuisse fideliter descripta. Annuit Imperator, ejusque jussu Constantinopoli habitus *Tom. 4. Conc. col. 236. & 240.*
est Conventus in Ecclesiæ Baptisterio sexto Idus Aprilis, Consule Protogene; h. e. die octava Aprilis an. 449. Aderant triginta fere Episcopi. Flavianus exhibuit Notarios, qui Concilii Acta descripserant. Ea Patricius jussit afferri. Ætius, unus ex his, primum recusare; tandem Concilii jussu protulit Acta autographa, quorum exemplar ex parte Eutychetis protulit quoque Constantius. Eorum instituta lectio est; quoad duas primas Sessio- *Ibid. col. 245. B.*
nes controversia nulla, nulla difficultas; Illud magnopere agitatum discussumque est, quod nonnul- *Ibid. col. 248. B.*
li clamitabant, Eutychetem, cum sententia depositionis legeretur, provocasse ad Concilia Ss. Episcoporum Romani, Alexandrini, Jerosolymitani, & Thessalonicensis; nulla tamen adhibita probatione dicebant, Acta ab aliis Notariis fuisse adulterata.

In Concilio Chalcedonensi Dioscorus accusatus, *Tom. 4. Conc. col. 127.*
cum se defendere cogeretur, postulavit, ut Concilii Ephesini Acta legerentur, eaque singillatim ad trutinam revocarentur. Quodam Actorum loco in disputationem vocato, Orientales se id nequaquam dixisse professi sunt. Theodorus Claudiapolitanus, de Dioscoro loquutus vult, ut adesse jubeat Notarios suos; nam, cæteris ejectis, voluit scribi a suis. Magistratus quæsiere, qua manu Acta essent *Ibid. col. 130.*
descripta? Inquit Dioscorus: quisque suis in scribendo Notariis usus est, ego meis, Juvenalis suis, Thalassius item suis: aderant & aliorum Episcoporum Notarii, qui scribebant. Inquit Juvenalis: ego Notarium habebam; qui cum aliis scribebat. Inquit Thalassius: & ego meum habebam. Inquit Dioscorus: hinc vos videtis, meos non fuisse solos. Id autem demonstrat, qua cura & studio Conciliorum Acta describerentur. Verum est, aliquando plura, aliquando pauciora in his exemplaribus legi. Ita Collectio, quam hodie habemus Concilii Chalcedonensis, differt aliquantulum ab ea, quam habebat Evagrius Historicus, quamque afferunt et- *Evag. Hist. cap. ult.*
iam nunc quædam antiqua exemplaria, ut mox dicemus; sed isthæc tamen Exemplarium varietas ac differentia inde oritur, quod in Conciliis generalibus magnarum Sedium Episcopi Notarios quisque suos habebant, a quibus ea Acta describebantur, quæ ex ipsorum re magis esse videbantur: Unusquisque studebat secum efferre, & in Provinciis publicare, quæ ad universam Ecclesiam pertinebant, h. e. definitiones Fidei, & Canones. Quod vero attinet ad ea Acta, quæ peculiaria quædam negotia afficiebant, non eadem omnium cura erat ac diligentia. Alii enim omnia prorsus negligebant; alii, parte una relicta, aliam colligebant; rursus qui ea colligebant, collecta varie collocabant, prout temporum ordo, argumentorumque dignitas requirere videbatur. In Actis ejusdem Concilii nihil de Origenis condemnatione. Nihilo tamen minus certum est, cum in quinto Concilio fuisse condemnatum. Sed ea diversitas, quæ inter *Balut. Praf. in quintum Concil.*
antiqua horum Actorum exemplaria intercedit, aperte demonstrat, non omnia ab omnibus fuisse collecta, quæ continebant.

Summa adhibebatur diligentia & attentio, ne *Tom. 2. Conc. col. 803.*
qua in Concilia corruptio irreperet. Hinc S. Gregorius, cum Ephesinum Concilium aliquibus in locis depravatum fuisse suspicaretur, scripsit ad Co- *lib. 6. indict. 14. ep. 14.*
mitem Narsetem, eumdem enixe precatus, ut Codices ejusdem Synodi *requirat, inventosque transmittat*, quo certior hac de re fieri possit.

Consuetudine receptum erat, ut arbitraria quædam nota vel Signum singulis *Actis* apponeretur. Hoc veluti indicio. Scripturæque discrimine dete- *Tom. 6. Conc. col. 622. & 623.*
cta est quorumdam Actorum corruptio Concilii quinti in sexti sessione tertia. Lector Antiochus cum quintum Concilium legere incæpisset, incidit initio statim in hæc verba: *Sermo Menadis Archiepiscopi Constantinopolitani ad Vigilium Romanum Pontificem de eo, quod non est, nisi una voluntas in Jesu Christo*. His auditis excutere sese Legati Romani, & clamitare: o Domine, liber iste corruptus est: ne recitetur Sermo Menadi fal-

so ad-

so adscriptus: suppositus est. Sed perpendite, si placet, istud Concilii quinti volumen: facile intelligetis, præfatum sermonem nonnisi paulo post fuisse insertum. Nam Menas obiit anno vigesimo primo Justiniani; quintum vero Concilium coactum fuit vigesimo septimo anno, cum Eutychius ejus urbis esset Episcopus. Imperator, & Magistratus, ac nonnulli simul Episcopi, perpenso examinatoque libro, animadverterunt, ejusdem fronti addita fuisse tria Acta, quæ solitas notas consuetaque signa non præ se ferebant; sed prima nota inusta erat quarto Acto, secunda sequenti, & sic deinceps; præterea trium additorum Actorum ab antiqua ejusdem voluminis scriptura differebat.

In Conciliis Acta omnia prolata recitabantur: afferebantur tum autographa, tum exemplaria: ubi horum veritas necessario comprobanda esset, consulebantur autographa. Hinc Concilium sextum Georgio Chartarii Custodi mandavit, ut conquireret, & conquisita deferret Acta omnia autographa, quæ Constantinopoli in Thesauro chartarum Patriarchalium servabantur.

Tom. 6. Conc. col. 977.

Concilium quintum Ms. quod olim apud M. Joly, nunc Parisiis est in Bibliotheca SS. Virginis Mariæ, corruptum fuit, & ad nos usque pervenit, eas ipsas fallacias secum adducens, quas Concilium sextum detexerat. Quod sane mirandum esset, cum sextum Concilium actione 14. decreverit, *corruptos depravatosque locos obelis obduci, & cassari*; nisi & illud constaret corruptionem, quam sexti Concilii Patres detectam tollere voluerunt, habuisse Auctores quosdam inter Acephalos principes, qui & quinto Concilio interfuerant, & summo studio curaverant, ut in nonnulla illius Concilii Actorum exemplaria clanculum immitteretur. Jam vero cum inter duo isthæc Concilia 126. vel 127. anni interfluxissent, facile fieri potuit, ut magnus exemplarium corruptorum numerus late disseminaretur. Quod vero Parisiis extat exemplar, id dicemus fore unum ex iis, quæ diligentiam attentionemque defugerunt Episcoporum, qui hujusmodi depravationem cum detexissent, omni ope & studio contenderant, ne latius serperet, ac divagaretur. Factum hoc a P. Coustant allatum ostendit, Conciliorum Patres summa attentione curasse, ut Mss. correcta maxime & emendata haberent.

Tom. 6. Conc. col. 980.

Vindic. confir. p. 115. 116.

Ut eorum, quæ in quinto Concilio adjecta fuerunt, apertius falsitas appareret, in sexto falsata hæc exemplaria cum antiquis collata sunt; ex quo illatum est, quæcumque aberant ab antiquis, ea fuisse in alia dolo malo ac furtim immissa.

Tom. 6. Conc. col. 980.

Si leviter quasique per transennam consi lerentur verba Hincmari de quorumdam locorum in quinto Concilio corruptione, credendum fortasse erit, ejus Mss. exemplaria fuisse depravata; istiusmodi tamen depravatio nequaquam Theodoro a Mopsuestia adscribi potest. Cum enim in octava Sessione Diodorus Archidiaconus, & Notariorum Primicerius pluribus in eum iisque gravissimis criminationibus usus esset, nihil tamen simile eidem objicit neque ibi, neque alibi. Præterea, licet isthæc criminatio in aliquem caderet, licet haberentur vera, quæcumque Hincmarus de quinto Concilio scribit, num etiam certum compertumque fuisse tradit, Catholicorum Libros fuisse ab Hæreticis depravatos? Illud tantum dicit, *quædam testimonia ex Catholicorum libris deprompta ad suam confirmandam pravitatem fuisse ab iis detruncata*. Nunc Macarium Antiochenum hujus corruptionis Hincmarus reum facit? Sed is tantum ait, quædam illum detruncasse ex Patrum Libris excerpta. Possunt legi sextæ Synodi Acta, ubi illius crimen apparet: protulit enim plura exemplaria, in quibus diversis Patrum locis innixus hæresim suam tueri & confirmare studebat. Concilium actione octava testimonia hæc cum autographis conferri jussit: sumptis perlectisque S. Athanasii operibus, compertum est, omisisse verba, quæ locum hunc præcedebant, & comitabantur; interrogatus, cur ita locum deformasset, respondit, se id fecisse, eo consilio, ut malius causæ suæ inserviret. Hæc pessima agendi ratio damnata est a Concilio, tanquam propria Hæreticorum; non tamen etiam accusatum accepimus, quod exemplaria data opera corrupisset.

Hincm. to. 1. part. 464.

Tom. 5. Conc. col. 562. 564.

Tom. 6. Conc. col. 576.

p. 777. E.

Sed ecce tibi quanta eo fuerit collata diligentia, ut sexti Concilii Acta conservarentur. Imperator Justinianus II. scripsit ad Joannem Papam epistolam tertio Kal. Martias, regni sui anno secundo, Indictione quinto, h. e. die septimo Februarii 687. In hac epistola inquit Imperator, se, cum deprehendisset sexti Concilii Acta, quæ ipse unus servare & custodire debebat, penes nonnullos ex suis Officialibus Constantinopoli esse, coegisse Patriarchas una cum Sanctæ Sedis Legato; præterea Senatum, Metropolitanos, & Episcopos, qui ea in urbe degebant, & Palatii Officiales; jussisse, ut coram his omnibus afferrentur Acta Concilii, ac deinde perlecta obsignarentur, ne corruptioni depravationique in posterum obnoxia forent; atque id demum esse, de quo oportere judicaverat eum certiorem fieri.

Tom. 6. Conc. col. 1121.

Etiam attentius provisum est, quoad Fidei definitionem: Concilium Imperatorem rogavit, ut ad majorem Fidei securitatem cuique Patriarchali Cathedræ traderetur exemplar hujusce definitionis Imperatoris manu signatum; quod ille libenter concessit; continuoque confecta fuere quinque exemplaria, eaque data Papæ, & duorum Patriarcharum absentium Legatis, & Patriarchis Constantinopolitano, & Antiocheno, qui aderant.

Tom. 6. Conc. col. 1072.

Sed Romani Pontifices non solum in suis Archiviis Acta Conciliorum habebant, sed & ea legebant, & veritatem eorum, quæ in iis continebantur, investigabant. Hujusce veritatis comprobandæ causa Papæ Legati, qui Concilio sexto interfuerant, quædam Acta inde Romam detulerunt una cum duabus Imperatoris epistolis. Ecce tibi, quæ Leo II. an. 683. scripsit in epistola, quam ad Imperatorem misit per Constantinum Subdiaconum regionarium S. Sedis, qui Concilio interfuerat: *Gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula, quæque gesta sunt flagitantes, eadem quæ Apostolicæ Sedis Legati narraverunt, scriptis consonantibus convenire referimus*.

Tom. 6. Conc. col. 1120. Ib. col. 1113.

Plura conficiebantur exemplaria, ut ne omnia casu aliquo prorsus interirent. Hinc Joannes Patriarcha Constantinopolitanus ad Constantinum Papam scripsit, etiamsi Philippinus omnia, quæ erant in Palatio, sexti Concilii exemplaria combussisset; cum tamen nihil inde consequi potuisse; quoniam ipse apud se summa cura & attentione servaret ejus Concilii Acta, in quibus sunt Episcoporum & Imperatoris subscriptiones; præterea habere se exemplar manu Pauli conscriptum ejus, qui mox fuit Episcopus Constantinopolitanus.

Tom. 6. Conc. col. 1456.

Agatho Diaconus, & Chartarii Ecclesiæ Constantinopolitanæ Custos, Protonotarius, & secundus Consilii Patriarchalis Cancellarius scripsit Acta sexti Concilii, adjecta admonitione, quæ factum probat: „ Anni sunt circiter triginta duo, inquit ille in epilogo, cum ego adhuc juvenis in „ Ordine Lectorum & Notariorum, inservii Sancto Concilio sexto OEcumenico, cujus Acta „ omnia continentur conscripsi una cum Paulo „ sanctæ memoriæ, mox hujus Ecclesiæ Patriarchæ, tum laico, & Imperatoris Secretario, & „ quibusdam aliis: manu propria nitide litteris Ecclesiasticis consignavi volumina omnia horum „ Actorum, quæ, ut tutius custodirentur, obsignata, & in Palatio Imperiali reposita fuere; „ una cum Fidei definitione ejusdem Concilii. „ Ego idem scripsi Definitionis Fidei exemplaria „ subscripta, quæ data fuere quinque Sedibus Patriarchalibus, jussu Imperatoris Constantini piæ „ memoriæ, qui nimirum ita jussit, ut fides sarta & tecta ab omni labe, detrimento, corruptione sincera, integraque conservaretur „.

Tom. 6. Conc. col. 1401.

Sed & ad septimum generale Concilium, antequam regulæ de Hæreticorum conversorum receptione stabilirentur, allati sunt Patrum Libri, inter quos lectus est Canon Apostolorum 53. Canon Nicæni octavus, nonnulla ex Actis Sessionis primæ Concilii Chalcedonensis, epistola Tarasii ad Orientales, & epistola Orientalium Episcoporum nomine ad Tarasium, Canon 82. Concilii sexti, h. e. Concilii in Trullo, &, quoniam laudatus Canon ex charta lectus est, Sabas Sicensis Abbas quæsivit, quare non ex libro; respondit que Tarasius,

Tom. 7. Conc. col. 66. & seq.

Ibid. col. 162. & 170.

Ibid. col. 134.

ſius, chartam eſſe eam ipſam autographam, quam Patres ſubſcripſerant.

Verum eſt, Acta autographa octavi Concilii generalis an. 869. habiti in Eccleſia S. Sophiæ una cum reliquis rebus e legatorum manibus fuiſse a Sclavis extorta; ſed Legati, libertate paulo poſt recepta, Romam redierunt una cum exemplari Actorum Concilii, quod Anaſtaſius ſecum aſportandum curaverat; quodque repoſitum fuit in Archivis Eccleſiæ Romanæ, adjecta verſione latina, quam ipſe Anaſtaſius confecerat.

Acta particularium Conciliorum ſervabantur etiam extra eas Provincias, in quibus habita fuerunt; veluti cum Epiſcopi, aut presbyteri Romani ea ſecum ipſi aſportabant. Hinc Patres Concilii Carthaginienſis an. 419. *Quoad reliqua*, inquiunt, *quæ in Concilio noſtro peracta ſunt, fratres noſtri Epiſcopus Fauſtinus, & presbyteri Philippus & Aſellus Papæ Legati Acta ſecum aſportant, ex quibus ea cognoſcere poteritis.*

Concilium hoc aliis quatuor modis ſervatum fuit: primum in Collectione Conciliorum, ubi diviſum eſt in duo, ſc. in ſextum, & ſeptimum Concilium Carthaginienſe: ſecundo in Codice Canonum Dionyſii Exigui, a quo refertur ſub nomine Concilii generalis Africani, quoniam & aliorum Conciliorum Canones 138. articulis complectitur: editio tertia nihil aliud eſt, quam præcedentis græca verſio, quæ 138. pariter articulos continet ſub nomine Codicis Canonum Eccleſiæ Africanæ: Editio quarta, quæ, non ſecus ac prima, habetur in Collectione Conciliorum, nihil aliud eſt, niſi quædam pars, quæ incipit a Concilio Hipponenſi an. 393. & dividitur in 105. articulos: hæc nomen tantum Concilii Africani præſefert.

Præterea ſunt Concilia, quæ nos accepimus ab aliis Conciliis, quæ illorum Canones vel adoptarunt, vel colligi voluerunt. Ecce tibi bene multa Concilia, quorum Canones poſteriora Concilia aut integros, aut per compendia vel citarunt, vel inſeruerunt, vel confirmarunt, vel renovarunt. Concilia Africanum, Agathenſe, Amyranum, Antiochenum an. 363. Arauſicanum I. Arelatenſe I. an. 314. Arelatenſe II. Alvernienſe an. 535. Aurelianenſe an. 511. Aurelianenſe an. 549. Gangrenſe, Ilerdenſe, Laodicænum, Lateranenſe, Leſtinenſe, Lugdunenſe, Milevitanum, Neocæſarenum, Nicænum, Apollinarienſe, Piſſiacenſe, Remenſe, Sardicenſe, Romanum an. 826. Sinueſſanum, Taurinenſe, Toletanum, Meldenſe an. 845. Turonenſe, Valentinum, Vaſionenſe, Viennenſe, Bituricenſe an. 1034. Avenionenſe an. 1209. Pamienſe an. 1212. Bituricenſe an. 1279. Senonenſe an. 1320. Baſileenſe, Avinionenſe an. 1326.

Nulla difficultas eſt in quibuſdam Conciliis, quæ ſibi ſunt omnino ſimilia, excepto tempore, quo celebrata fuerunt, & urbis Eccleſiæque nomine, veluti Viennenſe an. 1060. & Turonenſe, vel quod Canones, qui iis tribuuntur, Epiſcoporum conſilio formati fuerint; quod tamen probabile non eſt; vel quod Legatus in ordinem diſtributos Romam detulerit. Verbo, licet ex Actis Conciliorum generalium, præcipue vero octo primorum, nonniſi pauca quædam certa & indubia nobis remanſerint; licet omnia ſint plena confuſione & conjecturis, tum Græcorum incuria, qui depoſita male ſervarunt, tum Græci Imperii diſſolutione ac ruina; licet ſubſcriptiones ſint magna ex parte confuſæ, nulloque ordine collocatæ: non idem tamen dicendum eſt de Canonum textu: de textu, inquam, Canonum; ſiquidem confugiendum eſt ad autographa, juxta Bellarminum, ubi aliquid controverſiæ ſit in verſione latina. Cum enim quilibet Epiſcopus Canonum exemplar ſecum ipſe deferret, itemque aliud ex more mitteretur ad Eccleſias quaſque remotiſſimas, quarum conſenſus & approbatio exquirebatur, facile fuit ea ſervare in Occidente; Romæ vero præcipue, cui, tanquam primariæ Sedi, aliquod ſemper exemplar, veluti ex officio, dabatur.

Objectio ſecunda.

II.

Sed corruptio ac depravatio exemplarium Conciliorum, inquiunt ſecundo loco, ex diverſis etiam eorumdem editionibus manifeſte deprehenditur. Quicumque enim Concilium Nicænum a Gelaſio Cyziceno conſcriptum cum duabus diverſis editionibus Alphonſi Piſani an. 157. Dilingæ, & an 1581. Coloniæ impreſſis contulerit: item has cum *Conc. Tom. 2.* Editione, quæ extat in Conciliorum tomis, & in- *col. 109.* ter Canones Conciliorum a Balſamone illuſtratos, non poterit is non magnopere admirari tantam inter ipſas differentiam, quæ profecto non aliunde, quam ab Exemplarium corruptione potuit proficiſci.

Antequam huic objectioni occurramus, operæ pretium eſt, ipſum Gelaſii opus diligenter excutere & conſiderare. Igitur initio ſtatim in Præfatione nos admonet, ſe apud Patrem ſuum, Presbyterum Cyzicenum, vidiſſe Librum quemdam (*) membranaceum, qui Acta omnia & geſta hujuſce Concilii continebat, quique olim fuerat Dalmatii illius urbis Epiſcopi. Gelaſius cum librum hunc adhuc adoleſcens magna cum voluptate legiſſet, neque omnia memoria retinere poſſet, plura inde excerpta animadverſione digna notaverat. Sed proceſſu temporis cum ex diſputationibus Eutychianorum, qui, defenſionem Nicæni præ ſe ferentes, acriter pro Baſiliſco in Concilium Chalcedonenſe exarſerant, intellexiſſet, eos laudati Nicæni Concilii doctrinam penitus ignorantes Andabatarum more pugnare, ipſe hujuſmodi argumentum pertractandum ſuſcepit, Memoriiſque, de quibus diximus, antiqua adjungens neſcio cujus Presbyteri Joannis volumina, & quicquid uſpiam, præſertim ex Euſebio Cæſarienſi, & Rufino collegit, Hiſtoriam Nicæni Concilii dedit in tres Libros diviſam. Ejus neque Ms. integre habemus, neque Librum tertium, cujus pars deſideratur. Photius affert non- *Cod. 88.* nulla, quæ ab edita Gelaſii Hiſtoria abſunt.

(*) ἐν βιβλίῳ ἀρχαιοτάτῳ ἐγγεγραμμένα ἐν μεμβράναις.

Et Alphonſus Piſanus Nicænam Synodum dedit in quatuor Libros diviſam: quorum primus continet ea, quæ Concilium antecellerunt: ſecundus Acta & geſta Concilii: tertius Decreta, ſcilicet 80. Canones ex Codice Arabico extractos, & conſiderationes græce *διατυπώσεις* dictas: quartus demum ea, quæ Canonum conſtitutionem conſequuta ſunt. Eidem Operi totum inſeruit ſecundum Librum Hiſtoriæ Gelaſii ex Ms. Vaticani ſecundum Cave part. 1. p. 367. Hujuſce Concilii duæ ſunt Editiones: quarum prior titulum præſefert, *Acta & Canones Concilii Nicæni ſtudio Alphonſi Piſani S. F. concinnata Dilingæ, Seb. Mayer* 1572. *in* 8. Altera inſcribitur, *Nicænum Concilium primum generale in IV. Libros diſtinctum per Alphonſum Piſanum Coloniæ Agrip. Birckmanni* 1581. *in* 8. Utraque habetur in Bibliotheca S. Genevefæ inter Epiſcopi Remenſis Libros.

Quidam Sapientes viri, & inter cæteros P. Ale- *Sæc. 4. Par. 2.* xander plures in Gelaſio errores animadverunt. *Differt. 13.* 1. quod dixerit, Concilium Nicænum fuiſſe indi- *p. 126.* ctum anno decimo ſexto regnantis Conſtantini; poſt annum vero ejuſdem Imperatoris vigeſimum primum fuiſſe dimiſſum; ac tandem annos ſex integros perduraſſe; in quo cum Photius ſequutus *Biblioth. cod. 88.* eſt. 2. Quod Rufinum Presbyterum Romanum appellaverit, cum fuerit Presbyter Aquilejenſis, quodque eumdem, qui tunc vix natus erat, Concilio interfuiſſe affirmaverit. 3. Quod vocabulum *Francorum* uſurpet, antequam fuerit uſu receptum. *Lib. 1. c. 27.* 4. Quod dixerit, Alexandrum Alexandriæ Epiſco- *Lib. 2. c. 2.* pum ad Eccleſias Ægypti, Lybiæ, & Pentapolios Concilii Actiones miſiſſe per Athanaſium tunc Archidiaconum, Alexandrum vero, tunc Presbyterum Conſtantinopolitanum, deinde Epiſcopum eaſdem miſiſse ad Eccleſias Inſularum, quæ Cyclades dicebantur; perinde ac ſi D. Athanaſius aliam dignitatem, præter Diaconatum, habuerit, aut alii, præter Synodum, Acta miſiſſent, aut alius tunc temporis fuiſſet Epiſcopus Conſtantinopolitanus, præter Alexandrum, aut demum Cyclades Inſulæ reapſe ad Diœceſim Conſtantinopolitanam pertinuiſſent. 5. Quod initio ſui Operis dixerit, Arrianos contra Spiritum Sanctum blaſphemaſse, qua de re nulla omnino erat quæſtio, juxta SS. Epiphanium, *Lib. 2. c. 1.* & Baſilium. 6. Quod Euſebium, quem, tanquam Arrianum, univerſa damnat antiquitas, ipſe excuſandum putaverit. 7. Quod dixerit, Euſebium ad omnes Epiſcopos Librum Apologeticum ſcripſiſ-

psisse, cum epistolam tantum scripserit ad solos Cæsareæ Episcopos. 8. Quod dixerit, eo tempore, quo scribebat Eusebius, nullum adhuc in sermonibus hominum de Arriana hæresi factam fuisse mentionem, cum tamen Eusebius Libros suos adversus Marcellum Ancyranum scripserit, ea jam a Concilio Nicæno condemnata. 9. Quod in Nicæno Concilio, tanquam Fidei propugnatorem, eum repræsentaverit Eusebium, qui illius Symbolo, & adversatus est secundum D. Athanasium, & nonnisi resistens repugnansque subscripsit.

Præterea ex Conciliis post an. 325. habitis, veluti secundo Arelatensi, & secundo Carthaginiensi non admodum difficile est demonstrare, Gelasium non convenire cum iis, quæ ex ipso Concilio Nicæno nobis innotuerunt. Nunquam ex causa ejus tertium Canonum concilies cum excerptis ex Historia Paphnutii, quæ Gelasius deduxit ex Socratis Lib. 1. cap. 8. & ex primo Sozomenis, cap. 22. Commentarius hic, si fides antiquis Patribus habenda est, plura continet a Concilii Nicæni spiritu quam remotissima: plura item omittit, quæ referre deberet, juxta ejusdem Concilii Acta; ex. gr. D. Athanasius in oratione prima contra Arrianos, & Theodoret. l. 1. Hist. c. 8. testatur, Scripta Arrii, & Epistolam Eusebii Nicomediensis in Concilio Nicæno fuisse recitata. Julius Papa in Epistola, quæ refertur in secunda D. Athanasii Apologia inquit, Synodi Alexandrinæ Acta in Concilio Nicæno fuisse diligenter excussa: de his Gelasius ne verbum quidem. Hinc idem de pluribus hujus Historiæ locis judicium feras. Non tamen inde continuo sequitur, relinquendum esse Gelasium, quoties iis, qui Concilii Nicæni tempore scripserunt, adversetur; ac, licet ex Eusebii textu non colligas, Osium huic Concilio præfuisse (quod ex libro tertio hujus Historici Ecclesiastici se dicit desumpsisse) non tamen idcirco minor eidem adhibenda fides est, sive dicamus, Eusebii locum esse mendosum, sive velimus, Gelasium Eusebii textum corrupisse, eidemque istum tanquam separatum articulum addidisse. Lib. 2. c. 6.

Quicquid tamen sit, nulla nos ad hoc necessitas adigit, ut aut Gelasii partes sequamur, aut illum cum reliquis Historicis, aut illius saltem Historiam conciliare velimus cum editionibus Nicæni Concilii ab Alphonso Pisano editis. Quicquid veri certique continet Historia Gelasii, totum deductum est ab Eusebio, Socrate, Sozomeno, & Theodoreto: reliqua neque suspicione carent, neque satis sunt magno Auctore digna.

Atque hoc loco observandum est, in Editione Conciliorum generalium Romæ edita admonitionem adjungi Commentario Actorum Concilii Nicæni per Gelasium Cyzicenum dato; sed admonitionem hanc variam esse ac diversam in quibusdam exemplaribus: quorum alia breviorem, alia longiorem exhibent. Quæ longior est, ea adducit rationum momenta, quæ huic Commentario parum auctoritatis inesse ostendunt. Nam, præter ea, quæ in hanc rem hactenus adduxi, & illud, inquiunt, non satis probabile est, quod ab hoc Auctore dicitur, videlicet, Concilium quidem Nicænum vetuisse, ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi cohabitare possent cum iis, quibus nupserant laici; sed Paphnutio intercedente, nullam in hanc rem factam fuisse decisionem. Hujus narrationis falsitatem arguunt D. Epiphanius, D. Hieronymus, qui aperte testantur, sacrum hoc ministerium non fuisse traditum nisi iis, qui continentiam sibi perpetuo servandam proposuissent. Sed & Launojus magnam errorum vim in Gelasio detexit tom. 8. Ep. 11. Videndus etiam est jam allatus P. Alexander Sæcul. 4. dissert. 13. & 17. & P. Labbæus de Script. Eccles. tom. 1. Alii contra Gelasium defendunt, eumque judicant non omnino contemnendum, ut Bebelius in suis Antiquitatibus sæc. 4. part. 1. & Dorscheus in sua *Διατριβὴ* Concilii Nicæni.

III.

Tertia Objectio. Objiciunt tertio loco, Pontificem Romanum ementito Concilii Nicæni Canone suum sibi tribuisse & defendisse Primatum; in quo, inquiunt, spes eum concepta fefellit; siquidem Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus exemplaria sua, utpote vera & fidelia, Synodo Carthaginiensi miserunt, & ex decreto scripsere ad Cælestinum Papam, ne in posterum provocationes ab Ecclesiis Africanis exciperet. V. cap. 105. hujusce Concilii. Ita referunt, qui Conciliorum Acta D. Augustini tempore habitorum perlegerunt. Citatur etiam Canon 35. Concilii Laodicæni, ubi verbum *angelos* verbo *angulos* suffectum est; quod si lectio hæc vera est, memoratus Canon ad impugnandum Angelorum cultum citatur. Accusantur præterea infidelitatis Collectores, qui Concilium Parisiense an. 824. de Imaginibus habitum omiserunt. Denique volunt, Acta Concilii Pisani an. 1409. habiti parum Papæ favere, ideoque data opera omissa fuisse. Ac licet etiam, concludunt, de istorum exemplarium fide conqueri nullo modo possemus, quænam tamen adhuc opinio habenda esset de Conciliis, quorum pleraque vel sibi ipsis contraria sunt ac secum pugnant, vel mutuo se infringunt ac tollunt, ut animadvertit Platina in Vita Stephani VI. & Romani I.

Difficultates, quas movet, Lydius ipse, aliud agens, diluit his verbis: *Sed dicent*, inquit ille, *hic non agi de fidei dogmatibus*. Hoc posito, omnia hæc objecta corruunt. Sed propius accedamus, factorumque ipsorum, quæ in medium affert, levitatem futilitatemque ostendamus. Papa, qui accusatur, probabiliter Zozimus est. Canon vero, quo ad S. Sedem provocandi jus confirmavit, desumptus erat non ex Nicæno, sed Sardicensi Concilio, quem Zozimus laudavit, tanquam Nicænum, vel errore facti, cum eo tempore tam Nicæni, quam Sardicensis Concilii Canones eodem MS. comprehenderentur, eundemque titulum præseferrent (ita ex antiquo MS. conjicit Christ. Justellus) vel etiam necessitate; cum enim Innocentius I. aperte dixerit, Ecclesiam in causis Ecclesiasticis nonnisi Nicæni Concilii Canonibus uti, non poterat facere Zozimus, quin Nicænorum nomine Canones Sardicenses laudaret: non tamen hic Pontifex falsitatis idcirco accusandus est. Concilium enim Nicænum Canone sexto Romanæ Ecclesiæ jura confirmaverat: *Suis privilegia serventur Ecclesiis*. Eadem privilegia etiam ultra modum auxerat & amplificaverat Sardicense Concilium. Igitur his Zozimi verbis, *ita Patres dixerunt in Concilio Nicæno*, hanc subesse sententiam dicemus: ita deductum est ex Concilio Nicæno, cujus Canones Sardicenses Patres interpretati sunt, cum Sardicense Concilium ab antiquis habitum fuerit, tanquam Nicænæ Synodi Appendix.

Neque vero etiam dicendum est, aut Papam, aut eos, qui Papæ dignitati maxime student, hoc usos fuisse Concilii Nicæni supposito Canone, cum ejus auctoritate neque sustineant, neque necessarium sit Primatum Pontificis sustinere. Nimis sane alienum erat a Cardinalis Contareni sincera fide, & integritate, ut in sua Conciliorum summa, de Canonibus Nicænæ Synodi mentionem faciens, hoc ementito Canone uteretur. *Compositi etiam fuere Canones*. (Sunt hæc ejus verba.) *Viginti tantum reperiuntur collecti ab Isidoro; quidam perhibent longe plures. Attamen in Concilio VI. Carthagin. legitur, quod cum Patres illi scripsissent Attico Episcopo Constantinopolitano, ut ad eos mitteret integros Canones Concilii Nicæni; respondit Atticus, mittere se ad eos per Marcellum Subdiaconum Canones integros Synodi Nicænæ qui sub inserti essent. Nec aliquis alius reperitur præter hos viginti*. Papa igitur, iique, qui provocationes ad Papam tuebantur, nihil ex eo Canone ad vindicandum Primatum deducere voluerunt; sed tantum verum esse Canonem crediderunt; idque fuit in causa, cur Concilii Carthaginiensis Patres hac de re certiores fieri vellent. Quod si isthæc suppositi Canonis suspicio in Romanum Pontificem cadere aliquo modo potuisset, nunquam profecto Contarenus, cujus verba superius allata sunt, ita scripsisset, præsertim ad Pontificem Paulum III. cui Summam suam dedicavit, eoque in Libro, in quo nihil omittit eorum, quæ Papæ auctoritatem attingere possunt; cum in eo peculiariter animadvertat quintum etiam, & sextum Canonem Concilii Sardicensis.

Num

Num vero infidelitatis accusabimus eos, qui in Canonem 35. Laodicæni Concilii verbum *Angelos* immiserunt? At nunc certum, legendum esse eo loco *angulos*, ut putant adversarii? Sed quinam erit hujus verbi sensus, quodnam hujus lectionis fundamentum? Si dicant, ut Hæretici solent, eo Canone, qui inscribitur, *de his qui Angelos colunt*, Angelorum cultum everti, ii neque novi quidquam afferunt, neque quod non eodem tempore refutatum sit. Sæpissime sane animadvertimus 1. Illius Concilii Patres nonnisi eos redarguere, qui Ecclesiam deserunt, ut inconvenientem cultum Angelis præstent. 2. Non condemnare nisi eos, qui eadem de causa Jesum Christum derelinquunt; quod a fidelium christianorum ingenio quam longissime abhorret. 3. Cum duo sint ex Canone præcedenti cultus genera, superstitiosus scilicet, & legitimus, non improbare, nisi superstitiosum. 4. Vetare, ne tribuantur Angelis ignota nomina, non autem ne honorentur: atque ita laudatus Canon explicatus fuit in Capitularibus Caroli magni lib. 1. cap. 16. Quod si instent adhuc & urgeant verbis Theodoreti: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per eos fuisse datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia & Pisidia; proinde Synodus, quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege prohibuit, ne precarentur Angelos &c.* qui, ut videtur, credidit, Angelorum cultum eo Canone prohiberi, uti apparet ex Commentariis suis in Epist. ad Coloss. cap. 2. v. 18. & cap. 13. v. 17. Tunc respondeas 1. Theodoretum non reprehendere nisi eos, qui honorem Deo adimunt, ut Angelis tribuant. 2. Non loqui nisi de illis, qui nullum dari ad Deum aditum judicabant, neque posse homines sua eidem vota ac preces offerre, nisi ministerio Angelorum: atqui Ecclesia in eo cultu, quem Angelis præstat, ab hujusmodi errore quam longissime abest, cum nullum alium, præter Jesum Christum, apud Patrem necessarium Advocatum habeat, & agnoscat. 3. Non condemnare certa quædam fana, seu, uti vocant, Chapellas S. Michaelis, cujus mentionem facit, dedicatas. 4. Non posse, quin secum ipse pugnet, Angelorum cultum reprehendere, cum ipse alias sæpissime Martyrum cultum defenderit, tanquam fortissimum Religionis nostræ argumentum. 5. Quod si primis Ecclesiæ seculis Angelorum cultum longe fuit infrequentior, quam postea viguit, ne Pagani inde vel minimam arriperent peccandi occasionem, putarentque ab Ecclesia, non secus atque ab ipsis, plures Deos adorari: id tamen non fuisse timendum ratione Martyrum, quos nemo hominum ignorabat, coli honorarique ab Ecclesia, tanquam homines, qui pro solius verique Dei defensione mortem alacriter oppetiissent: mox, eo timore pulso, etiam Angelos ab eadem fuisse honoratos. (Inter Sanctos Ecclesia non coluit initio, nisi Martyres, deinde Confessores ac Virgines; idem fortasse accidit ratione Angelorum.) 6. Theodoretum non potuisse parcum & legitimum condemnare Angelorum cultum, qui suo tempore late florebat, cum teste Sozomeno lib. 2. cap. 2. toto orbe fuissent erecta quædam fana, quæ *Michaelia* dicebantur. Quod si etiam verum esset, quod falsissimum est, Angelorum invocationem a Theodoreto damnari, non tamen ejus auctoritatem esse anteponendam auctoritati omnium Sanctorum Patrum, qui illam aperte asseruerunt; ut D. Hilarius in Psalmos 129. & 137. & in D. Matthæum cap. 18. D. Ambrosius *orat. contra Auxentium de Basilicis Tradendis*, & lib. *de viduis*. D. Augustinus quæst. 61. in Genesim: D. Avitus Episcopus Viennensis allatus ab Agobardo lib. *de Picturis & Imaginibus*: & inter Græcos Eusebius *de Demonstrat.* Evang. lib. 2. D. Athanasius lib. *de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: D. Dionysius Areopagita epist. 8. Theodoretus ipsemet in cap. 1. Zachariæ; & Synesius Epist. 31. & Hymno 3. Non ergo agitur de simplici Angelorum invocatione, quæ tantum abest, ut, tanquam idolica damnata fuerit, ut imo sæculo quarto, ac deinceps passim excepta sese late diffuderit; sed agitur aut de superstitione illorum Hæreticorum, qui totidem Deos ex Angelis constituebant, unde etiam Angelici dicti sunt; aut de quodam genere Idololatriæ, qua verbis precibusque conceptis Angelorum nomina immiscebant; quod admodum simile erat iis Paganorum incantamentis, quibus Dæmones invocabant.

Nam quod opponunt, Parisiense Concilium in Conciliorum Collectionibus fuisse prætermissum, facile diluas respondendo, ab aliis Catholicis Scriptoribus fuisse relatum. Et sane ejus historiam integram legimus in tomo nono Controversiarum rerumque Ecclesiasticarum, quas Du-Pin sæculo nono discussit. Ii ipsi, qui hujusce Concilii Acta non ediderunt, rationem afferunt, cur id faciendum existimaverint: ex quibus apparet, non eos quidem de Concilio bene sensisse, non tamen illud omnino supprimere voluisse.

Sed neque illud recte opposueris, Acta Concilii Pisani prætermissa fuisse, postquam hæc eadem Acta nobis data fuerint a P. Acherio in Spicilegii Tomo sexto, ubi nomina & dignitates inspicias eorum omnium, qui Concilio interfuerunt. Non poterant certe usque ad id temporis publicari ea Acta, quorum non habebatur, nisi Compendium.

Reliquum est, ut, quid cogitandum sit de facto Stephani VI. Papæ, subjiciamus. Habuit ille reapse Concilium, in quo Formosum antecessorem suum condemnavit. In quo eo devenit crudelitatis ac sævitiæ, ut erutum ejus corpus in medium conventum detulerit, pristinæque dignitatis ornamentis indutum in Sede Pontificali collocaverit, contumeliose admodum & acerbe in ejus cadaver, non secus ac si adhuc viveret, invectus; quem cum condemnasset, jussit insuper sacris vestibus exspoliari, tribusque digitis capiteque amputato in Tiberim projici. Tantæ hujus immanitatis pœnas brevi persolvit: siquidem ipse pariter e Sancta Sede dejectus, & ferro catenisque constrictus strangulatusque in carcere obiit. Ex hac tamen tam immanium scelerum multitudine quid aliud, quæso, colligendum est, nisi viros Principes, quacumque sint in vitæ conditione & dignitate constituti, facile ea, quam habent, auctoritate & potentia abuti, si nimis libere ingenio suo indulgeant, cupiditatibusqoe obsequantur? Idem Platina citato loco aperte animadvertit, priores Pontifices, quorum vitas conscripserat, ab hoc furore fuisse quam maxime alienos. Quod si ait, *Acta priorum Pontificum sequentes pessimo exemplo aut infregisse, aut omnino sustulisse*, id eo fecit, ut Lectores in antecessum admoneret de iis, quæ opponi poterant adversus eos, hoc est, adversus Stephanum VI. qui omnes a Formoso ordinatos deposuit, iterumque ordinavit, & Romanum illius successorem, qui Episcopos suis expulsos sedibus revocavit, & Clericos a Formoso ordinatos, depositosque a Stephano pristinæ dignitati restituit. Sed cur adscribendum erat Conciliis, quod Pontifices exequebantur? Num quod Pontifices in Conciliis ferrentur ad hæc extrema? At immoderatæ illorum potentiæ quis privatus obsistere poterat? Ecclesia quidem ad hæc tam effera tota exhorrescebat. Hic ego non afferam, quæ ex piorum hominum testimoniis Luitprandus affirmat, videlicet, Sanctorum Imagines incolume præstitisse Formosi corpus, cum a quibusdam piscatoribus e Tiberi extractum rursus ad sepulturam efferretur. *Cap. 8.* Illud quidem certum & indubitatum est, tam horrendi sacrilegii nuntio in Galliam perlato, Prælatos omnes præ horrore totis artubus contremuisse: nihil tamen de cultu & veneratione erga sanctam Sedem remittentes honorasse S. Petrum in eo, qui, licet improbus, tantoque indignus honore, ejus tamen successor erat. Ex quibus omnibus illud demum colligendum est, hujusmodi Hæreticorum objecta in Concilia cadere nequaquam posse.

IV.

Objectio quarta.

Iidem Hæretici student contradictiones inter Concilia detegere, eorumdemque auctoritatem imminuere, tum quod quæ erat potentior factionum pars semper egerit de adversariis triumphum, tum quod ipsi Principes, quibus imperantibus Concilia coacta sunt, ad id maxime conduxisse videantur.

Qua-

Quare Photinus Dial. 5. de reconciliatione Religionum ait: „ Catholici condemnarunt Arrianos „ Nicææ sub Imperatore Constantino Magno, qui „ Catholicus erat: Arriani verò condemnarunt „ Catholicos Arimini sub Imperatore Constancio, „ qui erat Arrianus. Idem contigit de facto Ima„ ginum in Oriente sub Imperatore Constantino „ Copronymo, Imaginibus valde infesto. Conci„ lium generale Constantinopolitanum an. 754. „ abolevit & adorationem, & usum Imaginum: „ auctoritate vero Imperatricis Irenis, Imaginum „ amantissimæ coactum Nicææ an. 787. Conci„ lium aliud non solum restituit Imagines, sed „ eas etiam publice adorari jussit. Tandem in Oc„ cidente sub Carolo magno, qui non simpliciter „ Imaginum usum condemnavit, sed solum vetuit „ publice coli, coactum est an. 794. tertium Con„ cilium Francofurti ad Mænum, in quo, pro „ illius Principis voluntate, damnata sunt duo „ præcedentia Concilia Constantinopolitanum, & „ Nicænum: primum, quod Imaginum usum abo„ leverit, alterum vero, quod earumdem adora„ tionem jusserit. „ Irenæus, qui Photino respondet, asserit, Concilium Francordiense media inter utrumque via incessisse. *Non condemnat*, inquit ille, *Imaginum usum, ut Constantinopolitanum; neque earum adorationem jubet, ut Nicænum; sed medium inter duo ista tenens iter, hinc vetat Imagines everti, illinc adorari.*

Æquior est Basnagius in Præfatione ad Historiam Ecclesiasticam, ubi hæc habentur: „ Episco„ pus Meldensis, dum acriter Ecclesiæ Gallicanæ „ dignitatem defendit, nititur demonstrare, Con„ cilium Francfordiense sub Carolo Magno, & „ Parisiense sub Ludovico, cui cognomentum „ Pius, habita contra cultum Imaginum, cum „ decisionibus Romani Episcopi ita convenire, ut „ nulla neque varietas, neque dubitatio, neque „ controversia usquam appareat, veritate nempe „ rejiciente, quidquid dubium implicatumque est. „ Idem paulo post videtur quodammodo revocare, quod dixerat, & Concilia varietatis & contradictionis accusare. „ Concilia nationalia, inquit „ ille in eadem Præfatione, variasse deprehendun„ tur: siquidem Concilia Africæ S. Cypriani tem„ pore in Baptismi doctrina sequebantur opinio„ nem opinioni Papæ admodum contrariam; Con„ cilium vero Arelatense, quod quæstionem hanc „ egregie prudenterque diremit, tam a Romano„ rum, quam ab Afrorum sententia recessit.... „ Sed & Concilia OEcumenica pariter variarunt: „ Concilium Constantinopolitanum sub Constan„ tino Copronymo ita certe OEcumenicum erat, „ ut secundum Nicænum: illud tamen Imaginum „ cultum damnavit: hoc damnatum restituit. Hu„ jus postremi Concilii Canones vix in Occiden„ tem perlatos Carolus Magnus statim accusavit, „ tanquam indoctos, & fraudolentos; ejusque de„ creta abolevit aliud Concilium ex Papæ Lega„ tis, & Galliæ, Germaniæ, Hispaniæque Epis„ copis conflatum. Ecce tibi bene multa Conci„ lia sibi invicem repugnantia. „ Idem Auctor lib. 10. cap. 8. cum dixisset, Acta percelebris Constantinopolitani Conventus periisse eorum opera ac studio, qui Imaginum cultum defendebant, neque nobis innotuisse, nisi ex aliquibus fragmentis, quæ occurrunt in secundo Nicæno Concilio, & ex quibusdam Actis Martyrii Stephani Junioris: „ „ Nos, inquit, non afficiemus injuriis neque Con„ cilium Constantinopolitanum, quod Satanæ Con„ ventus dicitur in Actis Stephani Junioris, & „ Synodus impia ab aliis, perinde ac si impieta„ tis esset rejicere Imagines; neque secundum Ni„ cænum Concilium ab aliis Scriptoribus admo„ dum male habitum: ea tantum adducimus, „ quæ in hujusmodi rem ab his Conciliis peracta „ sunt. „

Tom. 1. Conc. col. 1420. Can. 8.

N. 2.

Neque vero Ecclesiæ doctrina idcirco rejicienda est, quod in quibusdam Conciliis error aliquando prævaluerit veritati. Etenim Jesus Christus promisit, Ecclesiam nunquam erraturam, sed in generalibus Conciliis coactam; decisiones autem Conciliorum particularium tunc sunt ab errore prorsus immunes, cum ab universa Ecclesia excipiuntur. Quocirca, cum Ariminense Concilium non sit ex numero Conciliorum OEcumenicorum, ejusque decisiones potius fuerint ab Ecclesia rejectæ, quam admissæ, quomodo illud ostendas contrarium repugnansque Conciliis, quæ novit Ecclesia, tanquam sua? Quod si cum Ministro Claudio insistas, & addas, Hæreticos fuisse Conciliorum dominos, & plerosque Episcopos prævaricatores, ego contra afferam, quæ ad hanc ipsam objectionem diluendam scripsere præstantissimi Auctores (a) Bossuetus Meldensis Episcopus, (b) Pelissonus, & (c) Nicolius. Omissa igitur quæstione, an Patres Ariminenses, captiosæ formulæ subscribentes, Fidem amiserint, tria potissimum in hanc rem animadvertam. 1. Episcopos Arimini coactos, aliosque, qui in persecutione lapsi sunt, id fecisse vi coactos ita aperta, ita publica, & generali, ut nullus dubitationi locus relinquatur. 2. Eorum errorem fuisse ita brevem, & tenebras, quæ Ecclesiæ parti tunc dicuntur offusæ, fuisse ita momentarias, ut officere non potuerint veritati ac luci, qua reliquæ Ecclesiæ partes perpetuo resplenduerunt: contra illustriorem nobilioremque fuisse effectam ex Fidelium Episcoporum constantia & firmitate, & ex vi Episcopis lapsis illata. 3. Quod si Episcopi Arimini congregati prævaricati sunt vi & terrore compulsi, id eos fecisse, postquam Nicænam Fidem jam firmiter stabilierant, & aperte fuerant professi. *Non* itaque, inquit Damasus Papa Liberii successor ad Illyrii Episcopos, *præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet neque Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annos Sacerdotium illibate servavit* (loquitur de Vincentio a Capua Liberii Legato) *neque alios ejusmodi staturis consensum aliquem commodasse, cum præsertim, ut diximus, idem ipsi qui per impressionem succubuisse videbantur, iidem consilio meliore displicere sibi fuerim protestati.*

(a) Instruction 2. Pastorale sur l'Eglise. (b) Reflexions sur les differens de Religion. (c) Traité des pretendus Reformez &c.

Theodoret. l. 2. cap. 22.

Sed operæ pretium me facturum judico, si in medium hoc loco afferam, quæ Abbas Bourzeis in hanc sententiam egregie animadvertit in oratione ad Principem Palatinum.

Postquam Nicænum Concilium SS. Trinitatis hostes & obtrectatores condemnavit, permisit Deus, Ecclesiam suam plurimorum annorum spatio, tot habitis contra Nicænum Conciliis, acerbissime concuti, miserrimeque agitari. Id autem permisit, ut nos malo nostro doceret, nimis grave esse ac luctuosum Spiritui Sancto resistere, aut aspernari ea decreta, quæ ipsemet in Conciliis OEcumenicis condidit, & in Conciliis posterioribus revocare in dubium, quæ semel in antiquioribus rite recteque dijudicata præscripsit. Tantum igitur abest, ut hujusmodi Concilia, & Ariminense in primis, quo maxime nituntur adversarii, Conciliorum OEcumenicorum auctoritatem imminuant, ut magis eandem tueantur atque confirment: cum illud nobis ostendant, nihil beatius in Ecclesia contingere posse, quam ut submisso animo, concordique voluntate amplectamur, quod semel in suis generalibus Synodis decrevit præscripsitque: nihil contra calamitosius, quam ut ejus sententias aspernat, per summam impudentiam revocemus in dubium, & in controversiam, quæ semel ipsa ad dubia nostra tollenda, dirimendasque de Religione controversias omnes solemniter dijudicavit. Quod si vidimus, Conciliorum omnium OEcumenicorum primo atque Sanctissimo tanta vi & pertinacia passim obsisti, & ex hac tam injusta defectione multa, eaque gravissima exoriri mala & incommoda, id divina quadam providentia contigisse dixerim, qua Deus ampla quædam & singularia dona, quæ suis Fidelibus impertitur, ab iisdem permittit primum respui & amitti, ut mox ex eorum amissione discant eadem in posterum pro dignitate æstimare, majorique, quam antea, studio & diligentia sibi custodire, ubi primum amissa recuperaverint. Ita Deus permisit, primum hominem labi, & vix accepta justitia spoliari, ut ejus pretium argueret ex iis calamitatibus, quas, ea amissa, perpeti debuit. Israeliticus Populus legem a Deo vix acceptam violavit, eaque violata, miseriis multis gravissimisque fuit in solitudine oppressus; at inde intellexit, præstantissimum esse ac singulare

Salmon Concil.

illud donum, cujus amissionem innumera calamitatum genera exceperunt. Eodem modo, Aarone vix in Sacerdotem assumpto, ejusdem auctoritatem continuo perversi homines evertere studuerunt. Ex hac illorum temeritate & audacia gravissima profecta sunt mala, quibus Deus voluit ostendere, se exsecrari, extremisque eos suppliciis affligere, qui Ministrorum suorum auctoritati parere recusant. Itaque ex ipsa pariter immutabili æternaque divinæ providentiæ lege profectum esse arbitror, ut omnium Conciliorum OEcumenicorum primum tot tantisque in Ecclesia tumultibus dissidiisque agitaretur; ut ex immensa inde exorta malorum strue intelligeremus, nihil esse nobis magis necessarium, quam ut arctissime adhæreamus sententiis magnorum horum Conventuum, in quibus Deus ipse per Ecclesiam loquitur, neque antiquorum Conciliorum auctoritatem, & decisiones recentiorum censuris subjiciamus. Ex turbis igitur, dissidiisque, quæ excitata sunt a Conciliis adversus Concilium Nicænum coactis, cujusmodi fuit Ariminense, non solum non colligendum est, parum firmas certasque esse Concilii OEcumenici Leges & sententias, sed contraria prorsus conclusione tenendum est, nihil esse universæ Catholicæ Ecclesiæ damnosius atque nocentius, quam a legitimi alicujus OEcumenici Concilii Judiciis provocationem. Id omnium optime adstruit & confirmat percelebre Nicænæ Synodi exemplum, immensasque, eo relicto, insequuta turbarum moles; ex quibus apparet, injuste, ne dicam ridicule facere eos, qui contendunt OEcumenica Concilia inter sese non convenire, sibique invicem contraria esse; siquidem Concilium illud, quod antiquiori Concilio adversatur, utpote falsum, Concilii nomen nequaquam promeretur.

At quisnam, inquiunt, nobis certo indicabit, quando Concilium aliud alii adversatur? Indicabit nimirum, addit Abbas de Bourzeis, Romanus Pontifex, quem penes est Concilii confirmandi potestas, ut jam animadvertimus; indicabit reliquorum Episcoporum communis vox, quos Deus in tanta Ecclesiæ suæ necessitate non profecto destituit. Ita Concilium Ariminense publice ab omnibus Catholicis Episcopis rejectum fuit, eo quod Concilii Nicæni constitutiones violaverit. Cum tamen dico Concilium Concilio antiquiori contrarium pro falso & erroneo habendum, id intelligi volo de rebus iis, quæ per se ipsæ moveri non possunt, neque aliter definiri, ac semel definitæ fuerunt, cujusmodi sunt, quæ ad Fidem pertinent, omniaque Mysteria, quæ æternæ veritatis esse dicuntur; at vero secus se se res habet de iis rebus, quæ sunt obnoxiæ mutationi, veluti quæ spectant ad consuetudinem & disciplinam, quas Ecclesia debet pro conditione temporum moderari. Nam ad hæc quidem quod attinet, ubi Concilia sibi invicem opposita videntur, & posteriora priorum constitutiones immutant, vel abolent, tunc nos, relictis prioribus, posteriora sequi debemus, licet cæteroquin omnia reapse sequamur, cum omnia in hoc conveniant, ut suis quæque temporibus, rerumque præsentium necessitati apta & accommodata præscribant. Denique, ut multa paucis complectar, generatim in rebus Fidei, quæque mutari non possunt, recentia Concilia ab antiquis; contra vero in iis, quæ ad consuetudinem pertinent, & mutationi obnoxiæ sunt, antiqua a recentibus pendere debent. Hinc Patres docent, Ecclesiam jure negligere potuisse illum Apostolorum Canonem, quo sanguinem, resque suffocatas comedi vetant; ea adducti ratione, quod, quæ modo utilia sunt, ea mox fiunt inutilia, & aliquando nocent, quæ aliquando profuerunt. Nam ad res Fidei quod attinet, quemadmodum verum est, Synodum, quæ alioquin videri posset OEcumenica, si alii Synodo in hisce rebus adversetur, habendam esse pro erronea; ita certo certius est, nunquam Dei providentia eventurum, ut Synodus generalis ab alia Synodo in doctrina Fidei recedit. Quod si etiam contingat, quod contingere nequaquam potest, ut Concilium a Concilio in rebus Fidei damnetur, tunc adhærendum esset antiquiori, ejusque decisiones recentioris decisionibus præferri oporteret, eo quod Concilium posterius Spiritui Sancto restitisset, eas decisiones aspernatum, quas ipse Spiritus Sanctus priori Concilio dictaverat. Atque hoc nempe veluti vinculo, hac divinæ Providentiæ vi, tot seculorum spatio, suam semper unitatem universa tenuit, & servavit Ecclesia, doctrinæque suæ integritate, sanctissimisque Legibus in hanc tantam, quantam hodie habemus, magnitudinem immensitatemque aucta & amplificata est. Hoc divino sibi immisso lumine nos dubios incertosque per obscura viarum dirigit, ac tuetur, longeque removet ea schismata atque dissidia, quibus perpetuo distinentur, quicumque, divinis omnibus Judiciis posthabitis, suum tantummodo ingenium in rerum discussione, tanquam certissimam normam, sequuntur.

Quod si etiam dicamus, Liberium Papam Formularium Ariminensem, vivente Constantio, non rejecisse, cum hujusce facti tam insignis nulla extet apud Historicos mentio; possemus tum quidem fletu lacrimisque prosequi una cum Patribus, & Historicis calamitatem & infortunium Ecclesiæ, cujus Pastores fere omnes tempori cesserant, erroremque irrepentem approbaverant non sentientes; non tamen continuo dicendum est, Arrianos in suam sententiam universam Ecclesiam pertraxisse.

Licet enim aliquando contigerit, ut Episcopi in Principum auctoritate constituti a via deflecterent, & ei Religioni, quæ dominari videbatur, vel vi, vel indulgentia faverent; vicit tamen semper, triumphavitque Catholica Veritas. Potuit quidem Eutyches Aulicorum favore & gratia, Theodosio juniore imperante, sibi conciliare multos mortales, eorumque potentia atque artibus vim quodammodo adhibere toti generali Concilio: facere tamen non potuit, quin 630. Episcopi hujusmodi errorem condemnarent in Concilio Calcedonensi sub Marciani auspiciis habito, ac deinde Leonis Imperatoris jussu approbato ab omnibus Imperii Episcopis, qui in Provincialibus Synodis subinde in hunc finem coacti eidem scripserunt epistolas, quibus Fidem Orthodoxam approbabant. Si Basiliscus tyrannus veritati infestior, quam ejus antecessor Zeno Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum, & Jerosolymitanum, & cum his præterea quingentos fere Episcopos eo adegit, ut anathema dicerent adversus illud Concilium, idemque cum epistola S. Leonis condemnarent; at Justinus Imperator prævaricatores fere omnes ad veræ fidei confessionem iterum adduxit, & Papæ Hormisdæ, & Joannis Cappadocis Patriarchæ Constantinopolitani auctoritate fretus catholicam doctrinam a Novatoribus antea corruptam & contaminatam pristinæ sanitati splendorique restituit. Si Monothelismus Imperatorum Heraclii & Constantis gratia communitus tot strages edidit; at eadem Hæreticorum factio Constantini Pogonati tempore imminuta est, & in sexto generali Concilio damnata. Verum quidem est, se se rursus extulisse, triginta post annis, imperante Philippico Dardano, qui, frequentissimo coacto Concilio, Concilium sextum ab Episcopis damnari voluit, & ab eisdem Monothelitarum hæresim approbari; at eandem tamen suorum consilio Papa rejecit. Novit omnia Populus, Religionisque studio vehementer incitatus, in Ecclesia Sancti Petri erexit Imaginem, quæ sex generalia Concilia comprehendebat, iisque parere recusavit, quos Imperator Urbis administrationi præfecerat. Sed & Philippicus ipse paulo post fuit de solio deturbatus, & Arsenius Catholicus in ejus locum suffectus: quo demum facto, tota Hæreticorum natio dissipata est. Jam eodem die, quo sub Anastasii nomine publice declaratus est Imperator, Episcopi omnes, qui aderant, omnisque clerus voluerunt etiam publicari Concilium sextum, ejusque Imaginem una cum reliquorum Imaginibus in eo loco reponi, unde Philippicus illam dejecerat. Scripsit præterea novus Imperator ad Constantinum Papam epistolam, qua Fidem Catholicam se profiteri, sextumque Concilium probare affirmabat.

Spondan. ad an. 712. n. 1.

Eodem modo Imperatoris Leonis Isaurici, ejusque filii Constantini Copronymi potentia & auctoritate, quæ tunc maxima erat, Iconoclastarum Hæresis fuit approbata in 338. Episcoporum Concilio, cui etiam Concilii generalis nomen indiderunt;

runt: eadem hæresis & a Leone Copronymi filio defensa Orientis Ecclesiam fere totam occupaverat. Longe latius serpsisset pestilens virus, nisi extitisset Constantinus Leonis filius, qui ab Irene matre, & a Patriarchis Constantinopolitanis Paulo & Tarasio excitatus Orthodoxorum causam defensionemque suscepit. Jam igitur extemplo mutari rerum facies: jam fides pæne intermortua reviviscere: haberi Nicææ generale Concilium: proscribi hæresis. Ex quibus omnibus colligendum est, & veritatem perpetuo de errore triumphasse, & Ecclesiam Dei providentia fuisse semper ereptam ab iis tempestatibus ac procellis, quæ extremum ipsi exitium allaturæ esse videbantur.

Quid? Possumus non magnopere admirari Adrianum I. Papam, cum legimus, quid ipse egerit, Concilii Nicæni causa, cui per suos Legatos præfuerat, idemque auctoritate sua confirmaverat? Narrat Fleury, missa ab illo fuisse Acta Carolo Magno Regi, non quidem ut ipsius opera & auctoritate publice exciperentur, sed ut sedulo primum examinata ab Occidentis Episcopis approbarentur. Quid igitur isti? Errore facti decepti, Concilium magno ardore rejiciunt, & non sine animi commotione scribunt ad Pontificem. Num idcirco putandum est, tercentos & amplius Episcopos ex omnibus Europæ partibus Francofurti coactos, doctioresque Galliæ Prælatos, qui Parisiensi Conventui an. 825. interfuerunt, opponi adversarique 377. Episcopis, qui in Concilio Nicæno an. 787. adfuerunt? Aut non potius tenendum est, eos videri quidem, non tamen revera esse inter se oppositos? Nam primum quidem Concilii Francfordiensis Patres, tanquam facti errorem, condemnant, quod nunquam in Concilio Nicæno definitum fuit; siquidem credunt, Nicænos Patres judicasse, Imaginibus non solum relativum, sed absolutum etiam cultum esse tribuendum: id constat ex Actis illius Concilii, quæ supersunt, & ex Libris Carolinis, qui ita ratiocinantur, non esse scilicet adorandum, quidquid per se, & natura sua non præstans est & excellens. Præterea in Concilii Nicæni decisione duo sunt necessario distinguenda, jus scilicet, & factum; jus, videlicet Imagines posse adorari; respicit dogma, atque hoc in controversiam vocare hæreticum est. Quæstio vero facti, qua quærimus, utrum Imagines reapse colendæ sint, nec ne, pertinet ad Disciplinam; proindeque Schismaticus quidem, non tamen Hæreticus dici posset, qui hanc oppugnaret. Porro Francfordienses Patres, quæstione juris omissa, facti tantum quæstionem agitarunt. Certum autem est, quæ ad Disciplinam spectant, ea mutari, prout mutantur hominum mores, consuetudinesque locorum. Quocirca cum Imagines in Oriente Constantini Copronymi jussu sublatæ passim contemptæque fuissent, erant eædem restituendæ, & Populorum venerationi rursus exponendæ. Non eadem erat ratio in Occidente, ubi Imaginum cultus integer semper intactusque floruerat. Jure igitur Francfordienses Patres adversati sunt Imaginum cultui, qui videbatur recens invectus. Cum enim Alemanni, qui huic Concilio interfuerunt, recens Catholicam Fidem amplexati fuissent, opera S. Bonifacii Archiepiscopi Maguntini, sub Pipino Caroli Magni patre, jure veriti sunt, ne hujusmodi Neophyti, his objectis Imaginibus, facile in Idololatriam relaberentur. Hinc satis esse duxerunt, eos exhortari, ut ne Imagines vel profanarent, vel læderent, non etiam ut adorarent. Liquido igitur apparet, Francfordienses Patres nullo modo esse contrarios Concilio Nicæno, cujus definitio non afficit quæstionem facti, Episcoporum arbitrio relictam. Ex altera vero parte relativum Imaginum cultum, quo Deum adoramus in Sanctis suis, ideo videntur Francfordienses Patres condemnasse, quod veriti sunt, ne a Patribus Nicænis relativi nomine absolutus cultus inter Fideles invehcretur. Ex pluribus Librorum Carolinorum locis, qui id evincunt, placet afferre, qui habetur cap. ultimo Libri 4. *Permittimus*, inquit Auctor, *Imagines Sanctorum, cumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam propter amorem Dei, & sanctorum ejus, adorare vero eas nequaquam cogimus qui noluerint, frangere vero vel destruere eas etiam si quis voluerit, non permittimus*. Putavit igitur laudatus Auctor, Patres Nicænos eo Fideles adigere voluisse, ut Imaginibus absolutum cultum deferrent; in quo admodum verisimile est, eum, Concilii verbis inhærentem, vocabulum *adorare* accepisse propria significatione, qua scilicet Latriæ cultum significat, qui soli Deo debetur: Præterea idcirco non Auctor Librorum Carolinorum, & Patres Francfordienses ad honorandas Imagines vi Fideles adegerunt, quod Imaginum cultum censuerunt pertinere ad disciplinam, quæ pro variis locorum moribus solet variari. Hæc autem illorum doctrina licet parum consentiat cum doctrina Concilii Nicæni, non tamen hæreticum facit, qui eam tuetur. Sed citatus Auctoris locus satis eos hac culpa liberat. Quod autem dixi ad excusandos Patres Francfordienses, & Auctorem Librorum Carolinorum, dicendum quoque est de Episcopis Concilii Parisiensis, siquidem eadem omnium opinio fuerat, eadem causa.

Hist. Eccl. l. 44. n. 47.

Salmon Concil.

His positis, ecquis unquam contendat, doctrinam de cultu Imaginum a Concilio Francfordiensi damnatam eamdem esse cum doctrina a Nicæno Concilio approbatam? Qui duorum horum Conciliorum Canones inter sese contulerit, is facile perspiciet, in aliquibus convenire eos quidem, sed non in omnibus. Sed illud etiam considerandum est cum quodam Auctore in Præfatione Epistolæ ad Burnetum, Concilium Nicænum, antequam ab Ecclesiis Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Angliæ subscriptum esset, non potuisse pro OEcumenico haberi: liberum erat cuique sententiam tueri suam: ac licet etiam id fieret ultra modum, non tamen amittebatur Communio cum Ecclesia Romana, quæ se pro Græcis stare declaravit. Tum quoque, cum an. 824. habitum est percelebre Parisiense Concilium, Ludovicus Pius misit Romam Archiepiscopum Senensem, & Episcopum Aurelianensem, qui curarent, ut hujus Concilii decreta a Pontifice approbarentur. Habentur in Capitularibus mandata, quæ Ludovicus committit Legatis suis, & Epistola, quam scripsit ad Pontificem Eugenium II. Processu temporis omnes Occidentis Ecclesiæ cum Ecclesia Græca convenerunt, & ex composito Concilii Nicæni doctrinam amplexatæ sunt.

V.

Sed, inquiunt postremo loco, quid dicendum erit de D. Gregorio Nazianzeno a Conciliis, ut ex ejus scriptis apparet, maxime alieno? Invitatus enim ad Concilium Constantinopolitanum an. 382. se ipsum excusat, itaque scribit ad Procopium epist. 55. „ Ego, si vera scribere oportet, hoc animo „ sum, ut omnem Episcoporum conventum fu„ giam: quoniam nullius Concilii finem lætum „ & faustum vidi, nec quod depulsionem malo„ rum potius, quam accessionem & incrementum „ habuerit. Pertinaces enim contentiones, & æmu„ landi cupiditates (ac ne me quæso gravem ac „ molestum existimes, hæc scribentem) ne ullis „ quidem verbis explicari queant: citiusque aliquis „ improbitatis arcessetur, dum aliis judicem se „ præbet, quam ut aliorum improbitatem compri„ mat. Propterea memet ipse collegi, animæque „ securitatem in sola quiete ac solitudine mihi po„ sitam judicavi. Nunc vero huic quoque meo „ judicio patronus morbus accedit, quippe qui me „ ita distorqueat, ut quotidie fere extremos spiri„ tus efflem, nec ulla re me ipso uti queam. At„ que ob hanc causam ignoscat mihi tua animi „ magnitudo: deque operam, ne pientissimus Im„ perator me inertiæ atque ignaviæ condemnet, „ sed infirmitati ignoscat: ob quam se quoque no„ bis instar alius cujuspiam beneficii hoc postulan„ tibus, secedendi potestatem fecisse novit. „ Iterum evocatus ab Icaro, illustri viro, & ab Olympio Cappadociæ administratore idem responsum dat, in ea sententia persistens, ut neget se Concilio interesse velle.

Quinta & ultima Objectio.

Epist. 76.

Ita sane D. Gregorius de Conciliis judicavit. Sed unius tamen privati hominis judicium, eo

præsertim, in quo tum erat, rerum statu, nihil omnino officit neque venerationi, quæ hujusmodi sanctissimis conventibus generatim debetur, neque illorum recte institutorum necessitati, neque communi totius Ecclesiæ consuetudini. Facile enim est perspicere, eximium illum sanctissimumque Doctorem in hanc sententiam pertractum ex immenso quodam animi dolore, inde percepto, quod Concilium Constantinopolitanum contra id, quod intenderat, infelicem exitum habuisse cognoverat. Augebatur præterea dolor fere in immensum tum grandi ejus ætate, tum morbis, quibus perpetuo affictabatur.

PARS SECUNDA,

In qua agitur de Collectionibus Conciliorum.

CAPUT PRIMUM.

Quænam sint antiqua Conciliorum Collectiones.

MAgna semper in Ecclesiis Græca & Latina adhibita est cura & diligentia, ut Conciliorum Collectiones conficerentur. Quatuor præcipuæ numerantur Collectiones Græcæ, totidemque saltem Latinæ, non comprehensa Canonum Apostolorum Collectione, vel quod illi, ut nonnulli asserunt, primo Ecclesiæ sæculo collecti fuerint, quibus deinde additi sunt, qui sæculo secundo & tertio fuere compositi, vel quod serius facta fuerit eorumdem collectio.

Inter Conciliorum Collectores primum locum occupat D. Athanasius, edito Libro *de Synodis Ariminensi & Seleuciana*. Hunc ad epistolæ modum conscriptum mittit ad amicos suos, quibus ea narrat, quæ scitu digna in his Conciliis contigerunt. Prætetea ostendit, Arrianorum res varie se se habuisse, eo tamen semper spectantium, ut Antesignani sui hæreses in dies magis stabilirent. In eo etiam habentur Arrii, ejusque asseclarum blasphemiæ; tum diversa Concilia, quæ iidem coegerant ad evertendum tollendumque Concilium Nicænum, & vocabulum *Consubstantialis*. Thyatiræ Concilium de Fide non egerat; hinc primo loco mentionem facit de Concilio Jerosolymitano an. 335. habito, & in Concilium Seleucianum desinit. Suum ibi locum habent Formularia ab Hæreticis usque ad id tempus confecta; quæ postea ab ipso addita sunt, ea pertingunt usque ad Concilium Antiochenum an. 361. habitum, & ultimum sub Constantio.

Et D. Hilarius Episcopus Pictaviensis condidit Synodorum Librum, qui ex Synodicis Græcorum Litteris constabat. Petentibus enim ab eo Galliarum Episcopis, ut sibi indicaret, quid sibi vellent Orientales tam immenso diversarum Fidei professionum cumulo, quas post Nicænum Concilium promulgaverant, suamque in hanc rem sententiam exprimeret, sanctus Episcopus Tractatum hunc conscripsit, quo & illorum interrogationi respondet, & difficultates illustrat, quibus hæ Fidei Formulæ implicabantur. Ejusdem Auctoris habemus etiam quædam Operis Historici fragmenta, quæ afficiunt Synodos Ariminensem & Seleucianam, eaque, quæ post hujusmodi Synodos contigerunt, post an. 366. Ea sunt in duos Libros divisa, qui Parisiis an. 1598. addita Præfatione, editi fuerunt, curante Nicolao le Fevre. Græca tamen Collectio, quæ prima inter cæteras habetur, in lucem fuit edita an. circiter 385. sive ejus sit Auctor Stephanus Episcopus Ephesinus, sive Sabinus Heracleæ Episcopus, unus ex Macedonianæ sectæ principibus, sive, quod probabilius est, aliquis alius, cujus nomen ignoratur. Laudatus Scriptor vixit initio sæculi quinti, eorumque collectionem dedit, quæ post Nicænam ad ætatem usque suam in Synodis transacta sunt. Cæterum non admodum laudabiliter sentiendum est de hoc Collectore, qui Hæreticus erat, & Macedonianorum Heracleensium Episcopus. Collectionem hanc suam instituerat in odium Ecclesiæ, Nicænique præcipue Concilii, cujus Episcopos calumniis & maledictis passim proscindebat. Hinc plura omisit, quæ erant dicenda, plura dixit, quæ, tanquam a sensu Canonum aliena, omittenda erant; vi studio partium omnino ductus, qui ea tantummodo protulit, quæ causæ suæ favere videbantur. Ex iis, quæ de ipso refert Socrates in Historia Ecclesiastica, apparet, eum sectæ, ad quam semel delatus fuerat, arctissime adhæsisse. Idem tamen Socrates ex hac Collectione plura transtulit in Historiam suam, veluti ea quæ dicit de Concilio Seleuciano, supplicemque libellum, quem Orientales Episcopi Imperatori Joviano Antiochiæ dederunt.

Collectio Græca Stephani.

L. 2. c. 8. & 9.

L. 2. c. 39.
L. 3. c. 25.

Secunda Collectio Græca prodiit hoc titulo *Codex Canonum Ecclesiæ universæ* paulo post Concilium Calcedonense. Christophorus Justellus magna in hoc incubuit cura & diligentia, ut omnes Canonum antiquos Codices detegeret: qui una cum aliis post ejus mortem redacti fuerunt in duo volumina *in fol.* opera & studio Voelli Licentiati Domus Sorbonicæ, & Justelli filii. Hujus Pater ann. 1610. typis edidit Collectionem Canonum Græcorum, quam Ecclesiæ universæ Codicem vocat. Eo continentur Canones Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani primi, Ephesini, & Calcedonensis, quæ novem sunt Græca Concilia, quibus antiquum Ecclesiarum Orientalium canonicum Jus conflatur.

Codex Canonum Ecclesiæ universæ.

Canones porro, qui eo Codice continentur, dantur hoc ordine. Præmittuntur Canones Concilii Nicæni, quia OEcumenicum est, quæ ratio ab eodem Codice affertur (*). Sequuntur xxv. Canones Ancyrani, qui omnium, quos Codex hic continet, antiquissimi sunt. Concilium hoc celebratum fuit initio sæculi quarti, sive id evenerit ann. 314. tempore Imperatoris Constantini, & Silvestri Papæ, ut communior opinio est, sive Imperante Diocletiano, vel ann. 302. juxta Pontac: loquor autem de veris 25. Canonibus, qui tantum viginti quatuor sunt, teste Dionysio Exiguo, vel falso Isidoro. Hos excipiunt Concilii Provincialis Neocæsariensis Canones xiv. *qui quidem sunt Ancyranis posteriores, Nicænis vero antiquiores*, sive illud habitum fuerit ann. 314. juxta Baronium, sive juxta alios ann. 318. Melchiade Papa, & Constantino Imperatore. Post hos habes Canones 20. Concilii Provincialis Gangrensis in Paphlagonia habiti juxta Pontac ann. 328. juxta alios 336. juxta Baronium ann. circiter 319. cum certum sit, Osium huic Concilio interfuisse, celebrari non potuit, antequam illum Constantinus ab Hispania in Orientem evocaret. Occurrunt deinde 25. Canones conditi in Concilio Antiocheno D. Athanasii causa coacto ann. 341. Julio Papa, Imperatoribus vero Constantio & Constante. Dat porro Codex Canones 59. Concilii Laodiceni: qui utrum suo loco sint, judicari facile posset, si constaret, quo anno habitum fuerit hujusmodi Concilium; sed in hoc dissident Historici, quorum alii, ut Baronius, collocant ante Concilium Nicænum ann. 319. alii ann. 314. ut Baronii Abbreviator; alii ann. 355. alii 364. alii 368. ut Pontac.

(*) Concilii Ancyrani Canones xxv. qui quidem priores Nicænis, sed ideo postpositi sunt propter auctoritatem Synodi æcumenicæ.

Leguntur præterea 7. Canones secundi Concilii generalis, quod est Constantinopolitanum primum habitum ann. 381. juxta Baronii sententiam, quæ etiam vulgatior est; juxta alios ann. 383. vel 386.

Tan-

Tandem post Canones octo Concilii Ephesini an. 431. adversus Nestorium celebrati, explicuit Codex, allatis 29. Canonibus Concilii Calcedonensis, quod medio sæculo quinto celebratum fuit; adeo ut Canonum numerus, qui initio erant 138. mox, adjunctis 25. Antiocheni Concilii, 7. Constantinopolitani primi, 8. Ephesini, 29. Calcedonensis, ad 207. excreverit. Idem ordo, quem perspeximus in hoc Ecclesiæ universæ Codice, etiam in secundo Canone Concilii in Trullo observatur.

Tom. 6. Conc. col. 1140.

Justellus filius in Præfatione ad suam Juris Canonici Bibliothecam defendit Codicem hunc fuisse confectum paulo post Concilium primum Constantinopolitanum; ejus Collectorem fuisse Stephanum Episcopum Ephesinum, cujus nomen apparet initio MS. Bibliothecæ, quam Palatinam vocat; Patrem suum deprehendisse, Canones Concilii Ephesini, ac deinde Celcedonensis mox fuisse adjunctos; eaque esse, ex quibus constaret Ecclesiæ universæ Codex, quo primum Orientalis, ac deinde in latinam linguam translato etiam Ecclesia Occidentalis usa est. Du-Tillet Episcopus Briocensis ann. 1540. Græcum Codicem dederat, quem Gentianus Hervetus ex MS. Ecclesiæ Pictaviensis latine vertit, eidemque Du-Tillet dedicavit, adjunctis Balsamonis Commentariis, cum hic una cum Cardinali a Lotharingia Tridentino Concilio interesset, & typis commisit ann. 1561. vigente Pisciaci Colloquio, cui ipse pariter intererat.

Lib. 1. c. 83.

Cæterum confundendus non est, ut voluit Cardinalis Du-Perron in responsione ad Britaniæ Regem, Codex Ecclesiæ Orientalis a Du-Tillet datus cum Ecclesiæ universæ Codice; injuriaque memoratus Cardinalis reprehendit Justellum, quod non Codici Ecclesiæ universæ Codices Sardicenses adjunxerit, qui nondum extabant. Dionysius Exiguus, qui græci Codicis versionem dedit, aperte testatur, Codici huic finem imponere decreta Concilii Calcedonensis, quibus addit decreta Concilii Sardicensis & Africani, quæ latine conscripta sunt. Probabile autem admodum est, hos Canones initio statim ab Orientis Ecclesiis non fuisse receptos; siquidem Canones de provocationibus ad Sedem Romanam omnino adversabantur Canonibus Antiochenis, neque ingenio satisfaciebant Orientalium Episcoporum, qui hujusmodi provocationes extra Diœceses suas non valde probabant. Idem dicendum est de Canonibus Ecclesiæ Africanæ, cujus Episcopi hæc ipsa sibi privilegia vindicabant.

Sed, ut revertamur ad Codicem Ecclesiæ universæ, quocumque is modo consideretur, non desunt docti ac præstantes viri, qui huic Codici splendidum Codicis Ecclesiæ universæ titulum adimant. In his est Florentius in Dissertatione de origine & auctoritate Juris Canonici, qui hac ratione nititur, quod non in hoc Codice Sardicenses Canones reperiantur; sed P. Quesnellius, qui in eadem pariter sententia est, Florentii conjectura improbata, contendit, Codicem, quem Justellus voluit esse Ecclesiæ universæ, revera fuisse Codicem Orientalis Ecclesiæ.

Discipl. de l'Eglise p. 31.

Et sane si hoc nomine intelligitur Codex, qui omnes Conciliorum ab omnibus Ecclesiis receptorum Canones comprehendit, ipse Justellus suum non esse hujusmodi libenter affirmaverit. P. Coustant in Præfatione ad novam Epistolarum Pontificum editionem ostendit, extitisse Codicem Canonum ante Concilium Calcedonense, cum ab hoc Concilio citetur; Dionysium Exiguum in latina græci Codicis versione cum fuisse ordinem sequutum, quem in græco exemplari deprehenderat; eumque soli Concilii Calcedonensis Canones ab hoc Concilio usque ad Dionysii tempus additi fuerint Collectioni Canonum Nicæni, Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, Codicem a Justello datum, qui Ephesinos Canones Calcedonensibus antiquiores facit, non fuisse Codicem Græcorum sub finem sæculi quinti, neque adeo Codicem Ecclesiæ universæ, neque præterea esse posse, etiamsi ab eo Canones Ephesini & Calcedonenses removeantur; cum demum fuisse Codicem illum, qui in Ecclesia Græca medio fere sæculo sexto obtinebat, quique processu temporis auctus fuit atque amplificatus.

Et sane manifestum est, Concilii Calcedonensis tempore Codicem quemdam obtinuisse, qui magnum Canonum numerum continebat, eumque fuisse auctoritate probatum. In Actione 4. *Ætius Archidiaconus Constantinopolis dixit: Regula est hac cum aliis posita a Sanctis Patribus quam custodientes Sanctissimi Episcopi, docent & Clericos & Monachos & omnes Christum colentes: Si autem inveniant aut insultantes aut acquiescere non volentes hac utuntur regula & ex Codice relegit hac* (Can. 5. Concilii Antiocheni) *Si quis Presbyter aut Diaconus suum contemnens Episcopum*, &c. *Omnes Episcopi clamaverunt hac justa regula, hæc regula Patrum*. Ita in Actione 11. *Stephanus Episcopus Ephesi dixit: Supplico, ut Canones relegantur, qui dicunt: ut is, qui in alia civitate ordinatus est, constitui non possit in altera. Gloriosissimi judices dixerunt: Relegantur hi Canones. Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiæ ex Codice relegit regulam nonagesimam quintam* (Can. 6. Conc. Antiocheni, & 95. in Codice Canonum Ecclesiæ universæ) *si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vacantem* &c. *Idem Reverendissimus Leontius ex eodem Codice legit regulam 96.* Actione item 13. perlectus est Canon ex eodem Codice desumptus. Hæc omnia, quæ attulimus, probant, primum fuisse in Conciliis quemdam Canonum Codicem, quo Patres utebantur ad dirimendas quæstiones, quæ se offerebant: deinde prodiisse post Concilium Nicænum aliquam Canonum Collectionem. Baronius iisdem usus est rationum momentis; Auctor vero Anonymus consultationis, quæ controversias afficit inter Paulum V. & Venetorum Rempublicam exortas, scilicet Jacobus Leschassier magni nominis Jurisconsultus, addit, ex Concilio Calcedonensi refici posse ac stabiliri Codicem antiquum: licet enim Codex extiterit ante ann. 451. inde tamen non sequitur, eum tunc fuisse passim habitum pro Ecclesiæ universæ Codice; quin imo manifestum est, Orientales & Occidentales suos quemque diversos Codices habuisse.

Tom. 4. Conc. col. 537.

Tom. 4. Conc. col. 692.

Tom. 4. Conc. col. 712.

Codex Ecclesiæ Romanæ.

Ecclesia Romana usque ad Concilium Nicænum non alium videtur habuisse Codicem, præter Traditionem Regularum Apostolicarum; ab hoc vero Concilio usque ad Pontifices Innocentium I. & Zozimum, hoc est, centum fere annorum spatio, non alium Canonum Codicem habuit, præter Canones Nicænos, ut Innocentius Papa nos docet Epist. 29. ad Clerum & pop. Constantin. *Canonibus obsequendum scribimus qui Nicee sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam*. Idem Epist. 31. *alios Canones a Romana non admitti Ecclesia* aperte testatur. Nomine porro Canonum Nicænorum comprehendebantur Canones Concilii Sardicensis ann. 347. celebrati. P. Coustant num. 45. Præfationis suæ ad novam Epistolarum Pontificum Editionem contendit, nullum Romæ fuisse Canonum Codicem, qui vim legis habuerit ante Codicem Dionysii Exigui. Quidquid tamen sit, Pontifices Siricius & Cœlestinus satis luculente notant, eum ex S. Sedis Canonibus decretisque fuisse constatum: quibus & alii deinde additi sunt; atque ita auctus & locupletatus est.

Ex omnibus aliis Ecclesiæ Latinæ Collectionibus quædam solummodo ad Symmachi tempus pertingunt, quædam procedunt ulterius: primi generis quatuor sunt, quæ parum admodum inter se differunt. Prima, & antiquissima omnium est MS. Monasterii Corbejensis, quam modo præ manibus habet novus Epistolarum Pontificum Collector. MS. hoc, quod sæculo sexto tribuitur, vocabula non distinguit, continuatim omnia uncialibus litteris exarata, exceptis notis, quarum character est Merovingianus. Pontificum Catalogus, qui in fronte hujusce Codicis sedet, desinit ad annum 14. Vigilii Papæ; ex quo hujus Collectionis ætas, cognosci facile potest. P. Coustant, qui typis edidit Osii Præfationem, in ea comprehensam, & ante Decreta Conciliorum Ancyrani, Neocæsariensis, & Gangrensis collocatam, eadem Collectione apposite utitur ad ostendendum, ante Concilium Ni-

Codex Bibliothecæ Corbejensis.

Pag. 63.

cænum tres Synodos fuisse a Nicæno deinde confirmatas; eas esse, quas modo memoravi, in quarum numerum non esse Concilium Antiochenum referendum, ut perperam Rhodius in Concilio Florentino; quod si Gregorius Turonensis Concilio Nicæno tribuit Canonem Gangrensis, id eum fecisse, quod hujusce Synodi Canones Actis Nicænæ Synodi immixti insertique fuissent; non esse amplius dubitandum de sinceritate ac fide duorum postremorum Canonum Concilii Ancyrani; in posterioribus tandem Synodis priorum Conciliorum Canones plerumque confirmari, aliquando etiam aliqua ex parte immutari. Concilii Nicæni Canones consequuntur Canones Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, Carthaginienses, Valentini, Taurini. Habentur præterea Epistolæ Pontificum, Paulini, Flaviani, & aliorum; verbo illud videtur esse hujus Collectoris propositum, non quidem ut peculiarem quemdam Canonum Codicem exhibeat, sed ut omnia colligat; quæcumque in Scriptis sui, & præcedentis temporis continebantur ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinentia.

Collectio Canonum edita a P. Quesnellio. P. Quesnellius in sua S. Leonis Editione aliam Canonum Collectionem dedit. Ex ejus titulo aliquis fortasse crederet, eam ab Ecclesia Romana Innocentii I. Papæ tempore fuisse receptam: ei tamen hunc titulum adimit P. Coustant, qui eam contendit, numquam apud illam Ecclesiam in usu fuisse; idque probat ex ipsa tum hujus Codicis, tum Canonum Nicænorum & Sardicensium confusione. Is neque ante initium sæculi sexti publicatus fuit, neque serius afferri potest. Hunc Quesnellius dedit ex MS. Oxoniensi; qui pariter habetur in pluribus aliis Bibliothecis, veluti in Biblioth. Colbert, in Biblioth. Patrum Oratorii Trecensis, Bellovacensis, Monasterii S. Vaast, & S. Huberti. Ex his variis MSS. confici posset Editio accurata hujus Codicis, qui cæteroquin pluribus vitiis laborat.

Collectio Bibliothecæ Colbert. Tertia Collectio habetur in MS. Bibliothecæ Colbert signato 784. Ea est characteribus Longobardicis conscripta, maximis litteris. Nullum in ea decretum reperitur, quod Gelasio posterius sit. Propius fidem est, Codicem hunc nongentis & amplius abhinc annis collectum fuisse in ea Italiæ parte, quæ in Theodorici Gothorum regis ditione posita erat. Ejus a Codice Dionysii Exigui differentia erat in eo, quod Codex Colbert titulos quidem apponit initio Canonum, nullos autem initio Epistolarum Pontificum, quod aliud affert principium Canonum Concilii Constantinopolitani, aliam interpretationem, quod Canonem 28. Concilii Calcedonensis Concilio Constantinopolitano attribuit. Dubitandum sane non est de falsitate Actorum Marcellini, Liberii, Xysti, Polychroni, quæ eo Codice continentur, neque de Constituto Sylvestri; sed neque accusandi sunt Donatistæ, quod ea excogitaverint, quemadmodum probat P. Coustant.

Bibliotheca Colbert aliam suppeditat Collectionem in MS. Signato 3368. sed ea ex parte constat ex Codice a P. Quesnellio dato, & ex præcedenti Collectione. Cum isthæc fuerit ante omnes additiones, quæ postea accesserunt, quod ex adjectis tabulis conjici facile potest, passim assignatur anno circiter 660. Additiones nihil continent, quod non ad hujus sæculi exitum spectet. Codex Dionysii Exigui non erat huic Collectori cognitus, neque in Galliam fortasse delatus fuit, nisi tum, cum Adrianus I. eundem una cum suis Additionibus Carolo magno misit.

Collectio Dionysii Exigui. Collectio quarta tribus præcedentibus in hoc similis, quod ea quoque comprehendit Canones Conciliorum, & Decreta Pontificum, licet non eodem modo, ut mox explicabo, confecta est a Dionysio Exiguo, eaque in duas partes dividitur; quarum una Canones, altera S. Sedis decreta complectitur: quæ divisio, tanquam aptior & commodior, a sequentibus Collectoribus passim mox adhibita est. Collectiones Corbejensis & Oxoniensis, de quibus dixi, Canones & Decreta afferunt promiscue atque indistincte. Majore utitur distinctione Collectio tertia, quæ alia ab aliis separat; eaque ante tempus Anastasii II. Papæ collocari non potuit. P. Coustant singillatim memorat, quæ ibi continentur, docetque duo esse hujus Collectionis cognita exemplaria MSS. quorum unum extat in Regis Bibliotheca num. 3887. alterum, quo usus est Baronius, & Cresconianum vocat, eorumque differentiam indicat.

Dionysius Exiguus Romæ Abbas Monasterii sub initium sæculi sexti fuit Auctor secundæ Collectionis Latinæ, postulante id Stephano Salonæ Episcopo, quem nonnulli perperam putarunt esse supremum Pontificem; seu potius suam operam & diligentiam in Codicem contulit, qui jam extabat, continebatque variis Capitibus, vel Sectionibus quidquid processu temporis a celebrato Concilio Nicæno usque ad sæculum sextum fuerat in eundem illatum: quibus omnibus cum Codicem Sardicensem, ut deinceps dicam, addidisset, prædictum Codicem renovavit, seu potius ex uno conflavit duos: cum enim antiquus Conciliorum Canones, & Pontificum Constitutiones indistincte comprehenderet, Dionysius primum confecit Canonum Codicem, quem etiam iterum in latinum vertit, deinde Codicem Epistolarum Decretalium Pontificum a Siricio usque ad Anastasium Papam, h. e. ab exactis annis 385. usque ad 496. P. Quesnellius adversus De-Marca, & David contendit, Dionysii Exigui versionem, & Collectionem, cum primum prodiit, non statim in Galliis innotuisse, ac fuisse in usu; sed id tantummodo tempore Caroli Magni evenisse. Cæterum licet mox passim invaluerit, non tamen effecit, ut rejiceretur antiqua versio, cujus aliquis aliquando etiam sæculo nono usus perduravit.

Porro sive antiquus Codex Romanus sit is, quem Dionysius Exiguus majori ordine & elegantia reficiendum suscepit, ut vult Quesnellius, sive sit Græcus Codex, in quem idem incubuit, ejus versio complectitur 50. Canones Apostolorum, & Canones septem Conciliorum Græcorum, quibus Codex Orientalis constat in 165. Capita divisus, Post Concilium Constantinopolitanum affert Canones Calcedonensis: absunt enim Ephesini; deinde Canones Sardicensis, tandem Corpus Canonum Africanorum numero 135. vel 138.

Dionysius Exiguus, hujus antiqui Codicis versionem memorans, eam appellat *priscam translationem*. De-Marca putavit se eam invenisse, contenditque auctoritate S. Leonis post Concilium Calcedonense fuisse elaboratam. Quesnellius contra inquit, eam numquam extitisse, quæque reperta est in Anglia, & in Bibliotheca Thuani; unde etiam plura alia potuit habere MSS. esse longe antiquiorem; verum præterea esse, eam fuisse auctam tempore S. Leonis, aliorumque Pontificum; non tamen illum esse ejusdem Auctorem neque suasorem.

Atque hic necessario animadvertenda est differentia, quæ inter Codicem Dionysii Exigui, & Codicem Ecclesiæ Romanæ intercedit. Animadvertemus deinde eam, quæ inter hujus Abbatis Codicem, & Codicem Ecclesiæ universæ pariter intercedit.

Romanus igitur Codex Maguntiæ & Parisiis editus Canones numeris quidem distinguit; sed mox, hac intermissa methodo, cuique Concilio signa ac notas apponit; In Codice autem Dionysii Exigui Canones distinguuntur numeris usque ad numerum 165. ubi jacet tertius Canon Concilii primi Constantinopolitani, cujus tres tantum Canones apparent, ut in Codice Romano. Laudatus Abbas hinc repetit numeros usque ad vigesimum septimum, quibus continenter recenset 27. Canones Concilii Calcedonensis, eademque methodo persequitur Canones Concilii Sardicensis, latine tantummodo editos. Ejus Collectionem claudunt Canones Africani numero 138. adeo ut Dionysii Codex partim Græcorum Synodis, partim Synodis Occidentalium constet. Decreta Pontificum hic suo quæque loco referuntur, continenterque numerantur; atque is primus inter Collectores est, qui Epistolas Decretales attulerit. Antiquiores, collectis Synodis, de colligendis Pontificum decretis non laborarunt; hic vero fortasse non invenit, quæ Siricii decretis essent vetustiora. Nam Decretales ab Hilario usque ad Gregorium Juniorem non ad hanc Dionysii Collectionem

nem

nem pertinent; sed eidem mox adjectæ fuerunt: probabile autem admodum est, Leonis IV. tempore fuisse factam hanc Additionem Decretalium Hilarii, Simplicii, Felicis, Symmachi, Hormisdæ, & Gregorii Junioris. Hinc Collectionem hanc Justellus divisit in duas: primam a Siricio defuncto usque ad Anastasium; alteram a defuncto Hilario usque ad Gregorium Juniorem. Antonius Augustinus in Præfatione sua de antiquis Decretalium Collectionibus inquit, ex his duabus partibus fuisse compositum Codicem Romanum Maguntiæ initio editum. Illud certo affirmari non potest, utrum hæ additiones factæ fuerint omnes Leonis IV. tempore, aut eo quæque Pontifice, ad quem pertinebant. Sed si Codicem hunc per Leonem IV. locupletatum conferas cum Codice Parisiis edito, eos parum admodum inter sese discrepantes invenias. Tempus porro Collectionis Dionysii Exigui conjici potest ex Epistola, quam scripsit Juliano; cujus nomen subscriptum est Conciliis Romæ habitis sub Felice ann. 488. & sub Symmacho ann. 499. Epistola hæc extat initio Bibliothecæ, quam Justellus typis edi curavit; ea vero, quam idem Abbas misit ad Stephanum Salonæ Episcopum, reperitur in eadem Bibliotheca, docetque, quinam fuerit in hac Collectione Auctoris finis, quænam mens.

Inter Codicem Dionysii, & Codicem Ecclesiæ universæ aliqua etiam deprehenditur differentia in Canonum numerandorum ratione; siquidem Canones 1. 4. 5. 16. & 17. Concili Antiocheni, ut ex Concilio Calcedonensi facile probari posset, fuerunt 80. 83. 84. 95. & 96. antiqui Codicis græci, & 79. 84. 85. 96. & 97. Codicis Dionysii Exigui; quæ differentia inde profecta videtur, quod in græco Canonum Codice Concilium Ancyranum habet Canones vigintiquinque, Neocæsariense quindecim; in Latina vero Dionysii Collectione primum habet viginti quatuor, secundum quatuordecim, quodque in unoquoque duorum horum Conciliorum duo Canones sunt, qui unum tantum constituunt.

Constant in Vindic. vet. Cod. confirm.

Codex Ecclesiæ Gallicanæ.

Præter hunc Codicem, quo Græci Canones continebantur, erat & alius, qui proprie ad Gallicanam Ecclesiam pertinebat, siquidem hujus Ecclesiæ particularia Concilia complectebatur, ut apparet in causa Contumeliosi Episcopi Rhegiani, P. Quesnellius in Dissertatione, quæ in S. Leonis Editione habetur, de antiquo Codice Ecclesiæ Gallicanæ, probat, Ecclesiam hanc usque ad ætatem Caroli magni suum proprium peculiaremque Codicem habuisse, quo utebatur, Ecclesiasticas controversias omnes, quæcumque exortæ fuissent, numquam ultra Montes delatas, in suis Synodis diremisse, vixisse tandem eam semper suis, & Concilii Nicæni legibus. Non quæram ego hoc loco, utrum in Ecclesia Gallicana duo fuerint Codices, ut Justellus contendit, neque quomodo facta fuerit mox Additio Conciliorum Africanorum & Decretalium.

Codex Adriani Papæ.

Communis opinio est, Adrianum I. Papam, exeunte sæculo octavo, Imperatori Carolo Magno Dionysii Exigui Codicis exemplar exhibuisse, cujus usus curaret, ut Imperii sui ditione invalesceret: quo vero anno illum exhibuerit, utrum cum Imperatorprimum, an ultimum Romam iter fecisset, prorsus incertum est. Ludovicus Jacobus de Sancto Carolo contendit, hanc Canonum Collectionem ab hoc Papa fuisse confectam, ab eoque datam *Ingelramo vel Angeramno Episcopo Metensi tunc Romæ commoranti* an. 785. De hac satis magnifice loquitur in sua Pontificum Bibliotheca. Ea constat ex Canonibus Græcis & Latinis, ex Conciliis Romanis, & Decretis Pontificum, & habita est tanquam Canonum Codex tam in Gallia, quam Romæ: non tamen est genuina Dionysii Exigui Collectio, cujus in Gallia unum tantummodo extat MS. exemplar, ex Bibliotheca Fouquet eductum, ut in illam Regis infereretur. Ea vero, quæ Codex Adriani dicitur, nonnulla addit, & a nonnullis recedit: ex. c. cum Africanos Canones in duas dividit partes, eosque aliter numerat; in reliquis parum admodum differt, veluti in numerandi ratione, quam in reliqua prima parte constanter servat. Habetur hæc in multis Bibliothecis, veluti Remensi, Laudenensi, Regia, item in Bibliothecis Chancellarii Seguier, de Harlai, S. Germani de Prez, & Colbert: quarum tres posteriores plura etiam continent ejusdem exemplaria.

Lib. I. de Vita Adriani.

Constant præfat. in Epist. Rom. PP.

Aliam rursus Collectionem habemus, quæ Auctorem jactat S. Isidorum. Hic Hispalensis Episcopus cum sæculo septimo præcipua in Africa, in Galliis, in Hispania, ac etiam Romæ habita Concilia collegisset, eadem adjungit tum iis, quæ in aliis Collectionibus habebantur, tum iis, quæ Dionysii Exigui Collectio continebat: additis præterea Epistolis eorum Pontificum, qui Damaso successerunt. Collectio hæc habetur MS. in Bibliotheca Ecclesiæ Vergellensis in Provincia Tarraconensi. Constat fere tota ex Synodorum Gallicarum Canonibus; quibus multis in locis valde consonant Hispaniæ Canones, qui illorum aliquando sententias, ipsaque verba exscripserunt: tanta inter eosdem conformitas intercedit. Ita egregie observat P. Sirmondus in sua ad Galliæ Concilia Præfatione.

Collectio S. Isidori.

Baluz. præf. in Regin.

Extat etiam Latina Conciliorum Collectio, quæ præcedenti admodum similis est, tantummodo quorumdam Pontificum Epistolis auctior: eumdem habet Auctorem Episcopum Hispalensem, seu Isidorum Mercatorem. Æque esset absurdum, rejicere omnia, tanquam supposita, atque omnia admittere, tanquam vera, quæcumque Isidori nomen præferunt. Licet enim plures insint Pontificum Epistolæ, quas docti inter supposititias amandant, non tamen etiam dubitari potest de veritate plurimarum rerum, quæ hujus Collectionis partem constituunt. Quidquid continet Canonum Decretorumque incontroversorum, fuerat jam publicatum in aliis Collectionibus, unde desumptum est, veluti ex Collectione Hispaniæ, ex ea, quæ communiter dicitur ab Adriano Papa ad Carolum Magnum missa, ex Codice P. Quesnellii, exceptis tamen S. Gregorii Epistolis. Hæc Isidori Collectio processu temporis aucta fuit. In Gallia incunte sæculo nono ignorabatur. Plurimi Patrum loci, qui ibi congeruntur, imposturam perbelle fecerunt; cujus virus tam longe lateque mox sparsum disseminatumque est, ut Ecclesiæ faciem immutaverit, novumque in eandem jus invexerit.

Codex Ecclesiæ Hispanicæ.

Ante Isidorum Hispalensem, Codex alius in Hispania obtinebat. Non erat is Collectio Dionysii Exigui, sed aliqua alia sub titulo Canonum antiquorum, quæ quatuor primorum Conciliorum generalium, & plurimorum localium Canones comprehendebat, ut apparet ex iis, quæ relecta sunt ex Canone primo secundi Concilii Bracarensis, quod Auctor Disciplinæ Ecclesiasticæ perperam appellat Pragense. Codex hic fuit deinde confirmatus Can. 40. Novem post annis, h. e. 572, celebratum fuit Concilium tertium Bracarense, quo notantur singillatim quatuor Generalia Concilia, generatim vero Concilia Localia, sive Provincialia.

Tom. 5. Conc. col. 839.

Collectio Martini Bracarensis.

Martinus Bracarensis ex Hungaria, non Græcia (ut falso putat Garsias Loaisa in sua Conciliorum Hispaniæ Collectione) ann. circiter 560. Canonum Collectionem confecit, seu potius in Hispaniæ usum Ecclesiæ Græcæ Codicem vertit: huic plures Canones adjunxit Conciliorum Occidentis, Africæ, Hispaniæ, divisitque in duas classes in 84. pariter titulos distributas, quarum prior Clerum, altera Laicos respicit. Hic unicus Hispanicæ Ecclesiæ Codex est, qui nobis superstit: exiit anno fere 570. in secundo Bracarensi Concilio approbatus. Gratianus Collectionem hanc citat hoc titulo *ex Concilio Martini Papæ*, non secus ac si essent decreta Martini, qui in Pontificatu Romano sedit ann. 649. Martino Bracarensi valde posterior. A. de Morichy (vel Demochares) Doctor Societatis Sorbonicæ, & A. le Conte (vel Contius) hæc Gratiani errata correxerunt in Editione, quam concinnarunt, & quo quique loco hujusmodi Canones afferuntur, in margine nomen Martini Bracarensis adnotant. Cum laudatus Collector quasdam tollere vellet difficultates, quibus antiqua versio, pluribus in locis obscura, erat circumsepta, græcum transtulit in latinum, aliis item additis Occidentis Conciliis: præterea in versione

sua,

sua, græci ordine relicto, duo, vel tria diversorum Conciliorum capita in unum contulit. Ex duabus hujus Collectionis Editionibus una extitit vulgata & antiqua, quæ in omnibus refertur Conciliorum Editionibus, & in Bibliotheca Voellii & Justelli, hac tamen differentia, quod isthæc Juris Canonici Bibliotheca talem exhibet, qualem Doujatius dedit, postquam eandem contulisset cum MS. aliisque Editionibus, & ad marginem apposuisset varias lectiones, & Concilia, ex quibus Canones deducti sunt; altera Editio, quæ est recentior, ea est, quam dedit Garsias Loaisa in sua Conciliorum Collectione ex MS. ut ipse putat, antiquis. Illud tamen observandum est, Canones, qui dicuntur Apostolici, male admodum a Justello allegari, quippe quos Martinus Bracarensis neque in sua Collectione unquam attulerit, neque noverit, cum fortasse nondum compositi fuerint eo tempore, quo Collector iste in Oriente vivebat, hoc est, medio fere sæculo quinto.

Tom. 1. 10. Append.

Collect. Conc. Hisp.

Non semper conjici perspicique facile potest, in cujus Ecclesiæ usum Collectio aliqua fuerit elaborata. Qui id dijudicare vellet ex quibusdam notis ad margines istorum Operum sparsim appositis, hunc facile esset sæpe decipi, quemadmodum deceptus est de Marca. Inquit enim cæteroquin magni nominis Canonista; ante Concilium Calcedonense extitisse Collectionem, quæ Romanæ tantum Ecclesiæ propria erat; ac deinde aliam post idem Concilium nominat, quæ ad Ecclesias Romæ, Hispaniæ, Africæ, & Galliæ promiscue pertinebat. Aliter sentit P. Coustant. Non negat is quidem, Collectionem, quæ ante hoc Concilium, Rom. Ecclesiæ usui inserviebat, ad Romani Codicis similitudinem fuisse probabiliter confectam: non tamen vult; eundem fuisse Codicem illum, cujus frequentissimus erat usus Zosimi, Innocentii, aliorumque Pontificum tempore. Nam ea, quæ post hoc Concilium confecta fuit, Hispanicæ Ecclesiæ propria est, conscriptaque fuit exeunte sæculo sexto post an. 589. Cardinalis d'Aguirre mentionem fecit de antiquo Canonum Codice ad Hispanicam Collectionem elaborato: isque ad finem pertinet sæculi septimi post an. circiter 693. Hujus nonnulla extant Exemplaria in Bibliothecis Colbert, & Coislin. Auctor in hac Collectione, quæ in usum Hispaniæ erat, eundem ordinem sequitur, quem sequutus est Dionysius exiguus. Canonum tamen græcorum interpretatio diversa est. P. Coustant vult, Isidorum Mercatorem eam ex antiqua hujusce Ecclesiæ Collectione aliqua excripsisse verius, quam verum ejus Auctorem fuisse; pluresque citat Bibliothecas in Hispania, in quibus reperitur, ut Toleti, Urgellæ, Viellæ, Gerundæ, & alibi; in Gallia, ut Lauduni, Novioduni, Belgii, & Augustæ Suessionum.

In Opusc. posth.

Præter Hispaniæ Codicem, quo plurium plurimarum nationum Conciliorum Canones continebantur, Justellus probat, fuisse & particularem Codicem Conciliorum Hispaniæ; sed hic nimirum is est, de quo jam dixi.

Atque hoc loco animadvertendum est, Canones Codicis Ecclesiæ Gallicanæ vim legis habuisse non solum in Gallia, sed etiam in Hispania; quod aperte habetur in Concilio Taraconensi an. 517. a quo recepti sunt prædicti Canones, quoad statum Monachorum: *Canonum ante omnia Gallicanorum*, inquit, *de eis constitutione servata*. Intelligit autem Collectionem Canonum, qui compositi fuerant vel ab universa Gallicana Ecclesia, vel ab aliqua ejusdem Ecclesiæ parte; sive in regno VVisigothorum, Burgundionum, aut Gallorum, sive etiam in Provincia Gallicana Italici regni, ubi quædam habita sunt Concilia, veluti Arausicana, aliæque Synodi Provinciales. Canones hi ab aliarum Provinciarum Episcopis recepti fuere, eorumque Collectio Canonum Gallicanorum nomen præferebat. Videnda est Cæsarii Episcopi Arelatensis epistola Circularis an. 534. circa factum Contumeliosi conscripta: in qua Canonibus, quos Joannes II. Papa miserat ex Dionysii Collectione desumptos, additur Canon nonus Nicæni Concilii; deinde occurrit titulus, *incipiunt tituli Canonum Gallicani*; præterea subeunt termini quarti Canonis Valentini, noni ex Concilio primo Aurelianensi, vigesimi tertii ex Concilio primo Arausicano, & vigesimi secundi ex Epaunensi; claudunt agmen quædam verba, quæ Canonum Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem demonstrant. (*)

Tom. 4. Conc. col. 1757.

(*) Ecce manifestissime constat, quia secundum quod & tituli antiquorum Patrum ... Sed & Canones Gallicani continere videntur, &c.

Quemadmodum credibile est, Hispaniam a Gallia accepisse Canonum Codicem, quo utebatur, ita eosdem Anglicana Ecclesia jam usu receperat; quæ tamen sua Concilia & ipsa habuerat; quorum primum, quod appellatur Sancti Patricii Concilium, ad quintum sæculum pertinet; in altero autem, quod sæculo septimo habitum est Herefordiæ sub Archiepiscopo Cantuariensi, Theodorus percelebris illius Urbis Episcopus attulit Canonum Codicem, quem omnes se sequuturos polliciti sunt; ex eo decem Capita extraxit, eaque pro præsenti rerum necessitate peculiariter observanda proposuit. Sed, an Theodorus hujus Codicis fuerit Auctor, quæstio est; Auctorem facit Justellus in Præfatione ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ: Beda tamen hac de re ne verbum quidem. Illud fortasse propius veritatem est, Codicem hunc, quem Theodorus protulit, a Codice Romanæ Ecclesiæ non fuisse diversum. Idem Theodorus condidit Canonum Codicem, quorum tantum tituli habentur in primo Conciliorum Anglicanorum Volumine. Anno 1688. typis edita est pars quædam alterius Codicis Pœnitentialis ejusdem Episcopi. Denique habetur Canonum Corpus, quo continetur Jus novum Provinciæ Cantuariensis, *Provinciale* vocatum; idque extat in Bibliotheca Oratorii Patrum Parisiensium.

Collectio ad usum Ecclesiæ Anglicanæ.

Tom. 6. Conc. col. 537.

Hist. Eccles. lib. 4.

Alemanni aliquanto serius Christianam Fidem exceperunt. De Codice, qui apud eos in usu fuerat, nihil aliud comperimus, nisi quod Riculphi Episcopi Maguntini tempore falsi Isidori collectio in Alemanniam delata fuerit.

Quod attinet ad Collectiones, quibus Africana Ecclesia utebatur, quatuor distingui possunt diversorum Canonum Codices ab hujusce Ecclesiæ, ortu usque ad sæculum octavum. Primus, qui Concilii Nicæni tempore collocari potest, constabat ex regulis traditione receptis, & Canonibus, qui conditi sunt in Conciliis usque ad sæculi quarti initium celebratis: cujusmodi fuit Concilium Carthaginiense sub Agrippino illius amplissimæ Sedis Episcopo, aliaque plura numero fere duodecim sæculo tertio celebrata, vel occasione Baptismatis, vel causa illorum, qui in persequutione labebantur. Concilia isthæc omnia a SS. Augustino, & Cypriano aperte notantur.

Collectiones in usum Ecclesiæ Africanæ.

Secundus Codex est ille, in quo, ut habetur in Concilio Africano ann. 419. habito, legebantur Canones tum Concilii Nicæni, tum Conciliorum Africanorum, quæ celebrata sunt sub Grato, qui Sardicensi Concilio præfuerat, sub Genethlio &c.

Tom. 2. Conc. col. 1589.

Tertius non continet, nisi decem & octo Concilia Africana habita, Pontifice Aurelio, qui obiit paulo ante Concilium Ephesinum ann. circiter 430.

Hic *Liber Canonum temporibus S. Aurelii* dicitur in Concilio Carthaginiensi ann. 525. habito ab illius perampla Sedis Episcopo Bonifacio, distinguiturque a Codice præcedente, qui tantum appellatur *Liber*, aut *Volumen Canonum*. Synodus hæc non in lucem prodiit ante Conciliorum Editionem P. Labbæi, ad quem Cardinalis Barberinus miserat illius exemplar, Holstenii opera, extractum ex MS. quod in Bibliotheca Vaticana servatur. Cæterum Ecclesiæ Africanæ Codex utrum privata fuerit, an publica auctoritate collectus, controversia est, quam Cardinalis Du-Perron in sua ad magnæ Britanniæ Regem responsione non prorsus dissolvit; licet cæteroquin peculiarem tantum auctoritatem eidem tribuere videatur. Illud tamen probabilius est, Codicem istum in aliquo Concilio fuisse vel confectum, vel firmatum, ut in sua Præfatione Justellus probat. Constat is ex Actis Concilii Carthaginiensis ann. 419. celebrati; hinc putat P. Coustant, eum magis ad hanc, quam ad universam Africæ Ecclesiam pertinere: quin etiam contendit, non esse, nisi aliquod Collectionis Dionysii Exigui fragmentum. Opinio est, eum fuisse primum Latine conscriptum, deinde in græcam linguam translatum, profecto jussu Bonifacii Papæ, eoque consilio, ut disciplina Ecle-

Tom. 4. Conc. col. 1636. & 1638.

Ecclesiarum solitudine pæne intermortua restitueretur;

Eodem fere tempore, eodemque consilio Ferrandus Carthaginis Diaconus Canonum rerum ordine positorum *Breviationem* confecit, quæ 232. Capitibus constat. Ferrandi collectio edita fuit per P. Pithou Parisiis an. 1588. deinde an. 1610. Præterea cum Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ ann. 1609. & 1628. tandem in Bibliotheca Juris Canonici a Voellio, & Justello data.

Quarta Ecclesiæ Africanæ ætas incipit exeunte sæculo septimo, eaque pertinet usque ad ultimam Africæ direptionem. Per id tempus in his Provinciis Dionysii Exigui Codex obtinebat. Cresconius Africæ Episcopus ann. circiter 690. novam Collectionem confecit, in 300. titulos rerum ordine distributam, & dedicatam Episcopo cuidam Liberino, cujus precibus eam conficiendam susceperat. Laudatus Auctor eundem ordinem sequutus est, quem servarat Dionysius Exiguus, primamque Collectionis suæ partem inscripsit *Breviarium Canonum*. Hoc Juris Canonici compendio continentur tituli, quibus argumenta indigitantur una cum citationibus Canonum, in quibus habentur. Secunda Pars *Concordia*, seu *Liber Canonum* inscripta integros eosdem Canones comprehendit eo ordine, quem occupant in Compendio. Id primum editum fuit Parisiis ann. 1588. per Pet. Pithou ex MS. Ecclesiæ Trecensis, ac deinde per Hauteserre ann. 1630. Pictavii, & per Franc. Chifflet an. 1649. Divioni. Guillelmus Voellus, & Henricus Justellus illud una cum Concordia in suam Juris Canonici antiqui Bibliothecam intulerunt. Placet hic animadvertere Baronii de hujusmodi Collectionibus differentis errores 1. quod Ferrandi Collectioni 300. Capita tribuit, cum 232. solummodo sint; 2. quod duas hasce Collectiones confundit, perinde ac si Cresconius Collectioni suæ Ferrandi Collectionem adjunxerit; 3. quod Cresconium, & Fulgentium Ferrandum ejusdem ævi facit.

Justel. in Appendice Tom. I. p. 33.

Tom. I. p. 456.

Ad annum 419. num. 9. tom. 5.

Inter duas hasce Ferrandi, Cresconiique Collectiones magna deprehenditur similitudo, quoad methodum, quam sequuntur: prioris tamen ordo pulchrior accuratiorque videtur. Differunt etiam in hoc, quod Ferrandus plurima adducit Conciliorum loca, de quibus nulla est apud Cresconium mentio; veluti quidquid deductum est a Conciliis Constantinopolitano, Milevitano, a multis Carthaginis, Tellæ, Suffetulæ, Septimunicæ, Macrianæ, Juncæ, Mazatanæ, Maradianæ, Thanæ, Hipponis regii, quorum pleraque ad Episcopos Byzacenæ in Africa pertinent. Quæ Cresconius in suo *Breviario* propria habet, a Ferrando omissa, ea sunt Canones Apostolorum, & Concilii Calcedonensis, Decreta Pontificum Syricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, & Gelasii, ut ex hujusce Compendii titulo liquido apparet. Illud autem utrisque commune est, quod continent Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Sardicenses, & Carthaginienses; hoc tamen discrimine, quod Cresconius septem priores Synodos ex Dionysii Exigui versione eodem numero, iisdemque verbis repræsentat; Ferrandus vero antiquioribus MSS. usus est, neque eundem cum Cresconio, & Dionysio Exiguo in Canonum Carthaginiensium dispositione numerum servat. Id vero ex eo profectum videtur, quod ex his Collectoribus quidam nequaquam Collectione Canonum Carthaginiensium usus est, quodque Græci, & cum iis Dionysius eos, non secus ac si ad idem Concilium pertinerent, usque ad 133. continuate numerant; cum alii contra duo Concilia distinxerint, quorum uni 33. alteri centum Canones attribuunt. Voellus, & Justellus in suis Bibliothecis duas tabulas exhibuerunt, in quibus, quæ inter se conveniant, quæque discrepent, insigniter notant.

Sunt autem qui putent, Cresconium unius Concordiæ verum auctorem esse, qua, quod in Ferrando desiderabatur, veluti supplemento explevit; *Breviarium* vero non esse, nisi longioris Operis quamdam Epitomem. Alii contra, veluti P. Coustant, ægre admodum secundam hanc partem ipsi attribuunt; neque sane ejus esse certum est. Eidem etiam integræ Collectiones attribuuntur; ac forasse prodiit alia quædam auctior, quam quæ ipsi vulgo adjudicatur. Neque vero necessarium est, hoc loco animadvertere, secundæ hujusce partis initium non ab hoc Collectore profectum. Additum fragmentum incipit his verbis, *qui Episcopus ordinandus est*, & desinit in hæc, *sed Patrum definitionibus acquiescat*: præmissum autem est titulo primo de Episcopi ordinatione, quocum magna affinitas intercedit. Joseph Saens Aguirre Cardinalis tomo tertio Conciliorum Hispaniæ Canonum & Conciliorum alias in Hispania receptorum Indicem præposuit, qui magnam cum Ferrandi Compendio similitudinem habet.

Ecclesia Græca non minore studio, quam Latina, in Conciliorum Collectiones incubuit. Jam superius dixi de Codice Canonum Ecclesiæ Orientalis ab habito Concilio primo Niceno usque ad ejusdem nominis secundum. Codex, cui titulus: Κανόνες τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ συνόδων græce fuit in lucem editus ann. 1540. a Joanne Du-Tillet ex MS. Bibliothecæ Capituli S. Hilarii Pictavii. Hunc ipsum Elias Ehingerus iterum eduxit Vitebergæ ann. 1614. ex alio MS. Bibliot. Ausburgensis: habentur etiam in hanc Collectionem Zonaræ & Balsamonis interpretationes. Observandum hoc loco est, in Superioribus Collectionibus nullum esse locum Patrum Sententiis; quas isthæc prima omnium adscivit, ac veluti Canonibus ipsis æquavit, servata Cresconii methodo, qui primus Occidentalium Pontificum Decretales Canonibus immiscuerat; itemque Joannis Scholastici, qui pariter in suo Nomocanone Canones D. Basilii præmiserat.

Codices Ecclesiæ Græcæ.

Qui Canonem secundum Concilii sexti Constantinopolitani in Trullo cum Codice Ecclesiæ universæ conferat, facile prospiciet, plura in illo, quam in hoc contineri. Canones isti servabantur in Ecclesiarum Tabulariis, & laudati Concilii jussu collectio hæc confirmata fuit & approbata.

Tom. 6. Conc. col. 1140.

Synodicon, quo continentur Concilia ab Apostolis usque ad Photii, & Joannis Papæ tempora, prodiit nono circiter sæculo, h. e. ann. 870. ut ejusdem inscriptio fert; Auctor incertus. Quidam nomine Andreas Darmarius Epidaurius (h. e. ex quadam Peloponnesi urbe, Cheroneso dicta) una cum aliis Græcis MSS. Synodicon detulit Argentoratum, a Joanne Pappo ibi emptum. Hic vero ann. 1601. protulit in lucem Collectionem hanc, versione Latina, & Notis adjectis. Cæterum, licet ea Concilia omnia polliceatur, nonnulla tamen ab eadem adhuc prætermitti fatendum est. Habentur nihilo minus præcipua, & pleraque eorum omnium, quæ habita sunt usque ad sæculum nonum, h. e. usque ad ann. 879. quo habitum est Concilium pro Joannis Papæ & Photii reconciliatione. Non mediocrem ex hac Collectione utilitatem percipiet, quicumque eandem contulerit cum antiquis Ecclesiasticis Historicis, quorum esse potest veluti quidam elenchus, præsertim quoad nomina temporaque Imperatorum, Episcoporum Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, Jerosolymæ, Virorum in Ecclesia præstantiorum, denique Hæreticorum, quorum Collectio veluti quoddam compendium exhibet. Pauca admodum prætermittit eorum, quæ ad Occidentis Imperatores pertinent; notatque etiam illorum, qui a Constantino magno usque ad Basilium Leonis Philosophi patrem in Oriente regnarunt. Voellus eam intulit in Bibliothecam suam. P. Labbæus in suis Conciliis eandem in sæcula diversa dispescuit, & in ea tempora conjecit, ad quæ Synodi ibi memoratæ referuntur.

Synodicon.

Collectio, cui titulus: *Originum rerumque Constantinopolitanarum manipulus*: per P. Combefis data, Synodicum Orientalium Opus comprehendit. Ea vero est Episcoporum Orientalium Epistola ad Theophylum Imperatorem, non ab omnibus simul Episcopis conscripta. Eam pariter edidit P. Lequien inter S. Joannis Damasceni Opera.

Tom. 1.

Joannes Antiochenus, cognomento Scholasticus, h. e. Patronus, seu vulgo Advocatus, quod in foro aliquandiu versatus fuerit, Presbyter, ac deinde Patriarcha Constantinopolitanus ann. circiter 565. Auctor est Collectionum earum, quæ inter

Collectio Joannis Antiocheni.

a Salmon Concil.

Justellus tom. 2.

inter Canonum Collectiones locum habuere. Harum prima titulum præfefert : *συναγωγὴ κανόνων* *Collectio Canonum*. Canones Conciliorum in Ecclesiæ universæ Codice ordine temporum dispositi hic in 50. titulos distribuuntur, iique, qui idem argumentum, diverso tamen sensu pertractant, mira dispositione collocari, iisdem titulis subjiciuntur. Hic omnium primus in sua Collectione inter Canones Græcos attulit etiam 85. Canones, qui Apostolis tribuuntur. Præposuit quoque 21. Canones Sardicenses Antiochenis, qui tamen antiquiores sunt. Ad hanc fortasse Collectionem videtur respexisse Nicolaus I. Papa, de ea loquutus, quam dixit *Concordia Canonum*. Aliud Joannis Antiocheni Opus vocatur *Nomocanon*, quod quoddam compendium est eorum 50. Titulorum, seu Capituum, quibus addit Imperatoris Justiniani Novellas, quæ magnam cum iis necessitudinem habent. Florentius *de Origine Juris Canonici* primum Opus Theodoreto tribuit; quod certe nequaquam consentit cum iis, quæ leguntur in MSS. Chancellarii Seguier, Collegii Claromontani, Oxoniensi, & Regio, quæ omnia dant : *Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως*, vel *πρεσβυτέρου Ἀντιοχείας, ἀπὸ σχολαστικῶν*. Collectiones hæ habentur pariter in antiquo MS. Heidelbergensi, quod hodie in Biblioth. Vaticana servatur; eæque initio statim magni usus, magnæque auctoritatis fuere, cum solæ fuerint, quæ apud Græcos passim obtinerent. Quod si Nomocanon & ab Imperatore Justiniano confirmatus fuit, & commendatus ab Epiphanio Patriarcha, ad quem est Novella sexta, ut Usserius animadvertit in Dissertatione in Sancti Ignatii scripta; fateri oportet, eum conscriptum fuisse, antequam Joannes Presbyter Antiochenus ad Patriarchatum Constantinopolitanum promoveretur.

Ibidem. *Cap. 6.*

Opusculum de primis sex Conciliis. Tom. 2.

Habemus Opusculum de sex prioribus Conciliis OEcumenicis in Bibliotheca Juris Canonici antiqui, auctoribus Voello, & Justello. Græce Latineque conscriptum. In fronte cujusque Synodi notatur numerus annorum, qui a præcedenti usque ad subsequens Concilium intercesserunt. Le Moyne pariter Opusculum hoc refert græce & latine in suis *Variis Sacris*, illudque tribuit Germano Patriarchæ Constantinopolitano, & addit quemdam Epilogum, qui in Justello non apparet. Sed & P. Combefis dedit græce & latine Epitomem secundi Antirhetici Nicephori Archiepiscopi Constantinopolitani, qui sæculo nono de sex Conciliis egit. Hunc reperias in ejus *Auctuario Novo*, sive, ut clarius loquar, in Hæreseos Monothelitarum Historia. Bibliothecæ Lugdunensis Collectores eumdem latine dederunt.

Tom. 1. *Tom. 2.* *Tom. 14.*

Visum est septem priorum Conciliorum generalium Compendium, una cum Nicæni Concilii Historia, auctore Gelasio, & cum Actis Concilii Ephesini. Id græce scriptum est ex Editione Commelin 1604. adjecta versione Abrahami Sculteti in fol. Extat etiam in editione Canonum Apostolorum, quam Ehingerus dedit in 4. ann. 1614. Vitebergæ.

Collectio Photii.

Compendiaria Historia, quam Photius Patriarcha Constantinopolitanus de septem Conciliis OEcumenicis dedit ann. circiter 880. Epistolam exhibet, quam ipse ad Michelem Bulgarorum Regem scripsit de Officio Principis. Voellus eam edidit Græce & Latine in sua Bibliotheca. Ejus fragmentum Usserius antea inseruerat in Dissertationem suam, quam inscripsit *De Romanæ Ecclesiæ Symbolo Apostolico vetere & aliis fidei formulis*, *Londini in 4.* Cave putat, ejus auctorem esse Photium Episcopum Thyatiræ.

Photii Nomocanon continet Canones Conciliorum, & Epistolas Canonicas, & Leges Imperatorum de rebus Ecclesiasticis, verbo totius Juris Canonici græci elementa. Is tanto est apud Græcos in pretio, ut Collectionibus omnibus, atque etiam Canonum Codici anteponant. Distribuitur in 14. titulos, quorum singuli in certa Capita dividuntur; Canonibus Leges Imperatorum adjungit. Ac Canones quidem tantummodo citat : Leges vero per compendia adducit. Voellus & Justellus in lucem edidere hujusce Collectionis veluti prologum, qui in MS. Biblioth. Oxoniensis inventus fuit. Hinc inferunt, Nomocanonem fuisse collectum an. 883. qui annus anno Mundi 6391. juxta Græcos respondet. Balsamon edidit in Nomocanonem commentarios : quorum duæ extiterunt versiones latinæ, quæ initio statim textui græco suppositæ prodiere, una Gentiani Herveti, Henrici Agilæi altera; hæc vero amplior, neque ex stilo Jurisconsulti est. Christophorus Justellus ex MS. Biblioth. Palatinæ græce dedit primam Nomocanonis editionem ann. 1615. cum Scholiis Balsamonis; ac deinde Luparæ ann. 1620. prodiit textus græcus, & versio Herveti ad calcem Commentariorum Balsamonis. Voellus, & Henricus Justellus filius eundem in suis Bibliothecis dederunt græce & latine cum interpretatione Agilæi; commentariis Balsamonis, & Prologo; quod Opus etiam in Pandectis Beveregii habetur.

Epitome 7. Concilior. generalium.

In MSS. Codin reperitur Epitome septem Conciliorum OEcumenicorum, media inter Librum *de statuis*, & librum *de ædificiis*. Eam Lambecius græce dedit in suis Notis ad hujus Scriptoris Tractatum de originibus Constantinop.

Opusculum Joannis Pselli.

Habemus etiam Opusculum in septem priora OEcumenica Concilia, cujus Auctor est Joannes Psellus sæculo undecimo. Cave Hist. Litt. & Sagittarius Introduct. ad Histor. Ecclesiast. & Du-Pin Auctorem faciunt Michaelem Psellum; sed non satis probabili firmaque ratione. Opusculum hoc græce editum fuit Basileæ ann. 1536. apud Joannem Babelium in 8. habeturque Tomo tertio Conciliorum Binii part. 1. Idipsum Bosquet græce & latine dedit Parisiis 1632. una cum quibusdam aliis Opusculis. Videnda est in hanc rem Dissertatio Leonis Allatii *de Psellis*.

Loquor hic de Zonara in eam partem, qua Commentarios confecit in Nomocanonem Photii, & in Canones Apostolorum, Conciliorum generalium & Provincialium, verbo in Codicem Ecclesiæ Orientalis. Hi fuere editi Parisiis græce & latine ann. 1618. ejusque Epistolarum Canonicarum explicatio 1621.

Collectio Harmenopuli.

Constantinus Hermenopulus pariter Sæculi XII. Scriptor Auctor est Compendii Canonum, cui titulus *ἐπιτομὴ τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων*: *Epitome divinorum & Sacrorum Canonum*. Ea collecta est ex Codice Canonum Ecclesiæ Orientalis, vel ex Canonibus Synodorum OEcumenicarum, & Provincialium, & ex Græcis Patribus; habeturque initio Tomi primi Juris Græci & Romani, Auctore Leunclavio, ann. 1596.

Collectio Aristenis.

Compendium Canonum, auctore Alexide Aristene Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, inscribitur: *ἡ ὑπὸ Ἀριστηνοῦ σύνοψις τῶν κανόνων πάντων*. Opusculum hoc, quo continentur tantum Notæ, seu potius Index Codicis Canonum Ecclesiæ universæ, persequitur ordinem Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Calcedonensis, quibus præponit Canones Apostolorum, Sardicenses, 22. Africanos, Trullenses, & tres Epistolas Canonicas S. Basilii, ut inquit Justellus in Præfatione sua ad secundam Bibliothecæ partem, in qua hæc Epitome habetur.

Collectio Simeonis.

Simeon, qui dicitur *Magister & Logotheta*, alium ab Alexide Aristene ordinem sequutus, primum affert Canones Apostolorum, 4. Concilia OEcumenica, deinde Concilia Particularia Ancyranum, Sardicense, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, & Laodicænum : addit præterea 84. Canones Africanos, Canones Trullenses, & tres S. Basilii Canonicas Epistolas : Hanc Canonum Epitomem Justellus dedit in sua Biblioth.

Collectio Arsenii. Tom. 2.

Arsenius Monachus & Patriarcha Constantinopolitanus ann. circiter 1255. Canonum Collectionem confecit ex Conciliis, & Patribus in Concilio Trullensi approbatam. Eam vocat *Synopsis Canonum*, quæ 141. Titulis constat. Habetur in Biblioth. Justelli.

Synopsis Conciliorum, quam citat Meursii Glossarium *græco-barbarum*, cum ea sit Matthæi Blastares; & inter Nomocanones referatur a Justello patre in Præfatione ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, fortasse est Tabula alphabetica Canonum, qui habentur in Pandectis Beveregii editis Oxonii ann. 1672.

Nilus

Synopsis Nili. Nilus Metropolitanus Rhodius novem Conciliorum OEcumenicorum Synopsim composuit Sæculo XIII. Eam Justellus pater græce & latine dedit ad calcem Nomocanonis Photii editum Parisiis ann. 1515. in 4. Habetur pariter in ejus Juris Canonici Bibliotheca.

P. Montfaucon in suo *Diario Italico* citat MS. Biblioth. Barberinæ, in quo extat Nomocanon Doxopatris una cum ejusdem Canonum explicationibus. Hi vero Canones sunt 85. Apostolis tributi, Nicæni 25. Ancyrani 25. Neocæsarienses 15. Gangrenses 20. Antiocheni 25. Laodiceni 59. Constantinopolitani 8. Ephesini 9. Calcedonenses 30. Sardicenses 21. Carthaginenses 137. Constantinopolitanum 1. in facto Agapii & Bagadii, Trullenses 102. Nicæni ex secundo Concilio 22. ex Constantinopolitano in Templo Apostolorum habito 17. ex eodem habito in Templo Sanctæ Sophiæ 3. Subsequuntur Patrum Canones plures, Divi Basilii 91. Tarasii 1. Dionysii Alexandrini 5. Petri Alexandrini 14. Gregorii Thaumaturgi 13. D. Athanasii 5. Gregorii Nysseni 8. Timothei Alexandrini 15. Theophyli Alexandrini 14. D. Cyrilli Alexandrini 7. Eulogii Alexandrini 1. Gennadii Constantinopolitani 1. aliique longe plures, quos nimis longum esset omnes recensere. MS. hoc fert Sæculum XII. in eoque memoratur etiam altera græca Canonum Collectio, quæ de Sæculo X. & in eadem Bibliotheca est.

Collectiones particulares. Antequam huic de Ecclesiæ Codicibus disputationi finem imponimus, non erit abs re, eas etiam percurrere Collectiones, quæ in usum quarumdam particularium Ecclesiarum confectæ fuerunt. Igitur Collectio Thessalonicæ conservabat Epistolas Rom. Pontificum, qui Episcopos S. Sedis Vicarios in Illyrium invexerant: ex ea pariter desumptæ sunt Epistolæ, quæ in Concilio Romano sub Bonifacio II. recitatæ fuerunt. Eas omnium primus Luc. Holstenius ex Biblioth. Barberina in lucem eduxit. Sed non tanquam legitimæ admitti non possunt Leonis II. Epistolæ, tanta cum Superioribus affinitate conjunctæ, ut, illarum veritate probata, hæ in dubium revocari nequaquam possint. P. Coustant fatetur quidem, Episcopos Thessalonicæ Vicariorum Apostolicorum jure & dignitate fuisse instructos; non tamen concedit, quod Justinianus Imperator asserit, videlicet Catellianum Justinianæ primæ Episcopum omnium primum eam dignitatem obtinuisse.

Tom. 4. Conc. col. 1691.

Præfat. in Epist. Roman. PP.

Ecclesia pariter Arelatensis sua semper cordi habuit privilegia; eoque consilio Rom. Pontificum collegit epistolas, quibus ea continebantur. Hujus Collectionis Exemplaria extant in Bibliotheca Colbert. Exemplar Bibliothecæ Regiæ nonum sæculum fert.

Ecclesia Romana maximam semper in id contulit curam & diligentiam, ut omnes conservaret Epistolas, quas Pontifices in Italiam, Hispaniam, Galliam, Africam, in omnes demum Terræ partes emittebant. P. Coustant existimat, MS. quod alias in Monasterio S. Petri Avellani in Umbria servabatur, hodie vero in Bibliot. Vaticana servatur, constasse ex his Collectionibus; ex eoque plura desumpta sunt monumenta, quæ se in lucem daturum profitetur; licet eorum aliqua falsa sint & adulterina. Aliud etiam memorat MS. antiquum 700. & amplius annorum, quod ex Rom. Ecclesiæ Tabulariis extractum fuisse conjicit. Id alias ad Cardinalem Grimanum pertinebat; hodie vero extat apud Patres Oratorii in Bibliotheca Institutionis. Ibi non habentur, nisi S. Leonis Epistolæ, una excepta, quæ Symmachi Papæ est. Editio S. Leonis ad hoc MS. fuit elaborata, quam deinde P. Coustant cum eodem MS. universam contulit, eo consilio, ut vitia & menda corrigeret, quæ in hujusce Ecclesiæ Patris editionem a P. Quesnellio datam irrepserant.

Præfat. in Epist. Roman. PP.

Liber de Synodis. Hincmarum ferunt composuisse Librum de Synodis sæculo nono; sed hoc saltem titulo nondum apparuit. Qui monitum in fronte Gratiani præposuerunt, debuerant clarius & apertius distinguere Librum hunc, de quo nimis generatim loquuntur. Reginon natione Germanus, Religiosus & Abbas Prumiensis in Trevirensi Diœcesi, præter Chronica, etiam Collectionem confecit, ex Conciliis, Capitularibus, aliisque ejusdem generis operibus conflatam. Titulus, quem MS. Viennense præsefert, est hujusmodi: *Libellus de Disciplinis Ecclesiasticis & Religione Christiana.* Opinio est, Collectionem hanc fuisse ad exitum perductam, ineunte Sæculo X. postquam prædictus Abbas in Trevirense S. Maximini Monasterium sese receperat. Ut plurimum continet duos Libros *de Disciplina Ecclesiastica* inscriptos, quorum primus Clericos, alter Laicos afficit. Joachimus Hildebrandus quædam addidit ex MS. Universitatis Juliacensis. Ejus Editio ann. 1659. Helmestadii titulum exhibet *Reginonis Prumiensis de disciplina Ecclesiastica veteris præsertim Germaniæ libri duo*. Eos Baluzius iterum edidit ann. 1671. pulcherrimis notis exornatos. Bellarminus putavit, hujusmodi Opus non extitisse, ut inquit in Bibliotheca de Scriptoribus Ecclesiasticis, eo quod eosdem fortasse neque in Bibliotheca Vaticana, neque Romæ repererit. Loquor ego de hoc Opere, eo quod sit una ex iis Collectionibus, quæ prima in Occidente cum Canonibus Patrum auctoritates, Pontificum Rom. decreta, Legesque Civiles conjunxerit; adeo ut magnopere conferre possit ad Ecclesiasticam Disciplinam Græciæ, Africæ, Hispaniæ, & Germaniæ, cujus Concilia referuntur, magna ex parte cognoscendam. Ipse Auctor Germanus est, lectoremque sæpe remittit ad Epistolam, quam Rabanus Archiepiscopus Magontinus ad Heribaldum Episcopum Antissiodorensem scripsit.

Salmon Concil.

Collectio Abbonis. Abbon seu Albon Monachus & Abbas Floriacensis exeunte sæculo decimo egregiam composuit Canonum Collectionem, quam Regibus Hugoni & Roberto dedicavit. Ea habetur in Analectis P. Mabillonii Tom. 2.

Collectio Burchardi. Burchardus primum Monachus, ac deinde Episcopus VVormaciensis in Germania paulo post Collectionem Canonum confecit, quos Decreta appellat: ea desumpta sunt ex Canonum corpore, h. e. ex iis, qui Apostolis tribuuntur, ex Conciliis transmarinis, scilicet Orientalibus, ex Conciliis Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, ex Pontificum Rom. decretis, ex S. Scriptura, ex vetere Testamento, ex Libris D. Gregorii, aliorumque Ecclesiæ Patrum, veluti ex D. Basilio Magno, D. Hieronymo, D. Augustino, D. Ambrosio, D. Benedicto, D. Isidoro, aliisque. Porro quemadmodum ejus Collectio Ecclesiasticam afficit Disciplinam, ita eam auxit & ornavit compendiis ex Pœnitentialibus Romæ, ex Theodoro, ex Beda deductis; tandem exscripsit, sequutusque Reginonem est. Opus hoc dividitur in 20. Libros; quorum quisque suos habet Canones, Canon titulum, vel argumentum. Sigebertus in suis Chronicis ad ann. 1008. & in Lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 141. magnopere hanc Collectionem laudat. Canonistæ brevitatis causa Decretum dixere. Editum fuit Coloniæ 1548. & anno sequenti Parisiis. Du-Pin asserit, magno id ordine esse conscriptum, sed nullo delectu, falsarumque Pontificum decretalium citationibus scatere, pro illorum temporum consuetudine.

Collectio MS. Biblioth. Sorbonicæ. Dicendum hoc loco est de Collectione MS. quæ est in Bibliotheca Sorbonnæ num. 841. quæque usque ad hæc nostra tempora latuit vix cuiquam cognita. Ea fuit conscripta jussu Hæmonii Episcopi Verodunensis ann. 1009. & dicata cuidam Anselmo, quem Auctor in Inscriptione Archiepiscopi titulo exornat. Anonymus Collector Cresconii Ferrandique Collectiones laudat. Totum opus in 12. partes divisum est. In quolibet titulo alicujus auctoritatem adducit. Fontes porro auctoritatum sunt Concilia, Canones Apostolorum, Constitutiones S. Clementi tributæ, Decretales Pontificum, præsertim S. Gregorii, cujus verba ut plurimum refert, Collectio Isidori, Novellæ, Codex, Justiniani Institutiones, Decreta Imperatorum Alexandri, Severi, aliorumque. Primi omnium Græci Jus Civile inseruerunt in suas Collectiones, quæ idcirco Nomocanon dicebantur: Occidentalibus satis erat sequi leges Imperatorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam referebantur, & admittere Capitularia Caroli magni, vel aliorum, qui has Leges auctoritate firmaverant. Burchardus, qui

suum Decretum composuit post ann. 1008. ac proinde post hujus Collectionis Auctorem, quo etiam usus creditur, de Codice Theodosiano uno aut altero loco mentionem facit; de Jure vero Civili nusquam. Hoc igitur omnium primus Collector noster in suam intulit Collectionem. Is hunc plerumque ordinem sequitur, ut post Canones quædam Capita citet primum Collectionis Isidori, tum Registri S. Gregorii, ac demum Codicis Legis Romanæ. Facile adduci possent Capita ex Canonibus Patribusve deducta, & ostendere, quo quæque Collectionis Sorbonnicæ loco reperiantur. Quod si id conferat ad indicandam eam Collectionem, qua Collector noster usus est, operam me non perdidisse credam. Experiar igitur, quoad Canones Apostolis tributos, qui ibi sæpissime citantur, juxta versionem Dionysii Exigui, & Canones Conciliorum: ita facilius erit Collectionem hanc cum quacumque libuerit conferre.

Canones Apostolorum,		*Collectio Sorbonnica,*	
1.	25. cap.	part.	9.
2.	2. c.	p.	4.
3.	84. c.	p.	10.
4.	85. c.	p.	10.
6.	(78. c.	p.	2.
	53. c.	p.	4.
7.	(54. c.	p.	4.
	61. c.	p.	2.
9.	36. c.	p.	4.
11.	(105. c.	p.	5.
	21. c.	p.	7.
12.	106. c.	p.	5.
13.	46. c.	p.	5.
14.	95. c.	p.	2.
15.	55. c.	p.	5.
16.	118. c.	p.	2.
17.	33. c.	p.	5.
18.	(31. c.	p.	5.
	3. c.	p.	11.
19.	32. c.	p.	5.
21.	42. c.	p.	5.
23.	41. c.	p.	5.
24.	102. c.	p.	7.
25.	(149. c.	p.	2.
	107. c.	p.	5.
26.	(150. c.	p.	2.
	108. c.	p.	5.
28.	153. c.	p.	2.
29.	141. c.	p.	2.
30.	32. c.	p.	2.
31.	38. c.	p.	10.
32.	55. c.	p.	4.
33.	109. c.	p.	5.
34.	(154. c.	p.	2.
	57. c.	p.	4.
35.	84. c.	p.	1.
36.	110. c.	p.	2.
37.	114. c.	p.	2.
38.	10. c.	p.	3.
39.	84. c.	p.	2.
40.	85. c.	p.	2.
41.	86. c.	p.	2.
42.	173. c.	p.	2.
43.	(84. c.	p.	5.
	103. c.	p.	7.
44.	163. c.	p.	2.
47.	23. c.	p.	9.
48.	34. c.	p.	7.

Idem exequamur in Collectionem Isidori.

Collectio Isidori,		*Collectio Sorbonnica,*	
3.	2. cap.	part.	3.
5.	(34. c.	p.	3.
	189. c.	p.	3.
6.	144. c.	p.	3.
7.	35. c.	p.	3.
8.	(9. c.	p.	1.
	62. c.	p.	1.
10.	5. c.	p.	3.
11.	6. c.	p.	3.

Nulla ibi Pontificum decreta leguntur Gregorio Magno posteriora. Supposititia Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum epistola ad Damasum Papam refertur ad caput 68. primæ partis. Sunt etiam nonnulla decreta ex Concilii Nicæni Capitulis deducta, quæ a Julio Papa reperta dicuntur, habenturque in illius Epistola secunda pro S. Athanasio adversus Orientales. Capitulum quartum, quod est quintum in hac Epistola, refertur capite 86. tertiæ partis, duodecimum cap. 81. & sextum cap. 117. Quæ ab ejusdem Concilii Capitulis deducta sunt, & a Felice Papa, uti putant, inventa, sunt quintum, quod in hujusce Papæ epistola quartum est cap. 132. tertiæ partis, & nonum, quod est octavum in epistola cap. 133. ejusdem partis.

Tom. 2. Conc. col. 487.

Tom. 2. Conc. col. 851.

Concilia, quorum Canones affert, sunt Africana, Carthaginiensia, Arelatensia, Ancyrana, Gangren-

grensia, Cæsareensia, Nicæna, Sardicensia, Valentina, Constantinopolitanum primum, quod aliquando citat sub nomine Concilii 150. Episcoporum, Arausicana, Vassionensia, Toletana, Calcedonensia; Rejensia, Agathensia, Tarraconensia, Gerundæ, & Ilerdæ habita 584.

Part.2.c.117.

In hoc Ms. ad finem tertiæ partis singularem hunc titulum animadverti: *Ratio de Canonibus Apostolorum, & de sex Synodis principalibus ... Item brevis annotatio de reliquis Synodis*: P. Dacherius fragmentum hoc dedit Spicilegii Tom. 10. Addendum etiam est, quod sequitur in Ms. nostro: *Annotatio de Decretalibus Apostolorum*. Annotatio hæc incipit a Silvestro Papa, & desinit in Gregorium II. qui sæculo octavo vixit. Eam vero, quam nusquam alibi reperi, placet hic adducere.

ITEM ANNOTATIO DE DECRETALIBUS APOSTOLORUM.

„ Silvester Papa a Petro trigesimus quartus, „ congregatis cum Consilio Constantini Augusti „ in Urbe Roma 277. Patribus, post Nicænam „ Synodum damnavit item Arrium & cæteros Hæ„ reticos, & constitutiones plerasque Ecclesiæ ne„ cessarias ordinare studuit. Siricius a Petro qua„ dragesimus, scripsit Decretalia Capitula 15. pro„ pter quasdam necessitates, Omerio Tarraconensi „ Episcopo Consulente. Innocentius a Petro qua„ dragesimus secundus, scripsit quasdam Epistolas „ ad Episcopos diversarum Provinciarum, in qui„ bus continentur Capitula Decretalia 56. Zozi„ mus a Petro quadragesimus tertius, scripsit Epi„ stolam decretalem ad Hesicium Salonitanum „ Episcopum sub tribus Capitulis prænotatam. „ Cælestinus a Petro quadragesimus quintus, scri„ psit epistolam ad Venerium & cæteros Gallia„ rum Episcopos, in qua tenentur Capitula 22. „ Leo a Petro quadragesimus septimus, scripsit „ quasdam Epistolas ad diversarum Provinciarum „ Episcopos, in quibus continentur Capitula 29. „ Hilarius a Petro quadragesimus octavus, præ„ sentibus Episcopis & Presbyteris 45. statuit Ca„ pitula Synodica 6. Felix a Petro quinquagesi„ mus, præsentibus Episcopis & Presbyteris 81. „ capitula Canonum constituit 27. pro rebaptiza„ tis in Africa Episcopis, Presbyteris, & Diaco„ nibus. Gelasius a Petro 51. capitula 27. de In„ stitutis Ecclesiasticis. Anastasius a Petro 52. ca„ pita Decretalia 8. ad Anastasium Augustum pro „ diversis Ecclesiæ causis. Symmachus a Petro 53. „ una cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus „ statuit capita Synodica quinque. Item ejusdem „ in Decretali secundo capita Synodica 7. Ecclesiæ „ necessaria; quæ cum Episcopis, Presbyteris, & „ Diaconibus 181. firmata sunt. Gregorius Doctor „ a Petro 66. scripsit capita Synodica sex cum Epi„ scopis 24. temporibus Mauritii Augusti. Item „ ejusdem capitula undecim valde necessaria ad „ Augustinum in Britannia ipso requirente scripta. „ Martinus a Petro 77. constituit Synodum in „ Urbe Roma cum patribus 105. intra Cyrum, „ & socios ejus Hæreticos, damnans eos, qui „ naturam & unam operationem in Filio Dei af„ ferebant, quam transcribens misit per Orthodo„ xos viros in Orientem & Occidentem. Grego„ rius secundus, a Petro nonagesimus primus scri„ psit capita septendecim omni Ecclesiæ servanda „ cum patribus triginta tribus, eaque sub Anathe„ matis vinculo alligavit. „

Collectio Anselmi Lucensis.

Extat in Bibliotheca Barberina Canonum Collectio, nomen præseferens Anselmi Lucensis, qui exeunte sæculo XI. vixit. Anonymus, qui hujusce vitam descripsit, ejusque Pænitentiarius fuit, ejusdem videtur fuisse sententiæ. Antonius Augustinus dubie loquitur de hac Collectione. Inquit enim: se hujusce voluminis inscriptionem vidisse in tribus exemplaribus, quæ nullum Auctoris nomen ferebant; alterum vero ita erat inscriptum: *incipit authentica & compendiosa Collectio regularum & sententiarum Sanctorum patrum & auctorabilium Conciliorum*. Idem alibi ejusdem Operis alium titulum affert; *Authentica Collectio regularum sive Canonum*. Schottus in sua Hispaniæ Bibliotheca inquit, Collectionem hanc ex Antonii Augustini observationibus innotuisse: ex iis fortasse, quæ dicit in suis Dialogis *de emendatione Gratiani*. Baluzius in ea potius opinione est, ut credat, hujus Operis auctorem esse Hildebertum Cenomanensem Episcopum.

Lib. 1. de Emend. Gratiani Dial. 1. pag. 5.

Ibid. pag. 7.

Collectio Ivonis Carnotensis.

Ivo Carnotensis Episcopus duas condidit Canonum Collectiones, quarum quæ copiosior inscribitur Collectio de Regulis Ecclesiasticis, communiterque appellatur Decretum. Sequutus est Collectionem Burchardi: adjectis tamen Legibus civilibus, aliisque, quæ ad Berengerii hæresim spectant. Ejus Decretum divisum est in 17. partes. Aliud Opus, vocatum Pannormia, seu Panormia, quod ante Decretum compositum fuit, sive sit Ivonis juxta Contium; qui tamen errat in designando tempore, quo duo hæc Opera confecta fuerunt; si enim obiit, ut Baronius conjicit, an. circiter 1114. aut 1118. non potest eadem confecisse an. 1136. sive sit Hugonis Chabillonensis, quo de loquitur VVernerus Rolevvink *in fasciculo temporum*, Basilææ prodiit an. 1499. Decretum vero Ivonis Lovanii an. 1561. ejusque Opera omnia Parisiis an. 1647.

Collectio Deusdedit.

Nonnulli distinguunt duo Opera *Deusdedit* Cardinalis Presbyteri Ecclesiæ Romanæ. Unum, quod de Rom. Sedis Privilegiis agit, in quatuor partes divisum est; ejus Ms. extat in Bibliotheca Vaticana: alterum est Collectio Canonum Victorii III. Papæ dicata, & composita an. circiter 1087. Duo isthæc Opera, quæ Du-Pin confundit, adhuc extant Manuscripta.

Collectio Gregorii.

Collectio Gregorii Presbyteri Cardinalis præsefert nomen *Polycarpos*, eo fortasse, quod in plures particulas distributa est. Ea citatur a Gratiani Correctoribus in *Indiculo*, & ab Antonio Augustino in Præfatione ad antiquas Decretalium Collectiones. Ejus reperiuntur Ms. in Bibliotheca Colbert.

Collectio Roberti.

Exeunte sæculo XI. Robertus Monachus S. Remi Rhemensis Acta Conciliorum collegit. *Collegit acta Conciliorum*, inquit Vossius in Tract. de Historicis Lat. ad an. 1120.

Collectiones Canonum, quæ ante sæculum XII. confectæ sunt, inter privatorum opera fere omnes relatæ fuerunt; decisionesque, quas comprehendebant, tantum auctoritatis habebant, quantum ipsis monumenta, unde erant desumptæ, conferre poterant. Collectio, quam Gratianus in S. Felicis Monasterio Bononiæ Monachus an. 1151. confecit, feliciorem exitum habuit; quamvis enim non fuerit publica auctoritate collecta, magnopere tamen viguit in Scholis Juris, ante Collectionem Decretalium, quæ mox extiterunt; magnoque etiam post id temporis semper apud omnes in pretio fuit.

Decretum Gratiani.

Decretum Gratiani conflatum est ex Scripturæ locis, Conciliorum Definitionibus, antiquorum Pontificum Rescriptis, & SS. Patrum auctoritatibus. Divisum est in tres partes: quarum prima est de Distinctionibus, quæ sunt una supra centum: altera de Causis, quæ sunt 36. quarum trigesima tertia septem aliis Distinctionibus tractat de Pænitentia: tertia *de consecratione* quinque Distinctiones complexa.

Prima Pars agit de primis Juris Principiis, sc. de Jure Divino & Humano primis viginti distinctionibus; in sequentibus vero de Ordinationibus, & de Ministris Ecclesiæ, de Superioribus, & Inferioribus, & de qualitatibus, quibus instructi esse debent.

In secunda Parte agitur de Judiciis Ecclesiasticis, tam civilibus, quam criminalibus, eorumque materia in foro tam externo, quam interno. Hinc in hac parte copiosissime disserit de Matrimonio, & de Pænitentia, quæ plurimorum horum Judiciorum materia & argumentum sunt.

In tertia Parte agit Gratianus de aliis Sacramentis, de quibus nihil dixerat duabus superioribus partibus, h. e. de Baptismo, de Confirmatione, & de Eucharistia, omissa, extrema-Unctione; &, quoniam Eucharistia cæteris excellentior est, de ea primo loco agit, initium ducens a Consecratione Ecclesiarum, & Altarium, quæ augustissimo huic Sacramento inservire debent.

In om-

In omnibus tribus hisce partibus Gratianus totus in eo est, ut Canones, qui in quolibet argumento occurrunt, inter se discrepantes conciliet: hinc fertur hunc Decreto suo titulum indidisse: *Concordia discordantium Canonum*. In his Conciliationibus aliquando deceptus est, non secus atque in citationibus auctoritatum, quas affert: ut conjici potest ex iis, quæ in secunda parte de confessione dicit. Causæ trigesimæ tertiæ annexuit Dissertationem de Pœnitentia septem distinctionibus comprehensam, in qua errorem sequitur quorumdam Pœnitentialium Auctorum, qui putarunt Confessionem neque juris Divini esse, neque ad peccatorum remissionem omnino necessariam. Sed in hoc potest sano modo explicari, ut videri potest in Tractatu de Confessione, auctore Patre de S. Martha, Religioso Benedictino.

Prima hujus Gratiani Operis Editio prodiit Moguntiæ an. 1472. secunda Venetiis septem post annos: tertia Parisiis: an. 1608. quæ omnium prima Gratiani nomen præfefert. In his editionibus habetur Gratiani Textus eo modo, quo exaratus fuit, h. e. citationibus plenus vel falsis, vel infidis; siquidem non solum in sua Collectione falsas Pontificum Decretales, & Opera supposititia citavit; sed in eo etiam sæpe deceptus est, quod Auctorem pro Auctore, Concilium pro Concilio citavit, eorumque loca attulit aliter, atque autographo appareant: ex quo illud nonnullis necessarium visum est, ut hujusce Auctoris errata corrigerentur. Id in Gallia omnium primi aggressi sunt Antonius de Mouchy, & Antonius Contius, quorum notis illustratus prodiit Antuerpiæ an. 1570. & 1573. Eodem tempore cum Romani Pontifices summam hujus Operis utilitatem perspexissent, id præstantibus viris negotii dederunt, ut novam Decreti Gratiani editionem correctam & ab insignioribus saltem purgatam erroribus concinnarent. Quod quidem opus, Pio IV. Pontifice, susceptum, ac deinde sub ejus successore Pio V. continuatum, tandem sub Gregorio XIII. perfectum est. In hoc vero maxime præstantes viri incubuerunt, 1. ut tollerent menda, quæ Librariorum, vel Amanuensium incuria in Gratiani textum irrepserant. 2. ut ipsa capita, ubi in hoc Gratiani error evidens erat, suis auctoribus quam diligentissime restituerent. 3. Ut veri textus ab eo, qui citatur a Gratiano, differentiam indicarent, atque hunc ex ipso Originali emendarent. Opus hoc vix perfectum prodiit Romæ an. 1580. approbante Gregorio XIII & prohibente, ne diversa ratione ab aliis imprimeretur. Juxta ejusdem Editionis exemplar & aliis bene multis in locis impressum est, veluti Venetiis 1584. Parisiis 1585. Francofurti 1586. & 1590. Lugduni 1591. ex quibus innumeræ deinceps editiones extiterunt. Interim vero dum Romæ edebatur, Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus Dialogos in Gratiani reformationem composuit, ac deinde nonnulla adjecit Editioni Romanæ, ubi ejusdem habuit exemplar. Opus hoc impressum fuit Tarracone an. 1587. anno post Auctoris mortem, ac non multo post Parisiis; sed anno 1682. idem multo accuratius nobis Baluzius dedit. Antonius Augustinus in Decreto Gratiani quam plurimos cujuscumque generis errores detegit, detectos multo studio corrigit, innumerasque adjungit pulcherrimas utilissimasque animadversiones, quibus adjici possunt, quæ non minus Sapienter Baluzius adnotavit. Quidquid tamen sit de Gratiani reformatione, difficile admodum est, ne dicam ἀδύνατον ad illud eundem perfectionis fastigium adducere, qua instructa esse deberet ea Canonum Regularumque Ecclesiasticarum generalis Collectio, quæ loco Legis haberi vult.

Epist. 261. Ivo Carnotensis in quadam Epistola loquitur de *Canonum Collectionibus*, quas *postulaverat* Pontius Monasterii Cluniacensis Abbas, eique *per Ernaldum Clericum suum transmiserat*. Juretus, qui notas in has Epistolas dedit, ad allata hujusce epistolæ verba hæc notat: *intelligit decretum cujus prologus habetur inter has epistolas sub numero* 288. Vult igitur Auctor, verbis *Collectiones Canonum* ab Ivone intelligi decretum suum; quod profecto certum non est, præsertim consideranti, Episcopum Carnotensem has Canonum Collectiones non appellare Opus suum, quemadmodum sua vocat ea Opuscula, quorum se dicit Auctorem. Quod certum est, illud est, ea fuisse ab Ernaldo delata. Tempus, quo Epistola hæc videtur conscripta, h. e. an. 1141. optime convenit cum quodam Ernaldo Decano Carnotensi, de quo Gotfredus de Vendôme: *Domnus Ernaldus, quem decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste flocello de capito suo, potius in nostra quam in vestra forte manere debuisset*. Ex quibus liquido apparet, eum a clericatu ad statum Monasticum transiisse, ac deinde ex Monacho factum fuisse Clericum sæcularem. Atque is fortasse ille est, cujus nomen cum qualitate Decani apparet subscriptum cuidam Instrumento, quod ad calcem epistolarum Ivonis positum continet Institutionem Canonicorum S. Joannis in Valle. Hæc Abbatia sita est in pago Carnotensi, & fundata fuit an. 1099. Hoc igitur tempore Ernaldus erat Decanus; quod si hoc quoque tempore factus est Monachus, idque contigit an. 1114. quo citata Ivonis Carnotensis epistola conscripta fuit, dicendum erit, Epistolam Gotfredi de Vendôme pertinere ad finem sæculi XI. aut Ernaldum, relicto Monastico statu, ad Decani dignitatem rediisse.

Quicquid sit, non possum facere, quin hoc loco adducam eam Canonum Collectionem, quæ habetur inter Mss. Bibliothecæ Ecclesiæ Parisiensis posita littera F. numero 4. Is, cujus primum erat, ad finem hujus Exemplaris apposuit citationem Epistolæ Ivonis Carnotensis, & P. Sirmondi Notam ad Epistolam Gotfredi, quæ de Ernaldo loquitur. *Collectiones Ecclesiæ Parisiensis.* Hoc Ecclesiæ Parisiensis exemplari duæ Collectiones continentur: quarum prima comprehendit Præfationem Isidori, Canones Apostolis tributos numero 49. in titulo, & 48. in textu, omnes ex Dionysii Exigui versione, non secus atque Canones Conciliorum, quos continuo cum suis subscriptionibus affert, Canones 19. Nicæni, 24. Ancyrani, 14. Neocæsariensis, 20. Gangrensis, 25. Antiocheni, 58. Laodiceni, 3. Constantinopolitani, 27. Calcedonensis. In hoc concordat cum antiquo Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ a Francisco Pithou edito, a quo nihil differt, quoad Constitutionem, & Symbolum Concilii Calcedonensis, & Constituta sive Decreta Gregorii Papæ Junioris. Sequitur deinde pars Capitularium, h. e. Liber primus in 42. articulos, Liber secundus in 114. Liber Sextus in 79. Liber Septimus in 151. articulos divisus: hunc porro excipit additio 82. articulis comprehensa. Habetur deinde Decretum Gregorii Magni inscriptum de Immunitate Monachorum, ac plura alia ejusdem Pontificis; Epistola Gregorii VII. ad omnes Archiepiscopos &c. & ejusdem Papæ Decreta undecim ad calcem hujusce Collectionis.

Secunda Collectio, quæ in eodem loco servatur, incipit a prologo Ivonis Carnotensis, qui integer affertur. Canones, ex quibus constat, iidem sunt, ac qui in hujus Episcopi decreto citantur, sed pauciores, brevioresque. Isthæc Ecclesiæ Parisiensis Collectio in octo partes dividitur; Prima continet nonnullas Patrum, vel Conciliorum auctoritates de Fide, contra hæreses, circa Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Missam, aliorumque Sacramentorum Sanctitatem.

Pars secunda agit de Ecclesia, ejusque fundatione, de Oblationibus, de Dedicatione, Consecratione, de Sepulturis, Decimis, de Ecclesiasticorum bonorum immunitate, de Scripturis, Conciliis, Moribus, de jejunio, & eleemosyna.

Tertia agit de Papa, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinibus, Clericis, Viduis, Virginibus, & Abbatissis.

Quarta explicat, quid Canones sentiant de primatu, & dignitate Ecclesiæ Romanæ, de Primatibus, Metropolitanis, Episcopis, eorumque facultate, de rebus, & causis clericorum, & de Ecclesiasticis Judiciis.

Quinta agit de Clericis, de rebus Laicorum, de excommunicatione, & absolutione.

Sexta de Nuptiis, & Matrimonio.

Septima affert Canones, qui pertinent ad Matrimonii separationem fornicationis causa, ad officia personarum nuptarum, ad impedimenta, & gradus consanguinitatis.

Octa-

Octava agit de homicidio, & abortu, de incantationibus, & magia, de Dæmonibus, de sortilegiis, de dierum mensiumque observationibus, de juramento, & quolibet mendacii genere.

P. Martene in suo Itin. Litterar. narrat, se in Abbatia S. Vannæ vidisse antiquissimam Canonum Collectionem, quæ Decretales continet post Siricium Papam promulgatas, & plura Concilia.

Oudin in suo supplemento mentionem facit de breviore quodam compendio, quo tempora & anni Conciliorum generalium & particularium indicantur. Ms. hoc extat in Bibliotheca Colbert.

Non est necessarium plura dicere de Collectionibus Canonum, & de Decretalibus, quæ secundum rerum ordinem collocatæ sunt, quæque simul comprehendunt tum Conciliorum antiquorum Canones, qui ab Ecclesiasticis Codicibus aberant, tum Canones posteriorum Conciliorum, qui in hisce Codicibus solummodo reperiebantur. Latius copiosiusque disserui de quibusdam Collectionibus juxta ordinem Chronologicum distributis, siquidem hæ aliquam rationem habent ad Conciliorum Collectiones, earumque aliquæ etiam Conciliorum, vel Collectionum Conciliorum nomine appellantur.

Dicendum sane erat de omnibus hisce Codicibus, tum quod referuntur ad Conciliorum Canones, quorum maximam partem comprehendunt, tum maxime quod differentia, quæ inter eos sæpe deprehenditur, commonstrat, & ostendit, quibus verbis textus originalis tum concipi debeat, cum alicui obnoxius est difficultati; ex. gr. In Codice, quem P. Quesnellius dedit, inscripsitque *Codex Ecclesiæ Romanæ*, videmus, Sextum Canonem Nicæni Concilii, qui est decimus hujus Collectionis, in titulo non præferre verba hæc: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*, sed hæc ipsa constituere partem hujus Canonis, qui inde incipit, præterea multa sunt in hoc Codice immutata, addita, deleta: tum Canones partim prorsus data opera omissi; partim mutilati & distorti. Plura tandem huic Codici insunt, quæ neque in Græca, neque in aliis versionibus occurrunt. Hæc sene non levia rationum momenta eo nos adducunt, ut hunc potius Codicem suspicemur corruptum ac depravatum, quam Græcum Originale, cæterasque alias versiones, nisi contraria his validiora argumenta aliud nobis suadere videantur.

Eodem modo ubi quæstio incidit de duabus lectionibus quænam sit verisimilior, necessario perpendendum est, quid Codices variæque versiones ferant. Sunt enim, qui Canone 19. Concilii Nicæni adhibeant vocabulum, *Rebaptizari*, ut Rufinus; Auctor versionis ex Oriente in Africam missæ an. 419. & fallax versio Isidori Mercatoris; fallax, inquam; nam ejus versio, quæ in antiquo Codice Romano habetur, quæque revera ex usu Isidori fuit, adhibet vocabulum, *Baptizari*, quemadmodum etiam Dionysius Exiguus. Igitur ad controversias prorsus dirimendas satis est aliquando confugere ad Codices. Quod si etiam de vocabulo hoc disputari debeat, licet id inutile videatur, cum res ipsæ conveniant, tamen hac ratione facile esset iis respondere, qui a Concilio Niceno putant confirmari errorem Anabaptistarum, cujusmodi sunt Scultetus & Sandius, qui a Concilio asserunt, adhiberi verbum *ἀναβαπτίζεσθαι Rebaptizari*, ut Paulianistas, qui ad Ecclesiam redeunt, baptizandos præscribat. Sed cognitio Codicum latius patet, aliisque longe pluribus inservit usibus, ut deinceps dicemus. *Tom. 2. Conc. col. 37.*

De Conciliorum Collectione dictuto, tulit res ipsa, ut mihi & de Canonum collectione dicendum esset: quod pariter faciendum aggredior etiam quoad eos, quos Orientis Ecclesiæ summa semper diligentia collegerunt. Quamquam autem Canones Arabici, quos Concilii Nicæni nomine Echellensis dedit, ad hoc Concilium nequaquam pertineant, tamen a proposito meo aberrarem, si eosdem silentio præterirem. Differentia igitur, quæ inter Originale, eorumque versiones deprehenditur, satis ostendit, Turrianum, qui eos everterat, multa de suo contulisse. Sane is non ita Arabicam linguam callebat, ut hujusmodi versionem conficere fideliter posset. Alphonsus Pisanus in hujus Concilii Editione secunda 24. Canones affert, quos partim a Julii Papæ Epistolis, partim ab Arabico Ms. deduxit: Carranza 80. numerat. Ruel vero in Dissertatione ad primum Conciliorum Tomum affirmat, 84. haberi in *antiquo & accurato exemplari, quod habet vir Doctissimus, linguarumque Orientalium peritissimus D. de la Grange, Doctor Sorbonicus*. *Collectio Canonum Arabicorum.* *Edit. 1677. p. 779.*

In Bibliotheca Bodleyana habetur Paraphrasis Arabica Canonum fere omnium ab Ecclesia Græca receptorum, ad unicum græcum exemplar elaborata. Beveregius Anglus, qui caracteribus Arabicis conscriptam cum versione dedit, eam attribuit Presbytero Ægyptio, Josepho appellato, qui erat πρῶτος, seu primus Presbyter Ecclesiæ Alexandrinæ, a Marco Patriarcha Alexandrino ordinatus, totiusque Ægypti an. a mundi Origine 6906. h. e. juxta Beveregium, a Christo Domino 1398. licet nomen hoc non appareat inter Patriarchas Alexandrinos in illa serie, quam dat P. Vanslebe ab an. 1363. usque ad 1602. Collector Anglicus jam allatus ex ista Paraphrasi Canones tantum 4. primorum Conciliorum OEcumenicorum imprimendos curavit. Ex ea facile dignosci potest tum sensus, quo tunc hi Canones accipiebantur, tum numerus Canonum, qui in Ægypto recepti erant, tum etiam ignorantia, quæ passim viguit, effecitque, ut hi 80. Canones pro veris Nicænis acciperentur. Interpres, qui recentissimus erat, pluribus in locis ab idiomate, a vulgatis Gramaticæ regulis, & ab antiquæ linguæ puritate & elegantia recedit: idque in causa est, cur aliquando obscurissimus fiat, magnumque Latino Interpreti negotium creet. *T. 1. pandect. canon. p. 683.*

Abbas Renaudotius, qui singulas hujusce Collectionis partes recenset, eamque vocat Collectionem Arabicam Melchitarum, vel Orthodoxorum, observat, Auctorem versionis adhuc ignorari, Scriptoremque Anglicum non aliam conjecturæ suæ rationem afferre, nisi quod in Ms. fronte hujusmodi nomen invenerit; quod tantummodo probat, Librum ad illum pertinuisse. „ In Libus Ecclesiasticis, inquit ille, nihil hujusmodi Inscriptionibus frequentius est. Quemadmodum enim Presbyteri sunt rerum omnium egeni, & incuriosi, ite folia, quæ in principio & fine Libri candida supererant, replebant nominibus Baptizatorum, Ordinatorum, defunctorum, aliarumque hujusmodi rerum, quæ illius, cujus erat Liber, ætate contigerunt. Præterea de hoc Presbytero Josepho nemo alius mentionem facit; quin etiam, quod caput est, 200. saltem annis ante ejus ordinationem habentur duo Bibliothecæ Regiæ Ms. hujusce versionis Arabicæ ... Parum sane interest, nosse Interpretis nomen; siquidem versiones hæc non ab uno, sed a pluribus elaboratæ, ac sæpe etiam retractatæ videntur. Quemadmodum nulla adhuc visa est Collectio Syriaca lingua conscripta, sed tantum Arabica, id posset facile persuadere, eam nonnisi post Mahumetismum confectam fuisse. „ *De Perpetuitate Fidei tom. 5. l. 9. c. 2. p. 646. & 647.*

Idem Auctor recensendas aggreditur varias eas Collectiones, quæ apud Orientales Christianos conservatæ fuerunt. Incipit autem a versione Syriaca unius ex his Collectionibus, quam omnium antiquissimam atque optimam putat, ejusque veluti compendium dat, extractum ex Ms. Bibliothecæ Magni Hetruriæ Ducis. *Ea potest haberi*, inquit ille, *tanquam universalis Ecclesiæ Orientalis Codex, ad cujus normam reliqui omnes confecti fuerunt*. Partes, quibus constat, sunt Compendium Constitutionum Apostolicarum, excerpta ex antiquis Collectionibus Constitutionum & Canonum, qui S. Clementi tribuuntur, Collectio diversorum Canonum pertinentium ad disciplinam, præsertim Ecclesiæ Orientalis proprie dictæ (alias Orientalis Diœcæsis dicebatur Patriarchis Antiochenis initio subjecta) Historia compendiaria divisionis Apostolorum, eorumque canones numero 82. Canones Conciliorum Nicæni, Ancyrani, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani primi, ejus Symbolum, Relatio ad Imperatorem Theodosium missa, duo Canones Concilii Ephesini, Concilium 87. Episcoporum Africæ sub S. Cypriano, plures ejusdem Epistolæ, aliorumque de Baptismo Hæreticorum & Puerorum, Canones Pœnitentiales, excerpta ex Epistolis S. Ignatii Martyris, *Ibid.* *Versio Canonum Syriaca.*

Epistola Canonica S. Petri Alexandrini, pars quædam responsionum Canonicarum Timothei, Canones Concilii Sardicensis, Epistola S. Athanasii ad Religiosum Amoun, plures D. Basilii, Canones Concilii Calcedonensis, Epistola D. Gregorii Nicæni ad Letojum, tandem plures particulares Episcoporum Syriacorum Constitutiones. Idem Abbas differentiam ostendit, quæ intercedit inter id, quod in versione Arabica continetur, & id, quod habetur ex operibus Græce impressis, docetque, Collectione hac frequentissime uti Melchitas, sive Orthodoxos, Nestorianos & Jacobitas, tum quæ postremi hi addunt, tum quæ ex iis retinet Codex Canonum Ecclesiæ Alexandrinæ.

Observandum hoc loco est, antiquorum Conciliorum Canones fuisse in Syriacam linguam translatos, Syria in Turcarum dominium vix redacta. S. Cypriani perillustris Martyris nomen istis cæteroquin non valde antiquitatis peritis Interpretibus caussa extitit, cur decreto Concilii Carthaginiensis sub hoc Sancto Martyre habiti pro Rebaptizatione Hæreticorum eandem imperrirent auctoritatem, atque aliorum Conciliorum decretis. Non est igitur mirandum, id haberi, nulla adjecta nota aut censura, in antiquissima Canonum Syriaca Collectione, quæ extat in Ms. Mediceo. Inde nimirum evenit, ut insigniores Jacobitæ Doctores condemnarent Baptismum collatum ab iis, quos Orthodoxos vocant, h. e. a Nestorianis, & Calcedonensibus. Severus, cujus nomine in Syrorum Nomocanone similis habetur Constitutio, quam nonnulli sequuti sunt, in eorum numero est, qui hujusmodi baptismum condemnant.

Collectio Arabica Melchitarum. Hic quoque dicam de Collectione Arabica Melchitarum, ita dicta, quod continet Canones Conciliorum, quos Nestoriani & Jacobitæ rejiciunt. Hujus initio habetur brevis quædam Epitome Conciliorum a Melchitis receptorum. Horum perbrevis Historia, quæ subtexitur, comprehendit cujusque Concilii titulos, tum tempus, quo quæque coacta fuerunt, deinde Hæreticos ibidem damnatos, & dogmata confirmata, præterea Catalogum insigniorum hæresum, quarum postrema est hæresis Monothelitarum, mox fidei confessionem ex edicto Justiniani & Concilii sexti decisionibus maximam partem eductam, ac post Canones a Constitutionibus erutos, Canones Apostolorum, Ancyranos, Neocæsarienses, compendiariam Constantini Imperatoris Historiam, Catalogorum Hæresum præcedente ampliorem, Canones Conciliorum Nicæni, Gangrensis, Laodiceni, Constantinopolitani primi, cujusdam Ephesini, Canones 27. Concilii Calcedonensis, perbrevem quinti generalis Historiam, item Sexti, Epistolam, quæ præposita est Canonibus Conciliorum, quæ Græci quintum & Sextum appellant, Canones 102. quot scilicet habentur in Exemplaribus Græcis, Concilium septimum adversus Iconoclastas cum suis Canonibus, Canones 130. deductos ex Concilio, quod Græci *primum & secundum* vocant, & ex eo, quod sub Mennade habitum fuit, & ex diversis Ecclesiasticis Constitutionibus, Canones S. Epiphanii Patriarchæ Constantinopolitani numero 136. Sunt etiam Ms. quæ nonnullas continent regulas disciplinæ. Eorum plerisque finem imponit Collectio valde copiosa Canonum Imperialium; qui Canonum nomine sane appellandi sunt, cum sint Codicis Theodosiani, & Codicis Justinianæi Leges.

Collectio Cophtarum. De Perpetuitate Fidei Tom. 5. p. 652. Quod attinet ad Collectionem Cophtarum, vel Jacobitarum Patriarchatus Alexandrini, idem Auctor, cui Sacrorum rituum Doctrinæque Orientalium cognitio debetur, admonet, ignorari, quanam ea lingua initio statim conscripta fuerit, omnes, quæcumque innotuerunt, Cophtarum Collectiones esse Arabicæ conscriptas, ex iis, quæ locupletior est, eam ad Sæculum XIII. pertinere, eandemque, præter Canones jam allatos, complecti Canones 12. S. Joanni Chrysostomo attributos, Canones S. Hippolyti Episcopi Portuensis; plures Auctoris Anonymi, Collectiones quasdam Canonum Anonymorum, excerpta ex operibus Michaelis Metropolitani Damiatæ, Constitutiones variorum Patriarcharum editas an. 1058. 1078. 1129. 1216. & quædam alia Opuscula, ad ritus, regulasque Juris pertinentia.

Collectio Canonum Ecclesiæ Nestorianæ. Collectiones Canonum Ecclesiæ Nestorianæ ex citationibus, quæ apud Auctores occurrunt, solummodo innotuerunt. Earum Mss. perrara admodum sunt. Echellensis exemplar citat ex Bibliotheca Vaticana, a qua hodie abest. *Ibid. p. 656.* Quod Nestorianorum Collectionem constituit, apparet ex Compendio, quod confecit Abulbircat Collectionis Ebneltaib hujus sectæ, & ex titulis, quos ex variis primorum Conciliorum generalium vel Provincialium antiquis versionibus affert Hebed Jesu in Catalogo Librorum Syriacorum, quos Echellensis vertit. Quo loco breviter animadvertendum est, a Næstorianis Syriace vel Arabice Scribentibus *Synodos* appellari eos Canones, qui in quocumque Episcoporum conventu promulgati fuerunt, item eos, qui conditi sunt post ipsorum Catholicorum electionem, præsentibus & consentientibus Episcopis in hunc finem coactis: quemadmodum in Ecclesia Cophte appellabantur *Synodica*, vel Synodicæ Epistolæ eæ, quibus Patriarchæ Alexandrini de ipsorum ordinatione certiores Patriarchas Jacobitas Antiochenos faciebant.

Præter Canonum Collectiones juxta ordinem temporum distributas, de quibus hactenus dixi, & aliæ plures extiterunt, veluti Collectio Ebneltaib, sive Abulferge multis operibus clari, item alterius Canonistæ Nestoriani, cui nomen Mar Hazariel Metropolitanus Basoræ; item Eliæ, cognomento Catholici, & Eliæ Metropolitani Nisibis; Collectiones Canonum per loca communia sunt Collectio Fergeallæ Echmimi, ex urbe Echmim, vel Ichmim in Thebaide, quæ habetur in Bibliotheca Regia, & est Collectionum omnium antiquissima: *Collectiones Canonum per loca communia.* Collectio Ebnassal, qui dicebatur Abulfedail Ebn el Assal, ad Ecclesiam Ægypti Jacobiticam pertinens; Collectio Gabrielis filii Tarik, qui septuagesimus Patriarcha sedem tenuit ab anno Christi Domini 1139. usque ad an. 1153. Collectio Gregorii Abulfarage *Mofrian*, h. e. Catholici Orientalis, quem Syri Jacobitæ valde suspiciunt. Consuli possunt, quæ Abbas Renaudotius profert in has omnes Collectiones, in eas præsertim, quæ loco Canonum sunt, vel ab Anonymis, vel a cognitis scriptoribus confectæ, quibus omnibus apud Jacobitas auctoritate præstat Dionysius Barsalibi Amidæ Metropolitanus.

Canones ab Abyssinis recepti. Epistola Job Ludolphi ad Joannem Henricum Hottingerum scripta, & in Hottingeri Bibliotheca Orientali relata Ecclesiæ Æthiopicæ nobis ab oculos ponit tum statum, tum curam, qua Canones perpetuo servavit. In ea habemus, Abyssinos recepisse & approbasse tria priora Concilia generalia Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum; rejecisse autem Calcedonense, quod damnaverit Dioscorum, cujus sententiam, ut ipsi putant, non satis fuerat assequutum. Inter eorundem Libros habentur magno volumine plura Concilia hoc ordine; Decreta isthæc, & Canones sanctorum Apostolorum, Canones a S. Clemente S. Petri Discipulo exarati, Synodus Cæsareensis, Concilia Nicænum, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, Sardicense: Acta etiam SS. Patrum Orthodoxorum numero 318. eodem volumine continentur.

P. Echardus Tom. 2. *Scriptorum* sui Ordinis nos docet, apud Joannem Michaelem VVansleb quoddam fuisse de Conciliis Opus, jam in lucem proditurum, quo lingua Ethiopica scriptæ continebantur Constitutiones S. Clementis Papæ, Canones Apostolorum, iidem Canones, quos Abyssini appellant *Abtelis* juxta duas versiones, eorumdem Apostolorum de rebus Ecclesiasticis Canones pariter juxta duas versiones, triginta alii Canones Apostolis tributi, qui tamen adulterini sunt, Epistola adulterina S. Petri ad S. Clementem, Concilii Carthaginensis ad Jubajeni aliorumque Episcoporum quæsita responsio, Concilia Ancyranum, Neocæsariense, Laodicenum, Gangrense, Nicænum cum suis 20. & 84. item suis Canonibus, Canones Antiocheni, Sardicenses, & responsa Canonica Petri Martyris Patriarchæ Alexandrini. VVansleber opus hoc accurate contulit cum Mss. Æthiopicis Vaticani, & Ms. Arabico, quod ex Ægypto secum attulerat, varias lectiones, cæterasque differentias protulit, adjectis etiam quibusdam notis ad certiorem textus explicationem.

Nico-

Nicolinus in sua Conciliorum Collectione ait, Gregorium X. Papam scripsisse epistolam ad Regem Armeniæ, a quo poscit Concilii Nicæni exemplar Armeniorum lingua 300. abhinc annis conscriptum; idem Auctor asserit, prædictam Epistolam Ms. a Cardinali Sirleto possideri.

Lib. 1. Tandem Socrates in Histor. Eccles. de Concilio Nicæno loquutus, ait, quæcumque universo Patrum consensu decisa sunt, ea eorumdem subscriptione munita, & magno studio collecta fuisse: *Lib. 3.* idem addit, eam antiquitus fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut duo Canonum Collectionum genera conficeret, quarum una dogmata, altera disciplinam continebat.

Hactenus recensuimus varias eas Collectiones, quæ apud Orientales, Græcos & Latinos obtinuerunt. Inter Latinos reposuimus Isidorum, post cujus Collectionem alia prodiit brevior, *Corpus Canonum*, inscripta, de qua Nicolaus & Leo IV. Papæ mentionem faciunt. *Ap. Gratianum dist. 19. & 20.* Has duas Collectiones inquit Antonius Augustinus esse veluti fundamenta totius Juris Pontificii Latinorum. Quod attinet ad Græcos, hinc vidimus, Alexim Aristenem, Joannem Zonaram, & Theodorum Balsamonem suas ad antiquos Canones, & sententias Patrum interpretationes attulisse: illinc Joannem Scholasticum, Photium, Matthæum Blastares, Constantinum Harmenopulum, & Arsenium in certos quosdam titulos contulisse Canones antiquos, quibus Leges, & edicta Imperatorum adjunxerunt: ex quo etiam hujusmodi Collectiones dictæ fuerunt *Nomocanones*.

Omnes igitur Collectiones, de quibus dixi, ad duo diversa Capita revocari possunt: quorum unum comprehendit Pontificum Rom. epistolas, tanquam in unum Corpus redactas, sive eæ sint cum decretis Conciliorum conjunctæ, sive ab iisdem sejunctæ: alterum vero complectitur excerpta sive ex Pontificum epistolis, sive ex Canonibus Conciliorum. Hujus secundi generis sunt Collectiones Latinæ Ferrandi Diaconi, Episcopi Cresconii, Græca Joannis Antiocheni, Collectiones Latinorum, quæ plures sunt, Collectio Hispanica ad finem sæculi VII. pertinens, item alia Martini Bracarensis, item quæcumque ab Isidoro Mercatore deductæ sunt. Horum autem Collectorum quam incredibilis numerus? Hujusmodi sunt Anselmus Abbas Laubii in Hannonia, & Benedictus Levita, Isaacus Episcopus Laudomaturni, Chrodegandus Metarum, Aldegarius Camaraci, Florus Herardus Turoni, aliique sæculi noni Scriptores. Qui inter cæteros eminent, sunt Reginon Prumiensis, Anselmus Lucensis, Burchardus Vormiensis, Ivo Charnotensis, qui Burchardi etiam errores exscripsit. In his sunt Cardinalis Deusdedit, & Gregorius, qui dicitur Polycarpus a nomine ipsius Libri.

Ex his Collectoribus plures sunt, qui nondum lucem aspexerunt, veluti Anselmus, Gregorius, Deusdedit, & Collector Anonymus ejus Collectionis, quæ in Sorbonæ Bibliotheca servatur.

CAPUT II.

Quænam sint recentes Conciliorum Collectiones.

ARTICULUS I.

De recentibus Conciliorum omnium tam generalium, quam particularium Collectionibus.

A Primis usque Ecclesiæ temporibus confectæ fuere Canonum Conciliorumque Collectiones, quæ, quemadmodum christianis hominibus ad rite recteque credendum vivendumque; tanquam norma, propositæ sunt, ita magna semper in id cura & diligentia collata est, ut religiose custodirentur, ac, typis mox inventis, pluribusque processu temporis factis earum editionibus, per omnes terras ad omnium utilitatem salutemque disseminarentur. Jam Collectioni Conciliorum principum ad quartum usque sæculum habitorum adjecti sunt Canones Apostolis tributi, & hoc titulo inscripti: *corpus canonum Apostolorum & Conciliorum ab Adriano I. Oblatum Carolo Magno*. Corpus hoc Canonicum studio & opera Joannis Vendelstin editum fuit Magontiæ an. 1525. in fol. Id ipsum, curante Francisco Pithou, rursus Parisiis an. 1609. in 8. hoc titulo *Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ*; & aliquanto post Regiis typis an. 1687. Postrema isthæc editio est omnium pulcherrima & locupletissima, cui varia quædam adjecta sunt ad res Ecclesiasticas pertinentia, quæ Petrus Pithou ex Claudii Pelletier Bibliotheca deducta collegerat.

Canones Apostolorum in aliis etiam habentur Collectionibus; veluti in *Monumentis Orthodoxographis*, quæ Jacobi Grinæi cura excusa sunt Basileæ an. 1569. & in Collectione sententiarum Antonii & Maximi edita cum aliis quibusdam antiquorum scriptis per Conradum Gesnerum an. 1546. Tiguri. Iidem habentur etiam in *Codice Canonum Ecclesiasticorum*, qui sui Collectorem jactat Dionysium cognomento Exiguum, impressusque Parisiis fuit, curante Christophoro Justello, apud Mathurin Dupuis anno 1628. in 8.

Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ sexto Concilio Carthaginiensi conflatus, græce latineque fuit editus cum Notis a Christophoro Justello Parisiis an. 1614. ac deinde a Voello, & Justello filio an. 1661. in Juris Canonici antiqui Bibliotheca.

Dixi superius de Collectione Ferrandi Diaconi Carthaginiensis & S. Fulgentii Discipuli, quæ inscribitur *Fulgentii Ferrandi Carthaginiensis Ecclesiæ Diaconi Breviatio Canonum*, & de Collectione Cresconii, cujus pars prior hunc titulum habet, *Cresconii Breviarium Canonum*, posterior vero hunc, *Concordia Canonum*.

Codex Canonum Ecclesiæ Græcæ primum fuit editus anno 1540. a Joanne du-Tillet. Ex iis, quæ dixi, liquido apparet, Collectionem primam typis impressam, quæ Apostolorum Canones continet, eam esse Conciliorum Collectionem, quam conflavit Merlinus an. 1524.

Jacobus Merlinus Theologiæ Doctor Facultatis Parisiensis, Lemovicensis, primum Parochus, ac deinde an. 1525. Canonicus Pænitentiarius Parisiensis, vehementer graviterque pro suo Religionis Catholicæ studio commotus litibus dissidiisque, quibus jam distorquebatur Ecclesia, nihil ad eadem tollenda utilius se facere posse putavit, quam ut decretorum Conciliorum Collectionem publicaret. *Collectio Jacobi Merlini.* Strenue igitur susceptum opus, feliciterque absolutum in duos Tomos dispescuit, typisque edidit Joannis Cornicularii in ædibus Galioti a Prato Parisiis. Collectionem hanc dedicavit Stephano & Francisco de Poncher, quorum unus Archiepiscopus Senonensis, alter vero Episcopus Parisiensis erat. Hi ad editionem hanc conficiendam Concilia quædam Mss. suppeditaverant: ac, licet etiam non magni facienda esset istorum auctoritas, adhuc tamen hujusce Editionis præstantia appareret ex Isidori Mss. quibus Merlinus usus est, aliisque præstantes viri, veluti P. Sirmondus adversus Petrum Aurelium. *Amirrhet. p. 327.*

Volumine primo continetur Collectio Conciliorum, & Epistolarum decretalium Pontificum ab Isidoro facta. Secundo habentur Acta primi & secundi CP. & Constanciensis & Basileensis Conciliorum. Ad prioris voluminis finem extat distichon *ad ratem galioteam*:

„ *Vel sufflent Zephyri, rapidus vel sæviat Auster,*
„ *Omnigenos fluctus dissecat ista ratis.*

Hoc deinde decem ad Lectorem disticha excipiunt. Placet hæc minuta adnotare, ut quanto fieri potest clarius innotescat hujusmodi Editio, quæ unica est in folio, licet duæ habeantur in librorum editionumque præstantiorum catalogo ad conflandam Bibliothecam Ecclesiasticam, qui Tractatum de studiis Monasticis a P. Mabillonio conscriptum subsequitur. Cæterum in hoc Catalogo, qui auctorem jactat Patrem Delfaut, perperam distingui-

, *Salmon Concil.*

G

guitur, *Collectio Conciliorum expensis Galeoti a Prato in fol.* 1524. &, *Jacobi Merlini Collectio 2. vol. fol.* 1524. de qua peculiaris articulus est; cum revera idem sit Opus, eadem editio.

Altera Collectionis Merlini editio prodiit an. 1530. Coloniæ 2. volum. in 8. Hanc P. Labbæus in suo Apparatu in eo asserit differre a priore; quod hæc ad finem Tomi primi affert Bullam auream Caroli IV. Imperatoris, & Bullam Pii II. qua provocationem ad futurum Concilium prohibet, & tollit.

Tertia editio apud Franciscum Regnault confecta est Parisiis an. 1535. in 8. non autem in folio, ut putat Labbæus in Præfatione Apparatus. In ea habetur pars Epistolæ *dedicatoriæ*, quæ in prima editione extat, dimidio minor. Editio hæc continet Bullam auream Caroli IV. & quicquid in secunda editione ad Regem Romanorum eligendum pertinet. Bulla hæc germanica lingua impressa fuerat per Joannem Jenson ann. 1476. Venetiis.

Aubertus le Mire, qui primæ hujusce Conciliorum Collectionis Auctorem inter sæculi sexti Scriptores refert, eum facit *Victurniensem* e ditione Lemovicensi, vocatque *Archidiaconum Bashoniensem in Anglia Doctorem Theologum*. Litterariorum speciminum Auctor pariter asserit, Jacobum Merlinum fuisse Anglum, & Archidiaconum Ecclesiæ Bashoniensis, quam suamet ipse excellenti vitæ sanctitate, doctrinæque eruditione nobilitaverat. Contra tamen sentit Bayle, qui, nulla superiorum verborum ratione habita, contendit, eum revera Gallum fuisse, e quodam Diœcesis Lemovicensis vico. Id ipsum exhibet ejus epitaphium, in quo habetur *Merlinus .... e vico Sancti Victurnini, Lemovicensis Diœcesis*. Id integrum dat de Launoi. Sed fortasse aliquis in ejus scribendi ratione latet error; siquidem initio articuli Jacobum Merlinum dixerat *gente Lemovicensem, & patria Victurniensem*; quod nequaquam convenit cum verbis *Sancti Victurnini*. Præter Concilia, & Apologiam pro Origene, vult ipsum admovisse manum etiam iis, quæ adjecta sunt Sermonibus D. Antonii Patavini per Badium impressis an. 1520. in quibus agitur de Quadragesimæ Dispensationibus.

Response aux questions d'un Provincial.

Histor. Colleg. Navarr.

I I.

Collectio Crabbe.

Petrus Crabbe ex Ordine S. Francisci Coloniæ an. 1538. edidit secundam Conciliorum Collectionem 2. vol. in fol. apud Petrum Quentel eo titulo, qui, cum multa polliceatur, pauca tamen dat. Tomus primus, qui Concilia continet a S. Petro usque ad Joannem II. Papam celebrata, incipit ab epistola Carolo V. nuncupata, quem Auctor ex eo præsertim laudat, quod Romam perrexerit, ut Paulum III. consuleret, eumque verbis impelleret ad generale Concilium indicendum, quo excitatæ in Ecclesia turbæ dissensionesque compesci tollique posse videbantur. Aliam item epistolam inscribit Præsidi *Parlamenti*, & Consiliariis Consilii Imperialis Machliniam, qua illorum sibi præsidium exposcit. Huic Tomo finem imponit secundum Concilium Toletanum. Secundus Tomus incipit a quinto Constantinopolitano, & desinit in Florentinum. Magna est huic homini habenda gratia, quod *quingentas Bibliothecas* excusserit, ut ait Orthuinus Gratius ad hujus Collectionis finem. Omissis animadversionibus, quæ fieri hoc loco possent, nonnullos tantum afferam versus, qui post epistolam Abrahami Cretensis habentur, & egregie Conciliorum Collectioni conveniunt.

> *Res nova, res vetus est, res Græca est, resque Latina:*
> *Sancta refert, sed non omnia sancta refert.*
> *At dices, quorsum hæc tendunt pugnantia? nempe huc,*
> *Hoc unum, ne unum hoc esse putaris opus.*

Quidam mirantur, Viennense Concilium fuisse ab eo prætermissum. Cochleus scribens ad Joannem Rincum Doctorem, & Juris Professorem Coloniæ in epistola, quæ Concilio Lateranensi præposita est, notat, exemplar Concilii Viennensis non tradidisse Quentello, quod in Mss. eadem, quæ in Clementinis, haberentur. Id ipsum tamen, qui sequuti sunt, afferendum putarunt. Hic quispiam fortasse mirabitur, a Crebbe duos rerum insignium Indices ad secundum tomum fuisse appositos, quorum unus ad Concilium Constantinopolitanum & sequentia usque ad sextum Concilium, alter ad ea pertinet, quæ supersunt. Huic Crabbe ipse respondet, se secundam tabulam conficere necessario debuisse, eo quod initio Collectionem hanc in tria volumina distribuere sibi proposuerat; quod ejus propositum tum demum immutatum fuit, cum postrema secundi Tomi pars jam fuerat typis impressa, & Index primæ partis confectus.

Præter compendium earum rerum, quæ habentur in hac Collectione, a præcedente vero absunt, hic pariter reperias quemdam quasi Elenchum Urbium, Monasteriorum, Collegiorum, seu Tabulariorum, quæ diversa Mss. suppeditarunt. Quod sane nonnisi optimum erat etiam in reliquis Collectionibus omnibus observare.

Præter appendices & supplementa Conciliorum Constantiensis & Basileensis, tum varii generis epistolas & Synodos, habentur in hac editione Acta Concilii Calcedonensis a Rustico Ecclesiæ Rom. Diacono perlecta, *Breviarium* Liberati Diaconi Carthaginiensis, Concilium 4. Lateranense Innocentio III. Papa habitum, Acta Concilii Florentini, interprete Abrahamo Cretense, & Rom. Pontificum Vitæ.

Secunda Crabbe editio in tres Tomos distributa prodiit an. 1551. ut titulus fert. Præter multarum rerum additionem, præsertim Concilii 2. Nicæni, quinti Lateranensis, sex priorum sessionum Concilii Tridentini ad Julii III. usque ætatem, continet Indicem copiosissimum, pluresque animadversiones. Collector admonet ad marginem, ubi textus depravatus est, idemque, aliis inductis lectionibus, menda corrigit. Joannes Quentel, qui hanc editionem primus aggressus fuerat, obiit annum agens vigesimum septimum, ea nondum expleta, ut versus indicant ad finem editionis allati.

> *„ En mihi ter nonus vix dum transiverat annus,*
> *Et procul hinc illam rebar adesse diem.*

Uxorem suam reliquit admodum juvenem cum tribus liberis tenella ætate;

> *„ Conjugis annorum vidua viginti duorum,*
> *„ Pupillis adeo dilecta ex conjuge ternis*
> *„ Arnoldo, Petro, Clara ......*
> *„ Ah mihi vel paucis ultra supereße diebus*
> *„ Non licuiße, ut sic cernere tanti operis*
> *„ Vel semel ante meum colophona quiissem.*

Crabbe obiit paulo post, hoc est, die 30. Augusti 1554. ætatis suæ anno 83. Aubertus le Mire, qui illum inter sæculi sexti Scriptores recenset, vult fato functum an. 1553.

I I I.

Collectio Joverii.

Franciscus Joverius, quem quidam tertium Conciliorum Collectorem faciunt, licet ipse non nisi compendium sibi faciendum proposuerit, origine Valentinus, & Doctor Facultatis Theologicæ Parisiensis erat. Ex peculiari titulo, (*a*) quo suam Collectionem inscripsit, ejus mens & consilium elucet. Collectio hæc ab aliis etiam ordine differt: nam initio statim habentur 8. Concilia generalia Ecclesiæ Græcæ, & ea, quæ in Ecclesia Latina coacta fuere. Octavum generale asserit fuisse coactum an. 870. sub Adriano II. quo, Photio a sede dejecto, S. Ignatius restitueretur. Collector hic, seu potius Abbreviator tria genera Conciliorum particularium distinguit; 1. antiqua. 2. quæ a pluribus Canonistis collecta sunt, h. e. ab Ivone Carnotensi, a Burchardo, a Gratiano. 3. recentia.

(*a*) *Sanctiones Ecclesiasticæ tam Synodicæ quam Pontificiæ in tres classes distinctæ.*

Ex omnibus, quæ recenset, Diœcesanis Conciliis unum tantummodo a præcedentibus Collectionibus

nibus abesse deprehenditur: hoc vero est Coloniense habitum an. 1549. Allatis Nicolai I. decretis, qui sequentium Pontificum decreta desiderent, eos Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium libros adire jubet.

Poterat Joverius e numero Collectorum expungi, multorum Auctorum exemplo, qui in recensendis Conciliorum Collectionibus eundem praetereunt, ut Sirmondus, aliique. Sed & Balutius in suae novae Collectionis praefatione nullum inter Conciliorum Collectores locum Joverio dat. Nos tamen dandum putavimus, auctoritate P. Labbaei, qui in suo Apparatu hujus Abbreviatoris praefationem aliis Collectionum Conciliorum praefationibus annumerat.

Antirrhet. num. 9.

IV.

Collectio Surii.

Licet Teissier in additionibus ad illustrium Virorum elogia tom. 3. Conciliorum Collectionem a Laurentio Surio Carthusiano elaboratam asserat esse secundam Conciliorum editionem, nos tamen eam quarto loco ponendam censemus. Hujus Collectionis titulus splendidissimus est. Est autem dedicata Philippo Hispaniarum Regi, & quatuor voluminibus in fol. impressa Coloniae an. 1567. curante Gervvino Calenio Licentiato in Jure, & Joannis Quentelli Haerede. Primum Volumen pertingit usque ad Concilium Calcedonense. Secundo finem imponit Concilium in Trullo. Tertium a vita & epistolis Gregorii II. incipit, & desinit in Concilium Exoniense. Quartum, quod & ultimum est, comprehendit Concilium Basileense cum notis, & Florentinum, quod octavum generale appellat, *ne id*, ut ait, *temeritati tribueretur*. Licet porro 25. Concilii Tridentini sessiones afferat, in Praefatione tamen profitetur se non omnia afferre hujusce Concilii Acta, eo quod Paulus Manutius nondum ea typis ediderit. Quibus verbis forcasse intelligit epistolas, orationes, sive conciones, quae Lovanii prodierunt an. 1567. Harum plures in secunda habentur Crabbe editione, quae in Surii Collectione praetermissae fuerunt. Caeterum in hoc praecedentibus editionibus praestat, quod isthaec exhibet 8. Constitutionum Apostolicarum Libros, Codicem *encyclium*, sive epistolas synodicas ex variis Provinciis ad Leonem Imperatorem pro Concilii Calcedonensis defensione conscriptas, & quintum generale Concilium.

Surius decem post annis decessit Coloniae die 23. Maii, juxta Molanum in sua Bibliotheca sacra. Hunc Rubertus le Mire inter saeculi sexti Scriptores collocat. Multa praeterea addit in ejus laudem, & in Vitas eorum Sanctorum, de quibus scripsit.

V.

Collectio Veneta.

Quinta Collectio prodiit ex Veneta Typographia Dominici Nicolini, qui praestantium virorum opera usus est, praesertim P. Dominici Bollani, nobilis Veneti, ex Ordine Praedicatorum. P. Echardus putat, PP. Labbaeum & Cossartium aut non vidisse, aut non satis animadvertisse epistolam, qua Nicolinus Sixto V. Collectionem dicat; neque enim hanc editionem Anonymo adscripsissent. Ea in quinque volumina distributa est, & impressa an. 1585. in eo fere tota, ut Papae auctoritatem amplificet. Hic habetur primum Concilium Nicaenum cum ejus Actis & Historia, quae subsequuntur Graecum Vaticanae Bibliot. Ms. interprete Alphonso Pisano. Invenerat hic Cardinalis Sirleti ope in Vaticana Bibliotheca praedictum Graecum exemplar, quo disputationes adversus Arrianos in hoc Concilio habitae continebantur: ex iisque veluti historiae corpus conflavit in 4. Libros distributum. Concilium Ephesinum, quod haec omnium Collectionum prima integrum affert, idem est cum Concilio, quod Cardinalis Sirletus ex Bavaricae Ms. exemplari extraxerat, & cum Vaticanae Bibbliothecae Ms. contulerat, suis pariter adjectis observationibus. Hoc deinceps vertit P. Theodorus Peltan Jesuita; in quo ordinem sequitur Ms. Graeci ordine longe pulcheriorem. Versionem hanc sequitur Nicolinus, idemque cuilibet Tomo Appendices,

Script. Ord. Praed. tom. 2.

Salmon Concil.

capiti argumenta, obscuris verbis veram explicationem adjungit, iis additis Indicibus, qui Graeci Ms. novaeque versionis ordinem, tum praecipua quaeque ac notatu digna commonstrent. In hac editione reperias, quae in praecedentibus desiderantur, vitas & epistolas quorumdam Pontificum, Concilia pro sua quaeque dignitate disposita, Concilia quinque Provincialia Mediolani sub S. Carolo Borromaeo habita, quorum Sanctitas satis pro merito laudari nequit. Haec sane sunt, quae in hac editione adjecta fuisse Possevinus observat.

In Apparat. Sacro tom. 1. p. 377.

VI.

Prima Binii Collectio.

Prima Binii Collectio an. 1606. impressa Paulo V. dedicata est. Ejus titulus ordine ac methodo pollicetur Concilia generalia & Provincialia cum notis. Eam in quatuor dividit Tomos, ut Surius; sed tertius tam multa continet, ut in duas partes diviserit. Illud in ea peculiare est, quod cuique Concilio praemittit compendium, quo Concilii materia, tempus, locus comprehenditur, tum numerus Episcoporum, qui Concilio interfuerunt. Ad finem cujusque Concilii habentur notae, quibus loca textus mendosa corriguntur, explicantur obscura, & quae desunt ex Actis, supplentur. Fatetur se multa debere Baronio; sane ex illo plerasque notas deduxit. Conciliorum Hispanicorum editio opera Garsiae Loaisae Madriti an. 1593. confecta hic habetur, una cum iis, quae Valerius Serenus Lovaniensis ex Hispaniae Conciliis in Toleti aliarumque Ecclesiarum Chartariis an. 1595. collegerat, eo fine, ut Coloniae per Arnoldum Birckman imprimerentur; item quae a Jacobo Hutteto accepit; auxit etiam rem suam iis opibus, quas P. Fronton le Duc, Cardinalis Bellarminus, Antonius Possevinus, & Nicolaus Serarius ipsi suppeditarunt. Hac demum editione confecta, novam quodammodo in faciem sese induere visa est Conciliorum Collectio; non tamen adhuc ad perfectionis fastigium perducta, ut ex sequentibus apparebit.

VII.

Collectio Conciliorum Romae impressa.

Antequam reliquas Binii editiones persequor, referam hic loco suo Collectionem Romae quatuor distinctam voluminibus in fol. & graece latineque impressam an. 1608. Quae Graeca sunt, pleraque adhuc inedita fuerant: continet autem generalia tantum Concilia. Haec vero cum pluribus diversarum Bibliothecarum Mss. collata fuerunt. Cujusque Concilii initio habetur historia ejusdem Latina. Duo postrema volumina prodiere an. 1612. Magnopere laudanda est editorum diligentia, qui fere semper conjecturas suas ad marginem apposuerunt, textu religiose servato, quem ipsi primi obtulerunt. Eadem diligentia & fides & a P. Labbaeo requirebatur. Sed illi pariter in ea ipsa vitia aliquando incurrunt, quae P. Labbaeo quidam Critici objiciunt; siquidem invexerunt in textum lectiones, quas Surius in margine collocarat; plura arbitrio suo loca emendarunt; immutarunt fere ubique ordinem & textum Latinarum priscarum interpretationum, & peculiares expunxerunt observationes eorum, qui earumdem erant Auctores. Cardinali Bellarmino vertitur culpae, quod Concilium Basileense, ejusque Acta ab hac editione, tanquam falsa, expuncta fuerint. Nullum hic sane locum habent, quaecumque supremo Pontifici minus favent. Videntur enim Editores peculiari quodam studio S. Sedis privilegia tueri, graviterque dolere Graecorum a Latinis separationem, quod illi terras sibi usurpent Pontificis ditioni subjectas, ejusque auctoritatem vehementer imminuant. P. Sirmondus est auctor ejus dissertationis, quae Conciliorum generalium editioni praeposita est, ut putat P. Labbaeus in Praefatione suis Conciliis praemissa.

VIII.

Secunda Binii Collectio.

Conciliorum editio secunda, auctore Binio, an. 1618. in lucem edita, affert Graeca & Latina omnia, quae post primam invenire potuit; addito praeterea,

terea, suoque collocat loco, quicquid peculiare Romana Collectio dederat an. 1608. Inscribitur autem: *Concilia generalia & Provincialia Græca & Latina quæ reperiri potuerunt omnia, item Epistolæ Decretales & Roman. Pontificum vitæ, opera & studio R. D. Severini Binii S. Theologiæ Doctoris & Professoris Metropolis Ecclesiæ Coloniensis Canonici & Presbyteri. Coloniæ*. Apud Joannem Gymnicum. Constat quatuor Tomis, ut prima editio: quilibet Tomus duabus partibus: præterea prima Tomi tertii pars in duas sectiones divisa est.

Antiq. Eccles. Britan. Ab Usserio dicitur *Contaminator ille Conciliorum Severinus Binius*. Fausti ad Lucidum epistola verba hæc referebat subscripta, *& subscripserunt Episcopi, qui ordine subsequuntur, qui in ea quoque Synodo adfuerunt*. In prima & secunda Conciliorum editione, auctore Binio, prædiatorum verborum loco, leguntur hæc: *ab Arelatensi Concilio adjecta subscriptio & approbatio hæc est*. Unde Binius novum hunc titulum desumpserit, incertum est. Id autem fuit in causa, cur P. Sirmondus hujus subscriptionis titulum obmiserit in Conciliorum Galliæ Collectione, cujus opera mox impressa. Labbæus vero titulo nonnisi verbum *subscriptiones* adjecit. Præter hæc & illud Usserius Binio objicit, quod emendarit, seu potius pro ingenio corruperit plura antiquorum Conciliorum loca, nulla Mss. habita ratione.

Tom. 2. p. 1. p. 633. edit. 1618.

Tom. 1. Conc. Gall.

Tom. 4. Conc. col. 1044.

IX.

Tertia Binii Collectio. Tertia Binii editio, prodiit an. 1636. non autem 1638. ut Labbæus putat in sui Apparatus præfationibus, eundem cum præcedente titulum fert. Carolus Morellus, paginis hujusce editionis cum antecedentis editionis paginis non convenientibus, in Collectione Parisiensi, ad cujusque paginæ marginem, notam apposuit, quæ illi in Coloniensi respondet, quo facilius inter se se conferri possent. Primus Binii tomus an. 1636. editus continet primam partem tomi primi Coloniæ impressi. Secundus tomus an. 1636. continet secundam partem primi tomi an. 1606. Tertius & quartus tomus an. 1636. respondet duabus partibus secundi tomi an. 1606. Quintus & sextus tomus an. 1636. constat ex iis, quæ continentur duabus sectionibus primæ partis tertii tomi. Secunda pars convenit cum septimo tomo editionis 1606. Tandem quartus tomus an. 1606. in duas partes divisus constituit 8. & 9. tomos an. 1636. Quemadmodum autem Tomi editionum 1606. & 1618. easdem divisiones habent, ita editionem an. 1636. idem est comparasse cum editione an. 1618. ac cum editione an. 1606.

X.

Collectio Conciliorum Regia. Conciliorum editio pulcherrima & splendidissima omnium profecto ea est, quæ Parisiis ex Typographia regia an. 1644. prodiit hoc titulo: *Conciliorum generalium & Provincialium Collectio Regia*. Licet autem id propositum esset, ut Collectio Binii emendata daretur, ex ea tamen nonnisi Barbarismi sublati sunt, erroresque, qui typographi incuria in eandem irrepserant. Adhibita est in Consilium Conciliorum Gallic. Collectio a Sirmondo concinnata, quæ etiam huic adjecta est, cum iisdem erratis, quibus textus scatebat. Incertum est, cur non etiam adjectæ sint Constitutiones omnes Imperatorum ab eodem Sirmondo an. 1631. editæ in sua Codicis Theodosiani Appendice, eaque omnia, quæ ad Concilia referuntur. Quidam putarunt, Acta, quæ Regum potentiam amplificabant, perfectiora haberi in hac editione, quam in reliquis: hæc ipsa tamen fert, ut omnibus notum, Philippum, cognomento Pulchrum, fuisse jure excommunicatum. Ex ea habentur 37. volumina nitore chartæ, & caracterum elegantia quovis pretio digna. Hic etiam leguntur plura Concilia, & Tractatus, qui a præcedentibus Collectionibus aberant, veluti Concilium Florentinum Horatii Justiniani, Romæ paulo ante impressum, Epistola Vigilii Papæ, qua quintum Concilium confirmat, Appendix Concilii Claromontani cum Dissertationibus Petri de Marca, antiqua Angliæ Concilia, supplementum Concilii Lemovicensis extractum ex Ms. Bibliothecæ Thuanæ, & plura alia.

XI.

Collectio PP. Labbei & Cossartii. Sed ecce tibi editionem omnium perfectissimam, etiam P. Harduini editioni, ut arbitror anteferendam, auctoribus Patribus Labbæo & Cossartio. Cum exemplaria editionis regiæ per universum orbem brevi disseminata raro in posterum invenirentur, Philippus Labbæus conficiendam suscepit novam hanc Conciliorum editionem, de qua dicturi sumus. Ad hanc multo ante se comparaverat, eaque jamdiu omnia collegerat, quæ necessaria videbantur. Verum antequam tanto operi manus admoveret, operæ pretium duxit publicum aliorum judicium exquirere, scripto passim emisso, in quo & editionis, quam meditabatur, structuram & *οἰκονομίαν* proposuit, & catalogum dedit Actorum omnium, quæcumque potuit invenire, omnesque promiscue hortatus est, ut, quæ quisque posset, monumenta conferret. Non multo post aggressus est editionem, in quam quinque annorum spatio incubuit. Sed ejus morte interruptum opus anno ineunte 1667. delatum fuit Gabrieli Cossartio, qui volumina nonum & decimum a Labbæo incepta ipse absolvit. Dedit etiam undecimum cum Apparatu, totumque Opus recognovit. Ingeniorum diversitas, quæ in hisce Auctoribus elucebat, non mediocriter contulit & ad ornandam hanc editionem, & ad eos etiam errores inducendos, quibus referta est; erat enim alter ad extremum impiger & laboriosus, alteri diligentia & judicio nemo par. Sed difficile admodum numerando recensere omnia, quibus illa aucta est; illud certum est, licet 17. tantum voluminibus constet, quarta tamen parte editione regia prodiisse auctiorem. Hic ego tantum generatim adnotabo, quibus ea maxime amplificata fuerit.

1. Cum P. Sirmondus secundam Conciliorum Gallicorum editionem meditaretur, ex antiquis Ms. Concilia jam impressa emendarat: collegerat multa alia, quæ nondum lucem aspexerant, ac, licet nimis prolixa in has immensas Collectiones commentaria improbaret, suorum tamen amicorum persuasione, easdem amplissimis notis illustrandas susceperat. Hæc tam multa sibi comparata præsidii, mox, ejus morte interveniente, editionem hanc ita auxerunt, ut haberi possit tanquam secunda Conciliorum Gallicorum editio, quam laudatus vir sibi faciendam proposuerat.

2. Magnus hic habetur numerus Conciliorum aliorum, quæ nondum edita aliunde ipsi obvenerunt. Uno undecimo tomo triginta & amplius continentur, quæ ex Bibliothecis Cardinalis Francisci Barberini, Cardinalis Chigii, Tellier Archiepiscopi Remensis, aliorumque extracta sunt.

3. Post regiam Conciliorum editionem, supplementum Conciliorum Gallicorum, secundum Anglicorum volumen, pluraque alia Concilia illata sunt in Annales Rainaldi, in Spicilegium Lucæ d'Achery, in Petri de Marca, & Balutii opera, & alibi: Concilia hæc omnia, quæ per varia Librorum volumina dispersa erant, in hanc editionem coacta fuere.

4. Integra hic habentur Concilia plura, quæ in aliis editionibus reperiuntur, sed ita detruncata, erroribusque referta, ut vix intelligi possint. Ea magna cura collata sunt cum Mss. quæ in variis Bibliothecis servabantur, suppletis, restituti que locis, qui deficiebant. Ita primum & secundum Concilia Carthaginiensia, quæ manca erant, ex antiquo Vaticanæ Ms. adeo restituta sunt, ut nova quædam Concilia esse videantur. Ita plura, quæ Concilio Constantiensi deerant, addita sunt ex Ms. quod in Cardinalis Barberini Bibliotheca servabatur.

5. Adducitur hic textus Græcus nonnullorum Conciliorum, quæ Latina tantum antea habebantur; ex. gr. ex Cardinalis Barberini Bibliotheca habita est versio græca antiquissima Concilii Lateranensis an. 649. celebrati, quæ nondum fuerat impressa, quæque multa suppeditat, unde plura in textu latino corrupta loca in integrum restituantur.

tur, ita usque ad hæc tempora Concilii Lateranensis sub Innocentio III. habiti nonnisi Latinus textus innotuerat, Græca ejusdem versione prorsus ignorata; hæc tamen extabat, confecta a Græcis, qui huic Concilio interfuerunt, & ex antiquo Bibliothecæ Regiæ Ms. deducta.

6. Hæc editio aucta est etiam vitis plurium Pontificum, plurimisque eorumdem epistolis, tum eorum expositione, quæ acta sunt in multis Conciliis, quorum decreta interierunt; præterea Privilegiis, Concessionibus, pluribusque ejusdem generis Actis, quæ ad Concilia pertinent.

7. Cum in præcedentibus editionibus cæteris generalibus Conciliis magna cura adjectæ sint conciones, quæ in his habitæ sunt, & epistolæ, quæ recitatæ, Concilii Tridentini textus tantummodo adductus est. Ut igitur hæc editio, quoad fieri posset, perfectissima esset, magnus in eam congestus est numerus concionum, Epistolarum, aliorumque insignium scriptorum, quæ ad hoc Concilium spectant, neque ab eo sejungi debent.

8. Binii animadversionibus in Concilia additæ sunt notæ plurium Auctorum, quæ fuerant separatim impressæ, veluti notæ Albaspinæi ad diversa Concilia, Mendozæ ad Concilium Illiberitanum, aliorumque.

9. Præter has notas, PP. Labbæus & Cossartius alias etiam protulerunt ad diversa loca obscura, & explicatione indigentia; veluti cum Cossartius ostendit, Concilium, quod dicitur Africanum, non esse nisi partem sexti Concilii Carthaginiensis, contra omnes antiquos recentesque Collectores, qui illud tanquam integrum Concilium huc usque dederunt. Qui cognoscere vult additiones omnes huic editioni factas, consulat Synopsim in cujusque voluminis fronte collocatam; quod additum est de novo, nota signatur.

Tandem integrum volumen est tabularum chronologicarum, geographicarum, historicarum, aliarumque, quæ commodissimæ iis sunt, qui in studium Conciliorum incumbunt.

P. Commirius tanti hanc Collectionem fecit, ut ejus Auctorum elogia sibi facienda putaverit.

Ecce tibi elogium Labbæi suorum carminum pag. 268. edition. 1714. in 12.

„ *Labbeus hic situs est: vitam mortemque requiris?*
„ *Vita libros illi scribere, morsque fuit.*
„ *O nimium felix! qui Patrum antiqua retractans*
„ *Concilia, accessit Conciliis superum.*

Elogium vero Cossartii ita se habet p. 221.

„ *Hic & Concilia & cœtus spectare piorum*
„ *Meo adsidentem Labbeo demum licet;*
„ *Et conjuratos Christum defendere patres, &c.*

X I I.

Collectio Baluzii. Baluzius paulo post novam Collectionem, aut saltem primum ejusdem volumen typis commisit. Ut errores tolleret, qui in præcedentes Collectiones irrepserant, laudatus vir novam hanc aggressus est, cujus gratia magnum numerum collegit operum, quæ antea prorsus ignorabantur, item alia, quæ adhuc inedita delitescebant, præterea multa, quæ in hujusmodi Collectiones nondum fuerunt illata.

Colloquium Carthaginiense Catholicos inter, & Donatistas habitum insignis est hujus Collectionis pars; nam quod habemus in aliis Conciliorum Collectionibus, compendium est valde exiguum eorum, quæ coram Marcellino Notario conscripta fuerunt. Le Masson & Pithou cum felici quadam perquisitione unicum reperissent Manuscriptum, quo Colloquium continebatur, suam quisque ejusdem editionem dederunt, scatentem tamen erroribus; atque ex hoc exemplari cum Optato Milevitano collato inlatum fuerat in Concilia. Baluzius errores hosce omnes hic corrigendos suscepit, innixus non solum hoc eodem Ms. quod in Bibliotheca Colberti servatur, sed etiam judicio præstantium virorum, antiquorum Scriptorum auctoritate, ac suis demum ipsismet conjecturis. His præsidiis, quæ deerant ex tertia die, supplet ex fragmento *Breviculi* S. Augustini, unde erant, ut observat le Masson, deducenda. Præterea, ubi adjecit Episcoporum utriusque partis nomina, primo die recitata, una cum sermonibus, quos ante, & post colloquium S. Augustinus habuit, pro coronide adducit nonnullas Imperatoris Honorii Constitutiones, quas ad hoc colloquium pertinere putavit, tanquam paulo post promulgatas. Notas etiam addit, quibus rationem de suis correctionibus reddit, involuta explicat, & alia illustrat, quæ Ecclesiam Africanam afficiunt.

Non minoris pretii est ejusdem in *Codicem encyclium* opus, de quo vix ulla apparet in Conciliorum Collectionibus mentio, ubi semel in editione Romana promiscue confusum est cum aliis, quæ tertiam Concilii Calcedonensis partem constituunt. Surius, qui ejus versionem latinam ab Epiphanio Scholastico confectam primus publicavit, neque auctorem, neque verum ejus titulum declaravit: multo eam deformiorem effecerunt Romani, addendo multa, multa amputando. Atque hac turpi facie se ostendit in editionibus, quæ Romanam consequutæ sunt. Corrigit Baluzius errores hosce omnes, quos detexit ope duorum antiquorum Mss. quorum unum ad Ecclesiam Bellovacensem, alterum ad Corbiense Monasterium pertinet. Inter alia multa sciti digna habentur hic mandata, quæ S. Cyrillus Alexandrinus dat Possidonio Diacono Cælestinum Papam adituro, item quæ Cælestinus dat Legatis suis ad primum Ephesinum Concilium accessuris, præterea Actionem 6. hujus Concilii ex Marii Mercatoris versione. Quinti Concilii Actis nonnulla adjicit, quæ mire prosunt ad evolvendas difficultates in Concilio sexto commotas. Inter cætera decretum exhibet Vigilii Papæ ad trium capituum damnationem pertinens, diu conquisitum, ac demum in Bibliothecæ Colberti Ms. repertum. Evagrius, aliique post ipsum nos sane docuerant, prædictum Papam, licet Concilio quinto interesse noluerit, per suas tamen litteras eidem assensum fuisse, & Episcoporum illic adstantium doctrinam confirmasse eo scripto, quod Imperatori Justiniano communicavit. Credidit autem Petrus de Marca scriptum hoc nihil aliud esse, quam Vigilii ad Eutychium Epistolam. Idem sentit de Valois, asseritque hoc intelligendum esse de illa Epistola, sive de Decreto a Baronio publicato. Sed epistola, de qua loquitur de Marca, alia est a scripto, quo antiqui isti Scriptores contendunt, Vigilium Papam tria Capita condemnasse: quin etiam probabile est, id fuisse posterius eo, quod hic Baluzius affert. Cæterum illud certum est, non approbasse condemnationem hanc eo decreto, quod attulit Baronius; cum aperte illi contrarium sit. Hinc Baronius ipse mox novit, Papam prædictum revocasse, quæ eo decreto continebantur, &, mutata opinione, alio tandem decreto Concilii quinti decisiones comprobasse.

Facta quædam historica vel firmat identidem, vel refellit, veluti inter cætera factum Pulcheriæ Imperatricis, quam nonnulli volunt Concilio Calcedonensi interfuisse, quod falsum esse Baluzius demonstrat: contra vero ratum certumque habet Domni factum, &, repugnantibus in Historia Ecclesiastica præstantibus viris, ostendit, Julium Puteolorum Episcopum reapse Concilio Ephesino interfuisse, ut Leonis I. Papæ Legatum, una cum Hilario Romanæ Ecclesiæ Archidiacono; Renatum vero ejusdem Ecclesiæ præsbyterum, qui una cum ipsis ad Concilium missus fuerat, non eidem tamen interfuisse, cum e vita in itinere decessisset.

X I I I.

P. Harduinus paulo post locum inter Conciliorum Collectores obtinuit. Collectionem suam, quæ prodiit an. 1715. *maximam* appellat. *Collectio Harduini.* Volumen ejus sextum duas habet partes. Omnia ex Regia Typographia; sed gravissimis de causis omnia suppressa sunt. Quemadmodum igitur hujus Collectionis exemplaria pauci possident, ita initio statim supervacaneum videretur pluribus agere de hac Collectione, nisi esset illorum curiositati satisfaciendum, qui eam neque videre, neque perpendere

dere

dere potuerunt. Illud igitur hujus cæteroquin præstantes viri propositum fuit, ut Decretalium auctoritatem amplificaret. Licet enim ad marginem notaverit, eas a Sapientibus viris suppositititias haberi, in suo tamen Indice multa disseminat, unice deducta ex Decretalibus, aliisque ejusdem generis scriptis, quæ tanquam nobilissima ac legitima summis laudibus effert. Ex his principia quædam deducit, quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertati magnopere officiunt, omnia in rerum tabula eminenter indicata. Credi vix potest, Clerum Gallicanum ann. 1685. coactum id negotii Harduino injunxisse. Cæterum putat, Collectionem suam esse *Prioribus longe auctiorem, & emendatiorem, multo locupletiorem*. Verum est, quod ipse ait, ea, quæ ex Isidori, & Dionysii Exigui Collectione adducit, se cum MSS. Collegii Parisiensis Jesuitarum contulisse: profecto Editiones ad hæc MSS. elaboratæ non possunt esse nisi perfectissimæ, si ab exacto prudentique Editore proficiscantur, hic vero multa recidit, quæ Labbæus in suam Collectionem contulerat, multa item addit.

Bibliotheque des Histor. de France. P. Le Long affirmat, ab Harduino nullum fuisse prætermissum ex Actis Conciliorum Gallicorum a PP. Labbæo & Pommeraye editorum, atque hic viginti tria contineri Gallica Concilia tum primum typis impressa.

Hæc ejus verba sunt. „ P. Harduinus, qui hanc „ editionem conficiendam suscepit, nullum prætermisit ex Actis Conciliorum Gallicorum a „ PP. Labbæo & Pomeraye editorum; sed neque „ memoranda duxit ea Concilia, quorum Acta „ non habebantur. Prætermisit pariter, exemplo „ Sirmondi & Labbæi, Synodum Parisiensem an. „ 824. circa Imagines celebratam. Viginti tria habentur Concilia Gallica nunc primum hic impressa; Arelatense ann. 1334. Attiniacense an. „ 812. Augustodunense ann. 1094. falsum Concilium Bellovacense, non inscripto anno; Burdigalense ann. 1076. Clipiacense ann. 533. aliud „ anno 536. aliud anno 636. Compendiense anno 823. Forojuliense ann. 791. Gallicanum, „ cujus locus incertus, ann. 451. alia quatuor „ ann. 1124. Lugdunense ann. 517. Parisiense an. „ 1188. aliud ann. 1396. Remense ann. 1408. „ aliud ann. 1456. Rhotomagense ann. 878. Senonense ann. 913. aliud ann. 1216. Augustomagense ann. 1235. „.

Ego vero dixerim, Patrem le Long ipsum per se nullum factorum horum ad trutinam revocasse. Nam quod eodem loco dicit, Harduinum ne nominasse quidem Concilia, quorum Acta non extabant, id omnino verum non est; siquidem illa in Operis corpore prætermissa contulit in Indicem in cujusque voluminis fronte collocatum. Series pariter quorumdam Gallicorum Conciliorum, quorum nulla Acta supersunt, habetur in tomo ultimo post Indicem generalem. Illud etiam animadverti, omitti ab eo plura Gallicana Concilia, de quibus Labbæus mentionem fecit, fatente ipso Patre le Long. Ejusmodi est Concilium Viennense ann. circiter 474. habitum, quod habetur tom. 4. Labbæi col. 1040. & ab ipso le Long memoratur in alphabetica Conciliorum tabula Biblioth. Histor. pag. 112. *Concilia Gallicana ab Harduino prætermissa.* Omittit pariter conventum Attiniacensem ann. 834. habitum tempore Ludovici Pii, qui extat in Labbæo tom. 7. col. 1694. & a le Long affertur ad ann. 835. Non habetur nisi in Indice tom. 4. Notitia Conventus Chabillonensis ann. 838. quam Labbæus exhibet tom. 7. col. 1770. & in Indice tomi 6. Concilium in *Neustria* ann. 877. quod in Labbæo extat tom. 9. col. 306. Omittit Concilium Pictaviense ann. 1076. quod habetur in Labbæo tom. 10. col. 346. ab ipso P. Le Long memoratum loco citato. Omittit Concilium Lugdunense ann. 1297. quod habetur in P. Cossartio tom. 11. col. 1425. Verum quidem est Concilium hoc a Le Long *fictitium* dici; meminit tamen ejusdem, ideoque neque Harduinus, memorato præsertim falso Concilio Bellovacensi, debebat hoc silentio præterire. Concilium vero Parisiense ann. 1404. quod a Le Long memoratum extat in Labbæo tom. 11. col. 2517. habetur in Harduino tom. 7. col. 1927. licet idem ejus tabula non indicet.

Qui hanc ipsam Collectionem perpenderit, facile perspiciet, nonnulla eorum Conciliorum, quæ Le Long putat in Harduino primum impressa, extitisse jam vel in Binio, vel in Labbæo, eumdemque Le Long Harduino tribuisse nova quædam Concilia, quæ ne noverat quidem recens iste Collector. *Concilia Gallicana, quæ P. Le Long falso credidit hic primum impressa.* In hoc numero habenda sunt Concilia Arelatense ann. 1234. Clipiacense an. 533. aliud ann. 536. Dixi Arelatense ann. 1334. nullum enim eo anno Harduinus dederat. Arelatense vero an. 1234. habetur in Labbæo tom. 11. Eodem modo Concilium Clipiacense, quod Harduinus in Indice alphabetico collocat ad ann. 533. habetur in Labbæo tom. 5. col. 1854. in quo error est in numeris 533. etiam juxta Harduinum, qui alio loco asserit esse collocandum statim ante 4. Concilium Toletanum habitum ann. 633. Hinc vel P. Le Long posuit 533. pro 628. ad Concilium, quod Harduinus in sua tabula ad tom. 3. Collectionis dixit *Clipiacense, cujus meminit Aimonius l. 5. Histor. Franc. cap. 15. ann. 44. regni Clotarii, Clipiaci vulgo Clichy*: & eo casu Concilium hoc, & quod de hoc Concilio dicit Aimonius, habetur impressum in de La Lande pag. 63. & tom. 5. P. Labbæi in Appendice col. 1854. ut ipse Le Long in sua Bibliotheca fatetur: vel posuit 533. pro 633. & hoc casu facile est ostendere tom. 5. Labbæi col. 1854. & 1855. id, quod Harduinus eo anno 63. pollicetur his verbis: *Clipiacense de quo pauca in Schedis Sirmondi quæ in fine exhibebuntur inter addenda.* Denique quod Le Long pronunciat tanquam Concilium in hac Collectione primum impressum, est ea Synodus, de qua Harduinus ita loquitur in tabula, *anno 636. Clipiacensis Synodus Calendis Maii, cujus mentio est in vita S. Agil. Abbatis sæcul. 2. Bened. pag.* 323. ex quibus apparet, P. Mabillonium, qui hujus sancti vitam ann. 1669. publicavit, plura ex hoc Concilio dedisse, quam P. Harduinum, a quo solummodo indicatur.

Concilium Attiniacense ann. 822. jam extabat in tom. 7. Labbæi, col. 1529. Augustodunense ann. 1094. jam erat impressum, teste ipso Le Long, tom. 10. Labbæi, col. 499. Lugdunense ann. 517. tom. 4. Labbæi, col. 1584. Forojuliense ann. 791. in Labbæo col. 991. tom. 7. & in Binio, fatente ipso Harduino, tom. 4. Concilior. col. 847. Gallicum, cujus est incertus locus, ann. 451. tom. 3. Labbæi, col. 1329. si tamen Harduinus intelligit epistolam Synodicam Episcoporum Galliæ ad Sanctum Leonem Papam, ut probabile est; siquidem in Indice Conciliorum alphabetico, remittit ad pag. 1775. tomi primi, ubi ea extat; at vero si agitur de Concilio, in quo electi sunt S. Germanus, & S. Lupus Trecensis in Angliam mittendi, quodque Labbæus refert tom. 3. col. 1464. hoc vero in Harduino omnino non reperitur.

Sed non est P. Harduino ea gloria deneganda, qua in suam Collectionem inseruit quædam ad Concilia Gallicana pertinentia, vel etiam nonnulla Concilia, quæ in præcedentes vel nondum, vel non satis accurate collata fuerant. *Concilia, aliaque, quæ Ecclesiam Gallicanam respiciunt, hic primum vel impressa, vel inserta.* Exhibet hic secundo tomo Concilium Lugdunense an. 517. collatum cum MS. antiquissimo, quod Parisiis in Jesuitarum Collegio servatur. *Col. 1053.* Constitutiones Theodorici regis, quæ corruptissimæ erant, dat ad MS. ejusdem Bibliothecæ emendatas; hæ habentur tom. 4. Labbæi, col. 1328. *Col. 971.* Epistola Viventioli Episcopi Lugdunensis ad hujus Provinciæ Episcopos, qua eos ad Concilium Epaunense invitat, educta fuit ex MS. quod Tolosæ in Augustinianorum Bibliotheca servatur. *Col. 1046.*

Tomo sexto, part. 1. dat Concilii Rhotomagensis Canones sexdecim, quos deduxit ex Conciliorum Rhotomagensium Collectione a P. Fr. Pommeraye data. *Col. 205.* Item Concilium Cæsarodunense an. 925. quod P. Martene typis commiserat, ut fatetur Harduinus, col. 563. *Col. 563.* Præterea Concilium Viennense in Gallia ann. 1060. ex MS. S. Aubini Andegavensis; hujus Canones nequaquam differunt a Concilii Cæsarodunensis canonibus, quos Harduinus dedit pag. 1071. *Col. 1073.* & ante ipsum P. d'Achery sub Concilii Cæsarodunensis nomine, initio Operum Lanfranchi inter notas, quas edidit in ejus vitam, ut Harduinus ipse admonet. Postremo Concilium Rhotomagense sub Maurilio ann. 1063. ex Pommeraye Collectione deductum. *Col. 1141.*

To-

Col. 1303. Tomi sexti part. secunda habetur Collectio Ca-
nonum Concilii Remensis ann. 1148. post P. Mar-
Col. 1600. tene editionem auctior. Novem alii Canones Con-
cilii Cæsarodunensis ann. 1163. ex eodem loco de-
Col. 1905. sumpti. Concilium Rhotomagense sub VValtero
ex Pommeraye Collectione extractum.
Col. 127. Tomo septimo habetur Concilium Rhotoma-
gense ann. 1223. ex prima Martene Collectione
Col. 185. deductum p. 238. Aliud Rhotomagense an. 1231.
Col. 199. ex eodem loco desumptum pag. 241. Remense an.
Col. 269. 1231. ex P. Sirmondi exemplo. Additio ad Con-
cilium Remense ann. 1235. cum Concilio Provin-
ciali Augustonensi ann. 1235. ex autographo Sir-
mondi exemplo. Statuta Synodi Claromontanæ
Col. 587. ann. 1268. ex MS. Collegii Jesuitarum. Visitatio
Col. 963. Provinciæ Burdigalensis ab Archiepiscopo Bituri-
Col. 1453. censi facta 1284. ex allato Jesuitarum MS. Inqui-
sitoris pro Provincia Tolosana decretum contra
Libros Talmudi ann. 1319. ex Sirmondi autogra-
pho. Concilium Tolosanum ann. 1327. ex MS.
Col. 1535. Guillelmi Bardin. Correctiones Concilii Rhoto-
Col. 1603. magensis ann. 1335. ex MS. de Bigot. Præscri-
Col. 1675. ptum Militis Remensis in facto Concilii Novio-
Col. 1676. dunensis ann. 1344. ex Sirmondi autographo. Præ-
scriptum Archiepiscopi Remensis, ex Sirmondi au-
tographo.

Tomo nono habetur Concilium Camaracense
Col. 2153. ann. 1586. huc collatum post editionem de Gand
ann. 1629.

A P. Harduino expectandi non sunt Canones a Ferrando & Cresconio collecti, Canones Nomocanonis Joannis Antiocheni, Burchardi, Ivonis, Anselmi, Auctoris Pannormiæ, quem putat esse Hugonem Chabillonensem, Gratiani, aliorumque; neque Synodi in Prædestinato allatæ, quas Sirmondus Primasio tribuit; novus enim Collector non est pollicitus, nisi Acta Conciliorum, Epistolas Decretales, & Rom. Pontificum Constitutiones.

Indicis sui Geographi ope jactat dilui posse difficultates de nominibus motas Urbium Episcopalium, de quibus in Conciliis suis. Addit etiam, se indicasse situm Episcopatuum Africæ, quorum nomina extant in subscriptionibus & in Actis Colloquii Carthaginiensis, & in Concilio Africano ann. 484. celebrato; præterea, ab exemplari Bibliothecæ Colberti, quod unicum toto orbe est, desumpsisse quidquid Colloquium Carthaginiense illustrare potest, prædictum Africanum Concilium cum exemplaribus Lauduni, & Hallerii contulisse; demum exhibere legitimas Episcoporum subscriptiones, prout eæ in autographis exemplis habentur. Enimvero, si eo fine ad Indicem geographicum confugiendum est, ut ejus ductu regionum situs minimo negotio cognoscatur, satius erat ordinem alphabeticum sequi, quam Episcopatus suæ quemque Metropoli, & Metropolim Patriarchatui subjicere. Nibilo tamen minus exhiberi possent omnes Christiani Orbis diversorumque regnorum Episcopatus duobus hisce dissimilibus modis collocati. Plinii auctoritatem plurimi facere videtur Harduinus: citat etiam quasdam Notitias tum Imperii, tum Ecclesiæ.

Quæ primum Rursus primo tomo, quæ nova affert, sunt Con-
in Collectione cilium Alexandrinum Græce & Latine, seu po-
Harduini ap- tius sermo ab Alexandro illius Urbis Episcopo ad
parent. Presbyteros suos & Mareotidis de Arrii depositio-
ne habitus, ex MS. regis num. 2417. Latina Ca-
nonum Nicænorum versio diversa a versione Isi-
dori, Dionysii Exigui, & Belleforest, etiam a ver-
Col. 309.310. sione, ut inquit, Concilii sexti Carthaginiensis,
quam Pithou secundam posuit ex quatuor Conci-
Col. 429. lii Nicæni editionibus, & Harduinus affert col.
Col. 1271. 1245. tom. 1. Præfatio Dionysii Exigui ad Procli
epistolam, quam vertit; Latina versio 15. Cano-
Col. 283. num secundi Concilii Constantinopolitani adver-
tom. 3. sus Origenem; suggestio Episcoporum Istriæ ad Im-
Col. 524. peratorem Mauritium ad tria capita pertinens;
Col. 1018. Fragmentum ex MS. deductum, & additum Præ-
Col. 1479. fationi Concilii II. Toletani; antiqua versio Con-
Col. 2059. cilii sexti in MS. Jesuitarum reperta; Synodus
Antiochena de Imaginibus ann. circiter 781. falsa
Col. 213. Synodus Photii ann. 849. Græce & Latine ex Va-
tom. 6. ticanæ MS. data; Epistola Joannis XXII. in facto
Col. 1421. Episcopi Chabillonensis ann. 1318. Epistola Boni-
tom. 7.
facii IX. Papæ pro Ecclesia Parisiensi; Epistola Col. 1911.
Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Gre- Col. 1962.
gorium IX. Græce; damnatio propositionum Petri
Osmani ann. 1479. a Sixto IV. Papa emanata; Col. 1498.
duæ Gerundæ Synodi, altera an. 1068. altera 1078. tom. 9.
Latina versio Synodi factum Palamas afficientis: Col. 1671.
1673. tom. 11.
hæc præcipua sunt, quæ nova nobis exhibuit Har- Col. 283.
duinus.

In tabula, quæ quoque comprehensa volumine exhibet, adducit pariter plura alia Concilia, de quibus in præcedentibus Collectionibus nulla erat facta mentio; maluit ea in hunc Indicem, quam in Librum ipsum conferre; sive quod fictitia putat esse hæc Concilia, aut eorum Canones, aut Acta, veluti Antiochenum ann. 56. sive quod ex his Conciliis nihil nobis supersit; veluti ex Romano ann. 192. sub Victore Papa; sive quod Acta sint dubia, veluti Cæsareensia; sive quod ab Historicis Ecclesiasticis antiquis recentibusque afferantur, veluti Lugdunense, Ponticum, Ephesinum, eoque casu ad hos Auctores remittit; sive quod ea proprie ad Concilia non pertineant, veluti Epistolæ Canonicæ Athanasii Alexandrini, quæ inter ejusdem Opera habentur; Epistolæ Basilii Magni, Homilia Procli Ciziceni, Epistola S. Cyrilli ad Monachos, cæque, quæ Synodicæ nequaquam sunt; sive quod relata fuerint in aliis hujus Collectionis locis inter Conciliorum Acta, veluti Concilium Antiochenum ann. 445. Hierapolitanum, aliaque; sive quod in Isidori Collectione non inveniantur; sive quod paucissima de iis dici possint, veluti de Maguntino ann. 852. & de Bonnæ Concilio ann. 942. sive quod parvi ea momenti sint, veluti Concilium Tarraconense ann. 1229.

Quædam tamen sunt, quæ, licet Concilia non afficiant, nihilo minus collocat inter *addenda*, veluti epistola S. Germani Episcopi Parisiensis ad Reginam Brunehaut, Epistola regis Dagoberti ad Sulpicium Bituricensem: item Concilium Clipiacense ann. 623. Quædam alia minoribus characteribus habentur post Concilia, veluti privilegium Monasterii Corbiensis. Ad Collectionis finem post omnes Indices exhibet notas P. Jacobi Sirmondi, quæ in Collectione non fuerant loco suo collocatæ, tum quæ initio fuerunt editæ, tum quæ mox primis ampliores adjectæ sunt; tandem animadversiones post ejus mortem datas subjungit. Sequuntur præterea nonnulla, de quibus dictum est in his notis, veluti Caroli Calvi edictum pro Ecclesia Magni, Consilium ab Hincmaro Archiepiscopo datum, cum de pœnitentia Pipini junioris ageretur, & fragmentum de usurpata a Nomenoy Britanniæ Duce dominatione.

Harduinus in præfatione memorat, quæ ex va- *Concilia,*
riis Collectionibus sumpsit, ut in suam conferret. *aliaque, quæ*
Ex nova Balutii Collectione desumpsit duodecim *Harduinus ex*
Anathematismos Concilii Ancyrani: Confessionem *Operibus Ba-*
Fidei ab Acacio præstitam, & in Synodo Seleu- *lutii desum-*
ciana recitatam: Formulam Fidei Concilii Con- *psit.*
stantinopolitani ab Acacianis habiti, Græce & Latine: Instructionem S. Cyrilli Græce & Latine: Epistolam Nestorii ad Joannem Antiochenum: ejusdem Sermonem, ex cap. 3. Synodici Montis Cassini; Epistolam Joannis Antiocheni ad Firmum, ex cap. 4. Scriptum S. Cyrillo missum, ex cap. 7. Scriptum Candidiani, ex cap. 9. Scriptum ejusdem, ex capp. 10. & 11. Orationem Joannis Antiocheni in Synodo, & Epistolam Synodi Orientalium, ex capp. 12. & 13. Edictum Imperatorum Theodosii & Valentiniani ad Concilium Ephesinum, ex cap. 29. Epistolam Nestorii ad Scholasticum, ex cap. 15. Epistolam Joannis Antiocheni ad Imperatorem Theodosium, ex cap. 17. Epistolam Synodi Orientalium ad Acacium, ex cap. 19. Epistolam Maximini ad Alexandrum, ex cap. 112. Epistolam Helladii ad eumdem, ex cap. 114. Epistolam Concilii generalis cum septem Canonibus Græce, ex cap. 220. Epistolam Præfecti Prætoriani ad Nestorium, & Nestorii responsum, ex capp. 24. & 25. Epistolam Joannis Antiocheni ad eundem Præfectum, ex c. 38. Synodici: Epistolam ejusdem ad Imperatorem Theodosium, ex cap. 39. Ex eadem Balutii Collectione Epistolam Synodicam Episcoporum Ciliciæ ad Imperatorem Theo-

do-

dosium, Instructionem Cœlestini Papæ, duos Canones Concilii Rhegiani, duo Fragmenta Epistolæ dogmaticæ Anastasii Papæ, plures ad quintum Concilium additiones, Constitutionem Vigilii Papæ.

Concilium Ausanum ann. 1068. & Ilerdense ann. 1246. aliaque multa desumpsit ex aliis ejusdem Collectoris Operibus, veluti ex Appendice Operis impressi hoc nomine *Marca Hispanica*, & ex Libro *de Concordia Sacerdotii & Imperii*.

Quæ Harduinus ab aliis Auctoribus sumpsit. Ex Beveregio excerpsit Paraphrasim Arabicam Canonum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Calcedonensis Conciliorum.

Et P. Sirmondo Præscriptum Militis Remensis in Concilio Noviodunensi ann. 1344. & Mandatum Archiepiscopi Remensis.

Ex P. Sirmondo, & ex Interpretatione P. Garnerii, Instructionem S. Cyrilli, Concilium Remense ann. 1235. Additionem ad Remense ann. 1235. Decretum Inquisitoris contra Talmud anno 1319.

Ex P. Garnerio Epistolam Dalmatii ad Synodum Ephesinam.

Ex Leunclavio, & Lambecio subscriptiones Concilii Constantinopolitani ann. 460.

Ex Lambecio quindecim Canones Concilii II. Constantinopolitani Græce, Concilium Viennense, Decreta Hungariæ, falsum Concilium Constantinopolitanum ann. 1347.

Ex D. Isidoro Canonem secundum Concilii 3. Toletani.

Ex Cotelerio Concilium Iconis, quod est in Tomo 2. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, & Græcum Epistolæ Agathonis Fragmentum.

Ex Collectione Cardinalis d'Aguirre Acta Concilii Ovetani, Concilium Palentinum ann. 1129. Compendium Concilii Brigantini ann. 1114. & Ovetani ann. 1115. Correctiones Concilii Palentini ann. 1322. Concilium Salamanticæ an. 1225. Constitutiones an. 1225. Concilium Tarraconense ann. 1312.

Ex P. Pommeraye plures Synodos Rhotomagenses, præsertim habitam ann. 1063. item aliam ann. 1335. cum correctionibus, & Concilium de VVaultier.

Ex Spicilegio Lucæ d'Achery Synodum Viennensem ann. 907. Subscriptiones Concilii Lateranensis ann. 1179. emendatas.

Ex P. Martene Synodum Cæsarodunensem an. 925. Canones Concilii Remensis ann. 1148. novem Canones Concilii Cæsarodunensis ann. 1163. Concilium Rhotomagense ann. 1223. aliud 1231.

Tom. 1. part. 2. p. 139. Ex Galani Libro, qui inscribitur Conciliatio Ecclesiæ Armeniæ, Concilium *Sciracbavense* an. 862. in Indice Harduini indicatum.

Sæc. 6. Bened. part. 2. p. 818. Ex Actis Sanctorum Benedictinorum Concilium Tudertinum in Umbria an. 1001. Concilium Parisiense ann. 1092. indicatum in Indice.

Tom. 5. p. 638. Ex Annalibus Benedictinorum decisionem Concilii Burdigalensis ann. 1078.

Ex Synodico Beneventano duo Concilia in hac Urbe celebrata alterum ann. 1061. alterum 1062.

Ex Vonderhart plura in Concilium Constantiense.

Ex Bzovio Epistolam Concilii Constantiensis ad Uladislaum.

Ex Sigismundo Herbestenio Constitutionem Alexandri VI. de Baptismo Rhutenorum.

Ex P. Combefis falsum Concilium Constantinopolitanum ann. 1350. quod est in Indice primi Tomi, falsam Synodum in facto Palamas Græce Tom. II.

Ex Allatio plura Concilia in Indicibus indicata.

Post Editionem Parisiensem ann. 1676. Synodum Jerosolymitanam ann. 1672. Græce & Latine, & Responsum Patriarchæ Dionysii cod. ann. Addit, se retractasse versionem, quam hujus Concilii fecerat Benedictinus quidam ex S. Mauri Congregatione.

Acta & Monumenta temporum, Alexandri VII. de Sanctissima Virgine Constitutiones, Innocentii XII. Epistolas ad Episcopos Flandriæ, damnatos Conscientiæ Casus, Bullam *Vineam Domini Sabaoth*, Bullam *Unigenitus*.

ARTICULUS II.

De recentibus Collectionibus Conciliorum in quibusdam peculiaribus Regnis habitorum.

PRæter Collectiones, quæ continent Concilia omnia Generalia, & Particularia, h. e. Universalia, sive OEcumenica, Nationalia, Provincialia, & Synodalia in variis Catholicæ Ecclesiæ partibus coacta, sunt etiam Collectiones, quæ nonnisi peculiaris alicujus Regni Concilia continent. Hic eas singillatim enumerabo.

I.

De Collectionibus Conciliorum Romanorum.

LUcas Holstenius Canonicus, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos aggressus fuerat quorumdam antiquorum Historiæ Ecclesiasticæ Monumentorum Collectionem; quæ demum post ejus mortem perfecta, & impressa Romæ an. 1662. in 8. in duas dividitur partes, & Imperatorum Constitutiones comprehendit. Quæ in ea eminent, sunt nonnullæ Synodi, præsertim Romanæ, plures Epistolæ Pontificum Rom. Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis, Simplicii, Gelasii, Pelagii, Honorii, Joannis IV. Atque inde fortasse illi obvenit Collectionis Romanæ nomen. Concilia prima Parte comprehensa sunt Romanum sub Bonifacio II. ex Bibliotheca Barberina cum aliis multis eductum, duo item Romana sub Damaso, aliud sub Bonifacio IV. Decretum Synodale Bonifacii IV. in tertio Romano Concilio publicatum, & Synodus Lateranensis sub Stephano IV. Concilia secunda Parte comprehensa sunt tres Synodi Romanæ sub Eugenio II. Leone IV. & Hadriano, Synodus Ravennatensis sub Joanne VIII. Placentinum sub Urbano II. Quæ omnia continet etiam Labbæi Collectio, hac Collectione posterior. Cæterum hic animadvertendum est, Decretum Stephani IV. Papæ ex Synodo Lateranensi ann. 769. celebrata eductum haberi in Labbæo post hanc ipsam Synodum, idemque esse sub Stephano III. collocatum. Inter Notas invenias Chronologicam Roman. Pontificum seriem a Joanne I. usque ad S. Gregorium continuatam, h. e. ab exacto ann. 523. usque ad septimum sæculum. Hæc Pontificum Chronologia cum annis Æræ Christianæ, Imperatorum, Indictionum, Consulatuum, aliorumque in sex veluti columnas distributa est. Prima continet Jesus Christi annos: secunda Indictionem: tertia Consules: quarta annos Imperatorum: quinta annos Rom. Pontificum: sexta demum, quæ varia per hosce annos contigerunt. Præterea pag. 298. secundæ Partis habetur descriptio chronologica & historica Pontificatus Damasi, h. e. ab anno 359. usque ad ann. 384.

Collectio Holstenii. *Tom. 6. Conc. col. 1722.*

Inter Conciliorum Romanorum Collectores referrem etiam Alexandrum Raynaldum Juris Doctorem, & Bibliothecæ Vaticanæ Custodem, si quidem extaret ejus Opus, a Leone Allatio memoratum in Opere inscripto *Apes urbanæ*, ubi agit de Viris illustribus, qui Romæ fuerunt ab ann. 1630. usque ad 1632. quique Tractatum aliquem in lucem ediderunt.

I I.

De Collectionibus Conciliorum Africanorum.

P. Garnerius Concilia omnia in causa Pelagii, ejusque hæreseos, & præsertim Africana, collegit in secunda Dissertatione, quam dederat ann. 1673. in sua Marii Mercatoris Editione, eamque inscripserat: *De Synodis in causa Pelagianorum habitis vivente S. Augustino*. Omnia persequitur summa cura, & prudentia. Docet, Theodorum e Mopsuestia quinque Libros in S. Augustinum composuisse, ut Juliani hæresim tueretur, eundemque nihilominus subscripsisse condemnationi Juliani in quodam Ciliciæ Concilio, quod usque ad hæc tempora ignotum fuit, non secus atque Concilium

Collectio P. Garnerii.

lium aliud Antiochenum, in quo multo antea Pelagium damnatum fuisse Mercator affirmat. In hac Editione, inter Marii Mercatoris opera, primum invenitur historicum Monumentum contra Cœlestium, quod Labbæus dederat in Collect. Concil. Tom. II.

Collectio Schelstrati. Schelstratus Canonicus, & Antuerpiæ in Ecclesia Cathedrali Cantor Tractatum composuit, in quo Ecclesiæ Africanæ originem investigat, ita inscriptum: *Ecclesia Africana sub Primate Carthaginensi, in 4. Antuerpiæ 1679.* Hujus Ecclesiæ illustrat Concilia regimen, Fidem, Ritus, seu Cæremonias, & Episcoporum successionem. Neminem latet, Collectorum & Amanuensium incuria non parum confusionis in Conciliorum Africanorum Canones irrepsisse; plures enim ex iis ratione temporis loco moti, plures immixti, plures etiam uni Concilio tributi sunt, qui ad aliud pertinebant. Perturbationem hanc curavit Auctor, ut removeret; quosdam etiam Canones dedit, qui non dum habebantur, ad MSS. emendatos, contenditque, Decretum Concilii Teleptensis, & Decretum Siricii Papæ, quæ recens quidam Scriptor inter supposititia amandavit, authentica esse & legitima.

III.

De Collectionibus Conciliorum Gallicorum.

§. I.

De Collectionibus omnium Galliæ Conciliorum.

Collectio P. Sirmondi. P. Sirmondus dedit antiqua Galliæ Concilia habita sub Principibus Romæ dominis post Constantinum magnum, deinde sub Burgundionibus, Gothis, & Galliæ Regibus primæ & secundæ Stirpis. Ea dividuntur in tres Tomos, in quibus inveniemur Pontificum Rom. Epistolæ seu Rescripta in Galliam missa, Constitutiones Principum, eorum edicta ad res sacras pertinentia, aliaque Ecclesiasticarum Galliæ rerum Monumenta. Nullam tamen mentionem infert de duobus Conciliis Lugduni a S. Irenæo coactis, hoc est, neque de Concilio, in quo laudatus Episcopus una cum duodecim aliis Episcopis Valentini, Marcionis, aliorumque hæreses condemnavit; neque de secundo, in quo una cum tresdecim Episcopis statuit adversus Quartodecimanos, Pascha die Dominico esse celebrandum. Duobus hisce Conciliis, tanquam parum cognitis, silentio præteritis, incipit ab Arelatensi; adducit Concilia magna: hoc autem nomine ea vocat, quorum habentur Synodica, vel Canones, vel Actorum pars: minima autem dicit ea, quorum Notitiæ tantum quædam habentur, Acta interierunt. Primum volumen dicatum & oblatum Ludovico XIII. Rupella revertenti, Parisiis impressum an. 1629. desinit in Epistolas Zachariæ Papæ ann. circiter 751. Sequitur Compendium Epistolæ Bonifacii Archiepiscopi Magontini ad Cudbertum Archiepiscopum Cantuariensem. Ea exstat in Labbæo tom. 6. col. 1544. Canones Synodi Romanæ ad Galliæ Episcopos missi de quæstionibus, quas proposuerant, sunt extra locum ad finem primi Tomi Sirmondi. Eos Labbæus Innocentio I. adscripsit tom. 2. Concil. col. 1316. Secundum volumen incipit a Concilio Vetberiensi ann. 752. & comprehendit annos omnes, quibus regnarunt Pipinus Carolus magnus, & Ludovicus Pius usque ad ann. 840. In Notis habetur Notitia Monasteriorum, quæ Milites, munera, vel solummodo Preces Regi debent. *Col. 385.* Tertium volumen comprehendit regnum Caroli Calvi, ejusque ex familia successorem ab ann. 840. usque ad ann. 987. Cuique volumini Notas adjunxit ad intelligendos Canones maxime utiles.

Editio hæc generatim approbata fuit; unus extitit Petrus Aurelius, qui, disputationis impetu abreptus, in fine Responsionis ad Canonem Concilii primi Arausicani, gloriatus est, se in ea immensam errorum struem detexisse, quos, ubi primum sibi per otium licuerit, se in lucem emissurum pollicitus fuit. Non tamen ille promissis stetit, sive quod satis otii nunquam habuerit, sive

Salmon Concil.

quod nimis magna se promisisse senserit. Cæterum omnis ipsum inter, & P. Sirmondum disputatio eo tendit, ut vera secundi Canonis hujusce Concilii lectio stabiliatur, videlicet, utrum legendum sit, *ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*, juxta editionem Sirmondi, an vero, *ut necessaria habeatur repetita chrismatio*, juxta Merlini, Crabbe, & Binii Editiones. Petrus Aurelius P. Sirmondi lectionem satis acerbe reprehenderat in Scripto suo contra Loemelium.

Sirmondus, edita in publicum epistola, graviter conquestus est, tum quod suam Conciliorum Gallicorum editionem reprehenderit, tum quod ipsum tanquam corruptorem Canonis Concilii Arausicani accusarit. Huic Aurelius respondit, ita in hoc illum decipi potuisse, quemadmodum deceptus est in titulo cujusdam Nicolai Epistolæ, quam dederat veluti missam ad Synodum Tolosanam, cum revera ad Concilium Toletanum fuerit conscripta. Sirmondus opposuit huic Responsioni Antirrheticum, in quo subdidit, se integram dedisse hanc epistolam, quæ antea nonnisi ex parte habebatur, admonuisse Lectorem de titulo ejus dubio, & ante Gothos Galliæ & Hispaniæ Episcopos se in unum cogi consuevisse. Quemadmodum Labbæus hunc Canonem affert juxta varias omnes editiones, ita etiam duorum horum sapientum virorum contrarias rationes in medium afferre optimum duxi. *Tom. 3. Conc. col. 1447.*

Aurelius volebat, negationis particulam a MSS. abesse. Sirmondus respondebat, licet ea a textu Crabbe abesset, apparere tamen ad marginem; cæterasque Conciliorum editiones, dum eam prorsus sustulerant, id fecisse vel errore vel negligentia; Patrem Fronteau duobus MSS. usum fuisse in Conciliis Arausicanis. 1. MS. Nicolai Fabri littera F. signato, quoad sexdecim hujus Concilii Canones, non vero quoad octo priores Canones, qui in hoc MS. deerant. 2. MS. Joannis Du-Tillet, de quo sermo est in Bibliotheca Thuana num. 193. littera T. signato, in quo negatio est. Respondet Aurelius, Fronteau putasse, negationem hanc tanquam supposititiam jure a Surio fuisse omissam. Si enim Fronteau judicasset addendam, quomodo probasset, eam a Surio & Romanis Gratiani Correctoribus fuisse vel rejectam, vel omissam? Sirmondus respondet, licet eam hujusmodi Correctores omittendam putaverint, eo quod in Gratiano non extabat, se tamen restituere debuisse, eo quod ad Canonem pertinebat; animadvertente Patre Fronteau, verba *cleri ac plebis*, quæ pleraque MSS. afferunt duobus in locis Canonis decimi Concilii quinti Arausicani, deesse in MS. Tilii primo loco, secundo haberi; negationem, quæ ad primum pertinet, vel, juxta alios, ad secundum Canonem Arausitanum, in Collectione Merlini non apparere; eam duas Crabbe editiones ad marginem adducere; Surium, qui secundæ Editionis textum secutus est, non consultis MSS. negationem hanc non habere, eamque lectionem hoc loco omisisse, licet ubique reliquas omnes varias lectiones attulerit. Citat plura MSS. Isidori, in Bibliothecis Thuana, de S. Victore, Laudunensi, & Bellovacensi. Affert plura exempla SS. Patrum, qui in corrigenda MSS. incubuerunt, admonetque, Collectores Canonum maximam eorumdem partem sæpe amputasse, præsertim cum in usu esse desiissent. *Pag. 267. & 333.* Huic rursus respondit Aurelius eo scripto, quod inscripsit *in Antirrhetici partem alteram*; cui secundum Antirrheticum opposuit Sirmondus; *Pag. 281. & 337.* Sirmondoque demum causa sapientum judicio adjudicata fuit. Etsi Cotelerius de hac Conciliorum Gallicorum editione magnifice sentiat, quædam tamen in eadem notat obscura & mendosa loca, duo præsertim; quorum unus est in epistola Joannis II. Papæ ad Cæsarium Arelatensem de Contumelioso Rhegino, ubi habetur verbum *sacrius*, nulla ejusdem adjecta explicatione; alter in Epistola Agapiti Papæ ad eundem Cæsarium, ubi dicendum est, fuisse prætermissam negationis particulam, *non*, sine qua, quæ ibi leguntur, cum præcedentibus conciliari non possunt. *Monum. Eccl. Græca tom. 1.* *Conc. Gall. tom. 1.*

Collectio de La Lande. De la Lande in publicam lucem edidit plura Concilia, quæ P. Sirmondus ejus avunculus omiserat, eorum tamen quibusdam Actis, seu notitiis in

in Commentariorum formam relictis. Hinc Collectionem suam inscripsit, Supplementum antiquorum Galliæ Conciliorum, quæ P. Sirmondus edidit Parisiis ann. *1666.* in folio. Huic adjecta est notitia Provinciarum & Urbium Galliæ, ducta ex Bibliotheca Thuanæa, itemque Notæ in supplementum earum, quæ in Sirmondo desiderabantur. Baluzius in suis Capitularibus hunc Collectorem accusat 1. quod nulla auctoritate plures mutaverit locos Conciliorum & Epistolarum, quas adducit, veluti titulum epistolæ 115. Lupi de Ferrieres, titulum & finem epistolæ 130. ejusdem Abbatis ad Nicolaum Papam; quod manifesto constabit iis, qui eam conferent cum MS. Fleury, unde a Sirmondo deducta est. 2. Quod plura item mutaverit in Constitutione Childeberti, in epistola Siegeberti ad Didierium ann. 650. & in aliis multis. Mirum sane est, nullam a Labbæo mentionem factam de Concilio in finibus Provinciarum Arelatensis & Narbonensis habito ann. 879. quod de la Lande adduxit pag. 296. supplementi, innixus auctoritate secundi Concilii Trecensis Action. 3. & epistola 122. Joannis VIII. Papæ, in qua habentur hæc: *Mandamus ut coa-*
Tom. 1. Conc. Gal. 599. *dunato numero Episcoporum eorum causam canonico judicio finiatis*, pag. 90. tom. 9. Cum Labbæus pauca admodum dixerit de Concilio Galliæ, quod ex Libro Synodico extraxit; de quo professus est *in notis* se multa dicturum, consuli possunt, quæ in hanc rem adducit de la Lande sub
Suppl. Conc. p. 1. hoc titulo: *Concilium Gallicanum & duabus Galliarum Provinciis congregatum a fratribus Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis ann.* 177.

Equidem nescio, cur Labbæus quædam eorum omiserit, quæ a de la Lande in supplementum illata hic recenseo.

Pag. 1. 1. Concilium Lugdunense ann. 198. sive potius Fragmentum epistolæ hujusce Concilii, quod de la Lande latine dat, dignumque Baluzius Collectione sua judicavit, in qua affertur Græce & Latine, juxta duas interpretationes Rufini &
Bibl. de France. Valesii. Pater le Long ait, id esse impressum in Labbæo tom. 1. pag. 198. Sed error est tum in numeris, qui debent esse 598. tum in facto; in Labbæo enim non habetur, nisi sola Concilii notitia.

Suppl. p. 3. 2. Primum Vasionis Concilium ann. 358. cujus de la Lande epistolam Synodicam dat.

P. 11, tom. 1. 3. Nomina Episcoporum Galliæ, qui Concilio Aquilejensi interfuerunt ann. 381. & notas in hoc Concilium. Harduinus dedit subscriptiones omnium Episcoporum, qui ibi aderant.

Tom. 4. Conc. col. 1026. 4. Epistolam Rustici Archiepiscopi Narbonensis ad Eucherium ann. 453. & Confessionem Tironis Prosperi. Labbæus vult, nihil in his contineri, quod ad Concilia referatur. Idem fortasse sensit de quadam antiqua Confessione; quam de la Lande dedit pag. 21. supplem.

Pag. 36. 5. Testamentum Perpetui ann. 475. quod dedit d'Achery, & post ipsum de la Lande.

Tom. 4. Conc. col. 1041. 6. Partem epistolæ Fausti ad Leontium, cujus nonnisi Fragmentum dat, quæque integra cum
Pag. 39. subscriptionibus habetur apud de la Lande.

7. Concilium Gallicanum loco incerto habitum ann. 460. Valentinum ann. 419. Lugdunense an. 495. Conventum Remensem ann. 496. & Conciliabulum Aurelianense ann. 540.

Pag. 59. 8. Epistolam Clericorum ad Polochronium anno 588.

Pag. 64. 9. Testamentum Dagoberti ann. 642.

Pag. 81. 10. Epistolam Cathvvlphi ad Regem Carolum ann. 774.

Pag. 94. 11. Concilium Divoduri ann. 806.

Pag. 89. 12. Concilium ad Aquas Sextias ann. 797.

13. Epistolas Amolonis.

Pag. 146. & 152. 14. ann. 862. Carmen Engelmodi in laudem Radberti.

Pag. 173. 15. Sextam partem Concilii Duodeciaci.

Pag. 164. 16. Notitiam Concilii Lugdunensis ann. 912. Le Long vult, Concilium hoc, quod est impressum in de la Lande pag. 319. haberi in Labbæo tom. 8. sed errat; siquidem Labbæus loc. cit. adducit Concilium Lugdunense ann. 848.

Pag. 321. 17. Testamentum VValonis ann. 918.

Pag. 327. 18. Epistolam Adalberonis ad Rothaldum anno 985. & Epistolam ad Episcopos Comprovinciales.

19. Notitiam Concilii Provinciæ Remensis ita citati *apud Galdonis cortem* ann. 986. Pag. 328.

De la Lande exhibet Notas in plura ex his opusculis, dum ea affert. Alias etiam dat in Concilia, quæ Sirmondus dedit in sua Collectione.

Ludovicus Odespun de la Mechiniere Presbyter Collectio Odespun. Turonensis dedit novissima Galliæ Concilia a tempore Concilii Tridentini celebrata, quæ & in Regia, & in Coloniensi editionibus fuerant prætermissa. Collectio hæc fuit typis impressa ann. 1646. In Præfatione miratur, Editionem Regiam, quæ Concilia continebat apud exteras nationes coacta, veluti Mediolanensia, Aquilejensia, Coloniensia, Mogontina, eandem vero omisisse plura eodem tempore in Gallia celebrata. Ex ipso titulo apparet, non illud sibi propositum fuisse, ut antiqua Galliæ Concilia, quæ ab illa fuerant omissa, colligeret; id enim immensi cujusdam laboris fuisset; sed ut ea referret, quæ Concilium Tridentinum consequuta sunt; aitque, *unicam* tantum *desiderari* in hac Collectione *Synodum Gracien-sem in Provincia Ebredunensi*, quam nunquam invenire potuit. Addit, potuisse se in sua Collectione referre, P. Sirmondi exemplo, Concilia Provincialia Maguntiæ, Augustæ Trevirorum, Bisontionis, & Machliniæ, quæ alias sub ditione Francorum erant; sed non esse in hoc imitandum, ex quo eorum dominio exempta sunt; Editiones Regiam, & Colonienses collegisse Concilia Maguntina, Trevirensia, & Coloniensia; fuisse sibi in hanc Collectionem inserendum Concilium Cameracense, quæ Galliæ Provincia remanserat post extinctam Clodovæi stirpem, cujusque Episcopus semper obnoxius fuit Archiepiscopo Remensi usque ad tempora Pii IV. qui illum, postulante Philippo II. Hispaniæ Rege, in Archiepiscopatum instituit ann. 1559. Subdit etiam, Archiepiscopum Cameracensem ex eo tempore a Remensibus ad hujus Provinciæ Concilia cum Episcopis Atrebatensibus & Tornacensibus fuisse invitatum. Tandem Conciliis adjungit quædam monita & decreta Conventuum Cleri generalium; eorum pars extat Latine Galliceque conscripta, cujus excerpta maxime conferent ad cognoscendum Ecclesiæ regimen, & ad ejusdem hierarchicum ordinem stabiliendum. Quod attinet ad Concilium Provinciale Parisiense ann. 1640. habitum sub Joanne Francisco de Gondy adversus Librum Optati Galli, id appellat primum Concilium Provinciæ Parisiensis; idemque dat post Bail, qui illud impresserat in additione ad summam Conciliorum, inductus ab Hincmaro affirmante, *perfectum Concilium illud esse, ubi fuerit Metropolitanus Antistes*; Epist. 7. Cap. 8. quod optime convenit cum iis, quæ habentur Canone 16. Concilii primi Antiocheni. Admonet, Galliæ Episcopos non hac tantum occasione fuisse pravam doctrinam persequutos; Paulum V. ann. 1612. Brevi ad Galliæ Archiepiscopos & Episcopos dato, eosdem hortatum fuisse, ut perniciosum Librum damnarent, eorumque sanæ doctrinæ studium & amorem multis argumentis eminuisse in Colloquio Pisciaci, quod tanquam Concilium Nationale Parlamenti monumenta respiciunt. Tum adducit delationes a Clero factas ann. 1595. 1596. 1598. 1606. 1625. Epistolam Archiepiscoporum & Episcoporum adversus duos Libros, quorum unus inscribitur, *Modeste & briève discussion de quelques Propositions du Docteur Kellison*, P. Eduardo Knok Jesuitæ Anglo tributus; alter est Apologia Danielis a Jesu; Epistolam Cardinalium adversus Tractatum & Probationes Libertatis. Sane mirandum non est, opuscula hæc omnia ad Clerum pertinentia, & ex illius conventibus desumpta, non fuisse illata in Collectionem Labbæi; & reperientur inter Cleri ipsius monimenta, in quibus conquirenda sunt.

Aubertus le Mire paucissimis verbis satis justam hujus Collectionis imaginem exhibet in suis Sæculi XVII. Scriptoribus.

Hic ego omittendam non arbitror Collectionem Collectio Capitularium. Capitularium Regum Galliæ: ita appellantur Constitutiones a Regibus factas quingentorum annorum spatio. Magnam illi antiquitus concionem

quotannis de more habebant; in qua publica omnia agitabantur; ea constabat ex eminentibus utriusque status tum Ecclesiastici, tum sæcularis hominibus, Episcopis, Abbatibus, & Comitibus. Hac adstante concione, Constitutiones suas plerumque Reges faciebant, quæ mox elata voce recitatæ, communique omnium consensu comprobatæ, tum a singulis subscribebantur. Hæ porro in breves quosdam articulos redactæ, Capitula dicebantur, pluriumque Articulorum Collectio Capitulare. Episcopi & Comites suum quisque exemplar sibi habere debebant Cancellarii manu descriptum, idemque Ministris suis quocunque loco degentibus mittere, ut hac via & ratione in omnium populorum cognitionem veniret. Hujusmodi Ministri dicebantur *missi Dominici*, h.e. *Legati Principis*, quibus summo studio curandum erat, ut Provinciæ omnes propositas Constitutiones exequerentur.

Sed mirum fortasse videbitur, me hoc loco de Capitularibus loqui: tum quia vocabulum hoc *Capitulare* late patet, & ad omnes cujusque generis Constitutiones Ecclesiasticas, Civiles, & Politicas pertinet: tum quia non Galliam solum, sed universam Europam, regnantibus Carolo Magno, & Ludovico Pio, ejusque Liberis. Sed satis est, si magna earum pars de rebus Ecclesiasticis agat, earumdemque decisiones pro veris Canonibus habeantur. Cum igitur, animadvertente Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi, in ipsis Conciliis hæc eadem agitata fuerint, & ab Episcopis legitime congregatis vel firmata, vel approbata, jure plerique hujusmodi Conventus in Conciliorum album relati sunt. Benedictus Diaconus in sua Præfatione inquit; Carolum Magnum, & Ludovicum Pium sapientioribus ex Clero commisisse, ut in Patrum Operibus, in Canonibus Conciliorum, & in Imperatorum Constitutionibus ea conquirerent, quæ meliora esse, singulisque totius Imperii ordinibus aptiora viderentur, tum quoad Religionem, & bonos mores, tum quoad Justitiam Ecclesiasticam, civilemque exercendam. Ex his excerptis conficiebantur Capitularia, seu regulæ in certa Capita distinctæ, quas Reges, cum ex consensu Episcoporum, Optimatum, Comitumque confirmassent, in publicum emittebant, ut ab omnibus religiose observarentur. Hæc omnia liquido constant ex Capitulari Childeberti ann. 595. ex Præfatione Capitularis ann. 779. ex titulo secundi & tertii Capitularis ann. 814. ex Capitulari ad Aquas Sextias ann. 816. ex Libro septimo, & ex additione 4. ad Capitularia.

In Capitular. Regum Francorum.

Præterea scimus, ea Episcopos sine intermissione legisse, & exscripsisse in Conciliis generalibus, Provincialibus, & in suis etiam Synodis; Pontifices Romanos ipsos sibi gloriæ duxisse, ut iisdem venerationem & observantiam præstarent; ut colligitur ex epistola Leonis IV. ad Imperatorem Lotharium, quam Ivo Carnotensis & Gratianus adducunt. Nihilo tamen minus dicendum est, has Ecclesiasticas Regulas ad Gallos peculiariter pertinuisse; quorum auctoritas, quæ maxima semper tum in Germania, tum in Italia fuit, diutius tamen in Gallia, quam alibi floruit viguitque. Sed hic quoque mox earum usus deferbuit, ac etiam intermissus fuit, sub initium tertiæ Regum stirpis, facta totius Imperii mutatione, quæ sanctissimas etiam quasque & optime constitutas Leges plerumque evertit, & in contemptum trahit. In hoc Balutius convenit cum de Marca.

Abbas Ansegisius, quem Balutius nunquam Senonensem Archiepiscopum fuisse contendit, ann. 827. Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularia in quatuor Libros collegit. Primo & tertio Caroli, secundo & quarto habentur Capitularia Ludovici hoc ordine, ut in primo & secundo agatur de rebus Ecclesiasticis, in duobus aliis, de aliis item rebus. Quoniam autem ex his plura omiserat, vel data opera, vel quod ea nondum comperisset, Benedictus, Ecclesiæ Magontinæ Diaconus, reperta variis in locis, præsertim in Ecclesiæ suæ Tabulariis, in tres alios Libros collegit. Hæc omnia porro Capitularia Balutius redegit in primum Operis sui Volumen, inscriptum *Capitularia Regum Francorum* in fol. 2. vol. Parisiis, apud Muguet 1677. His addidit magnum eorum numerum, quæ

Lib. 2. de emend. grat. Dial. 10.

Salmon Concil.

nunquam prodierant in lucem, multoque studio & summa fide emendavit ea, quorum jam Collectiones habemus, ex plurimis MSS. quæ ex omnibus partibus ad ipsum delata fuerunt.

Volumen primum continet Capitularia antiquorum Regum, Childeberti, Clotarii, & Guntrami; Capitularia Regis Dagoberti, Carlomanni, Pipini usque ad ann. 768. quo tempore hic Franciæ Regnum in duas partes distractum filiis suis Carolo & Carolo Magno distribuit: præterea Capitularia Caroli Magni usque ad ann. 813. Pipini Italiæ Regis, ann. 793. Ludovici Pii. Sequuntur duæ Capitularium Collectiones, hoc est, Collectio Ansegisii in quatuor Libros, & Benedicti in tres Libros divisa. Has deinde consequuntur quædam Imperatoris Ludovici Capitularia, post Benedicti Collectionem inventa, & distributa in quatuor Additiones, quarum prima peculiarem afficit Monachorum Disciplinam. Secunda 28. Capitulis constat. Tertia 124. Quarta 171. Septem Capitularium Libros non esse integros apparet ex tribus Appendicibus, quæ post quartum Librum eorum partem constituunt; id colligitur etiam ex sexto Libro post Capitulum 288. usque ad 330. & ex Libro septimo post Capitulum 478. usque ad 558. & ex quatuor Additionibus ad hasce duas Collectiones. Ad finem primi Tomi reperies Canones vel Capitula quædam ex tribus postremis Capitularium Libris selecta & excerpta ab Isaaco Episcopo Antematuri; tum ea, quæ Herardus Archiepiscopus Cæsarodunensis ex Regum Capitularibus extraxit.

Capitul. Tom. 1.

De emendat. Gratian. l. 2.

Quoniam vero Marculfus ad intelligenda Capitularia plurimum confert, Balutius, ne quidquam omitteret quæ ad hujus Operis perfectionem aliquo modo pertinent, datis secundo volumine Capitularibus Caroli Calvi, Ludovici Balbi, Carlomanni, Regis Eudi, Caroli III. Imperatorum Lotharii & Ludovici II. collegit etiam Formulas Marculfi, & Anonymi, quæ ad finem secundi libri hujus Monachi habentur, Formulas P. Sirmondi, Bignonis, & Lindembrogii, quibus adjunxit novam Collectionem Formularum ex pluribus antiquis MSS. deductarum, cum Formulis Promotionis Episcoporum, quas nobis Sirmondus dederat Tomo 2. Conciliorum Galliæ. Opuscula hæc omnia emendavit ex plurimis MSS. summa diligentia, incredibili studio. Sæpe fontes indigitavit, ex quibus hauserat Capitularia, hoc est, ex Conciliis, Patrum Decretis, & Legibus Imperatorum. Ad cujusque Capitularis marginem citavit nomina præstantium Scriptorum, qui iis utuntur, cujusmodi sunt Theodulphus Episcopus Aurelianensis, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Herardus Archiepiscopus Cæsarodunensis, aliique. Tandem Notas adjecit luculentissimas, in quibus explicat, quæ in his Operibus obscuritate laborant. Editio hæc est omnium amplissima & accuratissima, continetque cæteras omnes, de quibus propterea supervacaneum est plura dicere. Verum quidem est, ex his Legibus admodum paucas obtinere temporibus nostris: ex iisdem tamen potest optime cognosci antiqua Disciplina, & vetus hujusce Imperii Jus.

P. Sirmondus ann. 1623. typis commiserat Caroli Calvi Capitularia. Nonnulla Regum Francorum Capitularia non fuerant impressa, nisi post ejus mortem. Pater de la Baune ea collegit, & intulit in Editionem, quam fecit ann. 1696. Vol. 5. in folio.

P. Le Long in Historica Galliæ Bibliotheca integrum articulum conficit de Conciliis & Synodis Galliæ, quorum seriem dat ordine alphabetico. Hic citat Collectiones, in quibus hæc Concilia impressa sunt, tomum, paginam, editionem, & harum Collectionum Auctores, qui sunt Editionis Regiæ Collector, P. Sirmondus, Maan, Goldast, Balutius, Martene, de la Lande, Pommeraye, Labbæus, & d'Achery.

PP. Martene & Durandus, cum Chartaria Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum Galliæ diligenter excussissent, inde infinita prope exscripserunt Opuscula, quæ publica luce digna esse judicarunt. Ea publicarunt Parisiis ann. 1717. vol. 5. in folio, hoc titulo: *Thesaurus novus Anecdoto-*

Collectio Conciliorum, Auctore P. Martene.

dotorum. Ea diviserunt in classes quatuor, quarum tertia continet magnum numerum Conciliorum, quæ impressa non sunt in Conciliorum editionibus Regia, neque Labbæi, & quorumdam Conciliorum Canones, qui in præcedentibus editionibus prætermissi fuerant, plura Diœcesium statuta Synodalia, item statuta in generalibus nonnullorum ordinum Regularium Capitulis confecta. Conciliorum illorum omnium ab octavo usque ad Sæculum XVI. habitorum; quæ quarti hujus Collectionis Voluminis materiam constituunt, pleraque ad Ecclesiam Gallicanam pertinent. Quæ in aliis Regnis habita fuere, non sunt tam multa. Ex iis quædam Iverniam respiciunt; ejusmodi sunt Canones Ivernienses deducti ex MS. Bigot, & addendi iis, qui Tom. 9. Spicilegii habentur. Quædam habita sunt in Italia, veluti Concilium ann. 886., in quo Ecclesiæ S. Martini Turonensis nonnullæ terræ confirmatæ fuerunt. Autographum hujus Concilii exemplar in Archivis hujusce Capituli extat. Acta Concilii Romani sub Gregorio VII. celebrati ex MS. Gemblaci extracta continent retractationem Berengarii, qui teste P. Martene, credebat quidem veram præsentiam, Transubstantiationem tamen adhuc non credebat. Habetur hic Fragmentum Concilii Vastallæ habiti anno 1106. sub Paschali II. extractum ex MS. Sancti Vincentii a Vesontione. Canon Concilii Lateranensis ann. 1139. sub Innocentio II. habiti in præcedentibus Editionibus prætermissus reperitur in hac Collectione. Hic pariter reperientur plura Hispaniæ Concilia, præsertim Tarraconis habita ann. 1329. deinde quædam Opuscula ad Concilium Basileense spectantia. Acta Concilii Provincialis Machliniensis Lovanii habiti ann. 1574. mense Majo, Gerundæ Concilium ann. 1068. item aliud 1078. plura statuta Episcoporum Barcinonensium ann. 1255. 1277. 1280. 1281. 1288. 1298. 1324. 1343. Et Episcopi Sabinorum Cardinalis, & S. Sedis in Hispania Legati, & Episcopi Argentoratensis ann. 1435. & Episcopi Leodiensis an. 1287.

Concilia Galliæ, quæ in hoc quarto Novi Thesauri volumine continentur, maximam hujus Libri partem constituunt. Antiquiora sunt Foro-Juliense sæculo sexto habitum Catalaunicum an. 887. in quo Ecclesiæ Antematunensis privilegia immunitatesque confirmantur. Recentiora vero sunt Concilium Lugdunense ann. 1449. Avenionense ann. 1407. item aliud ann. 1509. aliud Lugdunense ann. 1527. Viennense ann. 1557. Plerique Canones pertinent ad vitam moresque Clericorum, Prædicatorum, Confessariorum, Parochorum, ad eorum officia, & reditus, ad Clausuram Religiosarum, Reformationem Monasteriorum, institutionem quorumdam Festorum, præsertim SS. Virginis Conceptionis, & ad alia multa Ecclesiasticæ Disciplinæ argumenta. Sunt etiam nonnulli, qui Lutheri hæresim impugnant. Verbo, nomina Urbium aliorumve locorum, in quibus memorata ab ipso Concilia habita fuere, sunt Andegavum, Ansa, Apta, Avenio, Alvernia, Biteræ, Bituricæ, Catalaunum, Castrum Rufum, Claromontium, Ebrodunum, Massilia, Matiscona, Narbo, Nouillé in Diœcesi Lemovicensi, Aurelia, Parisii, Pictavæ, Rhemi, Rhegium, Rhotomagus, Santonæ, Senes in Diœcesi Diniensi, Augusta Suessionum, Divodurum; Cessero, Tolosa, Cæsarodunum, Augusta Trevirorum, & Vienna. Habentur hic etiam Statuta Synodalia Diœcesium Andegavi, Avenionis, Augustoduni, Biterarum, Catalauni, Divonæ Syrnicæ, Cosediarum, Leodii, Meldarum, Nannetis, Novioduni, Pictavarum, Segoduni, Senonarum, Tulli, Trecorii, Tutelæ.

§. II.

De Collectionibus Conciliorum in aliquibus Galliæ Provinciis celebratorum.

EXtant Collectiones, quæ alicujus Provinciæ Concilia separatim continent; ejusmodi sunt Collectiones Conciliorum Normanniæ, Cæsaroduni, & Narbonis.

Quinquaginta fere ab hinc annis P. Godinus Benedictinus in Conciliorum Rhotomagensium Editionem incumbebat; jamque pervenerat ad Concilium Juliobonense in Caletarum regione ann. 1080. habitum, cum vita decessit P. Pommeraye, quem Archiepiscoporum Rhotomagensium Historia satis illustrem facit, intermissum opus aggressus est, Collectionemque auxit ejus opera impressam ann. 1677. Rhotomagi in 4. cum Notis & Observationibus P. Godini. Ad perfectam Editionis correctionem restabant adhuc antiqua quædam exemplaria conferenda, variæque lectiones animadvertendæ. Licet autem hæc Synodos fere omnes Diœcesis Rhotomagensis contineant, desunt nihilominus, quæ a Suffraganeis habitæ fuere. Multæ quoque accessiones fieri poterant ex Collectionibus Labbæi, & Sirmondi, ex Decretalibus collectis a Reginone, Burchardo, Ivone, Gratiano, ex Epistolis Innocentii III. ex Capitularibus Imperatorum & Regum, curante Balutio, impressis, ex Normannicæ Historiæ Scriptoribus. Pater Julianus Ballaise quoad plura potuit MSS. conquisivit, opuscula jam impressa collegit, cumque intra manus Commentarios haberet du Chene Colberti Archiepiscopi Rhotomagensis Bibliothecarii, qui pariter Conciliorum Normanniæ Collectionem susceperat, dum eam noviter urgeret; fato functus est ann. 1710. Tunc P. Guillelmo Bessino demandatum est, ut opus continuaret, absolveretque; quod ipse præstitit, edititque Rhotomagi ann. 1717. in folio. Is Collectionem in duas partes dispescuit; quarum prima continet Synodos Normanniæ Provinciales, quarum habentur Canones, vel Acta vel integra, vel ex parte. Eas vero Synodos, quarum Acta interierunt, vel earum notitia aliqua in quibusdam habetur Historicis, notat solummodo in Synopsi chronologica. Non omittit Epistolas Pontificum Rom. vel Rescripta in Normanniam missa, aut Regum, Diplomata, aut Immunitates Clericis concessas, aut Provincialis Curiæ Judicia, aut Episcoporum consultationes, Pacta, edicta, aliaque Monumenta, quæ Ecclesiastica hujusce Provinciæ negotia respiciunt. Ex omnibus P. Godini Notis eas adhibet, quæ Conciliorum occasionem & causam notant, quæ obscura Canonum loca illustrant, quæque vinculum ostendunt, quo Conciliorum decreta inter sese mutuo colligantur. Quasdam etiam Notas adjunxit, quæ dissolvunt difficultates, explicant verba barbara, & mutuam horum omnium Decretorum cognationem demonstrant. Ubi quid in Conciliis Diœcesanis definitum, veluti in Bajocensi, Lexoviensi, aliisque, fuerat etiam aliquanto ante definitum in Concilio Provinciali, aut Rhotomagensi, id satis duxit in Concilio tantum Provinciali referre: illud tamen distinguit, quod Synodi suffraganeorum Metropolitanis adjungunt; hinc dedit Concilia Abrincæ, Eburovici, Segii, antiqua & recentia; Concilia Bajocensia, Lexoviensia, Constantiensia, sæculo elapso celebrata: Conciliis varias addidit Appendices, veluti Appendices Primatiæ Ecclesiæ Rhotomagensis, Archidiaconatus & Vicariatus Pontesii.

Collectio Conciliorum Normanniæ.

Pars secunda Diœcesium Synodos exhibet cum nominibus Episcoporum, temporibusque, quibus vixere; quod colligit ex Conciliorum subscriptionibus, aut alia ratione. Hic pariter habentur statuta Synodalia, Mandata, Epistolæ Pastorales, Præscriptiones sive Instructiones. Plura hinc desunt Opuscula, quæ in P. Pommeraye fuerunt, veluti quæcunque sunt a Conciliis aliena, aut quæ aliunde haberi facile possunt; quæ bona & negotia tantum sæcularia respiciunt, quorumdam Monasteriorum & Privilegiorum Institutiones, plures Epistolæ, Constitutiones, Bullæ Rom. Pontificum, quæ vel ad universam Ecclesiam pertinent, vel ad omnes Galliæ Episcopos missæ sunt. Concilium Rhotomagense a Pommeraye relatum ann. 880. sub Ludovico II. cui cognomen Calvus, hic asseritur ann. 650. sub Clodovæo II. & S. Oveni Archiepiscopi Rhotomagensis tempore. Concilium hoc in Labbæo nuspiam deprehendi. P. Mabillonius fortasse ignorabat, secundum hujus Concilii Canonem fuisse jam impressum, cum eundem dedit, tanquam ineditum, Tom. 3. Sanctorum Or-

dinis

dinis S. Benedicti. Pommeraye signavit nota quæ ex Mss. Conciliorum excerpserat, item Peculiaria quædam Opuscula nondum edita: P. Bessinus opuscula nondum edita stellulis, edita vero, sed non a Pommeraye, apposita cruce notavit.

Illud etiam sibi curæ fuit, ut annis, quibus cujusque Concilii tempus notatur, numerandi rationem adjungeret pro Gallorum consuetudine, ne, quæ modo evenerunt, præcedenti anno, vel insequenti tribuerentur. Observat pariter, antiquos Gallos annum incepisse a mense Martio; deinde, sub tertiæ Stirpis Regibus, a Paschate, annumque, qui hodie Mense Decembri desinit, alias usque ad Pascha excurrisse; adeo ut menses Januarius, Februarius, Martius, & ea Aprilis pars, quæ aliquando diem Paschatis antecedebat, annum complebant: jam vero, quemadmodum Festum Paschatis movetur a die 22. Martii usque 25. Aprilis, ita ad tollendas difficultates, quæ oriri poterant de vero anno Chartarum, quæ eo intervallo conficiebantur, addebantur verba hæc, *ante Pascha*; vel *post Pascha*, juxta diem, in quam cadebat Dominica Resurrectio. *Ante Pascha* finem anni, *Post Pascha* anni insequentis principium denotabat. Ex. gr. Chartæ illi, quæ scripta fuerat die 5. Aprilis, initio anni 1247. addebatur *Post Pascha*, quia hoc Festum contigit eo anno die 31. mensis Martii, qui propterea erat primus anni 1247. At vero Chartæ die 5. Aprilis conscriptæ duodecim mensibus post primam Chartam, apponebant *ante Pascha*, quia Festum hoc cum nonnisi die 16. Aprilis contigisset, annus 1248. nondum inceperat. Optandum erat, ut Conciliorum Collectores id ipsum omnes præstitissent.

Mirum sane est, nonnulla hujusce Provinciæ Synodalia statuta Patris Bessini diligentiam, sagacitatemque fuisse prætcrlapsa, ejusmodi est Supplementum Synodalium statutorum Diœcesis Abrincæ, recitatum publicatumque in Synodo die 14. Aprilis 1695. Cadomi impressum, apud Joannem Cavelier, in 8.

Collectio Conciliorum Provinciæ Turonensis.

Joannes Maan, Doctor Theologiæ Facultatis Parisiensis, Canonicus & Ecclesiæ Turonensis Cantor, Turonensia Concilia dedit in sua Turonensi Ecclesiastica Historia, impressa in folio Turonis ann. 1667. Collectio Conciliorum jam impressa fuerat usque ab 1665. Illud ejus propositum est, ut Concilia omnia exhibeat, quæ constat fuisse celebrata in Urbe, vel Ecclesia, vel Provincia Turonensi ab Archiepiscopis: his addit quædam Nationalia Concilia in Gallia habita extra Turonensem Provinciam, quo ejus Archiepiscopi Ecclesiæ utilitate convenerant. Collectiones, quibus usus est, sunt Collectiones Binii, Sirmondi, & Ecclesiæ Turonensis Archiva. Ex tribus Aliganiensibus Conciliis, quæ Maan distinguit, unum tantum affert Cossartius tom. 11. Conciliorum, ubi admonet, nullum horum Conciliorum exemplar vel diem, vel annum præseferre; idque in causa fuisse, cur Ecclesiæ Turonensis Historicus, qui tria exemplaria invenit, tria etiam Concilia fecerit, annorumque varietate distinxerit, licet ea unum idemque esse Concilium constet. Hoc Cossartius affert ad ann. 1278. cum idem post Bituricense Concilium invenerit, cui præerat Simon S. Sedis

Part.2. p.98. Legatus. Maan dedit Concilium Nannetense ann. 1431. seu potius statuta Philippi de Coëtkits, Archiepiscopi Turonensis, quæ in Labbæo nunquam

Part.2. p.60. deprehendi. Concilium Salmuriense affert an. 1243. sub Juhello. Cossartius Tom. 11. Concil. inquit, Ivhellum hujusce Concilii tempore ad dignitatem Archiepiscopalem Remensem jam evectum fuisse; ideoque Concilium fuisse habitum sub Petro de Lambalio ann. 1253. Maan ad hujus Concilii marginem affert loca aliorum Conciliorum Provinciæ Turonensis huc pertinentia; quod non ubique præstitit Labbæus. Maan adducit quinque Capitula Concilii Salmuriensis ann. 1315. Labbæus tantum quatuor; secundum enim, & tertium in unum confert. Maan dat Concilium Salmuriense ann. 1320. idemque repetit alio loco, veluti diversum a primo, cum revera nulla inter ea intercedat differentia. Hoc fortasse non extat in Labbæo, qui Concilia Diœcesana sibi deinceps omittenda proposuit. Concilium Turonense, quod Maan adducit ann. 1233. a Labbæo adducitur ann. 1236. Maan refert etiam loca Conciliorum Provinciæ huc pertinentia. Labbæus non attulit statuta Synodalia Cardinalis Finarii Archiepiscopi Turonensis ann. 1512. neque Synodum Antonii de la Barre Archiepiscopi Turonensis ann. 1527. neque Statuta, quæ Victor le Bouthillier edidit, statim ac ad hanc eandem Ecclesiam regendam non multo post accessit.

Collectio Conciliorum Provinciæ Narbonensis.

De Marca Archiepiscopus Tolosanus cum Concilii ex Gallia Narbonensi cogendi causa Narbonem perrexisset ann. 1659. Balutio, qui secum aderat, demandavit, ut undecumque colligeret, quæ ad rem propositam pertinerent. Favit ejus consilio Claudius Rebé, Archiepiscopus Narbonensis. Tolosam cum Occitaniæ Optimatibus tunc convenit Ludovicus XIV. suorum caterva stipatus; tum plures Episcopi, in quibus Bosquet, Episcopus Montispessulanus, cui de Marca Collectionem communicavit, quæ Galliæ Narbonensis Concilia præcipue continebat. Post ejus igitur mortem Balutius curavit, ut imprimerentur, Notasque adjecit; omnia edita sunt Parisiis ann. 1668. in 8. Concilia hac Collectione comprehensa sunt *Portuense* in Diœcesi Nemausensi ann. 897. Magalonense ann. 909. Tolosanum ann. 1056. Nerbonense ann. 1090. tria Montispessulana ann. 1195. 1214. 1224. quinque Biterrensia ann. 1255. 1279. 1280. 1299. 1351. Avenionense ann. 1337. Balutius observat, plerosque hujus Concilii Canones desumptos fuisse a Concilio præcedenti ann. 1326. habito, ac deinde fuisse descriptos in Conciliis celebratis a Petro de Judicia, Archiepiscopo Narbonensi. Addit prætcrea Concilium Vaurense ann. 1368. item aliud ann. 1374. Statuta Gui Fulcodii, Archiepiscopi Narbonensis, medio fere Sæculo XIII. & Appendicem Actorum antiquorum, de quibus mentionem fecerat in Notis, & in quibus inter plura alia opuscula habetur Decretum electionis hujusce Fulcodii.

IV.

De Collectionibus Conciliorum Hispaniæ.

Collectio Garsiæ Loaisa.

GArsias Loaisa impressam edidit Collectionem Conciliorum Hispaniæ, Madriti apud Petrum Madrigal 1593. in folio. Ea continet quadraginta priora Hispaniæ Concilia, ab Illiberitano, usque ad Toletanum 18. cum Notis. Hæc ut clarius illustraret, plures Collector adjecit Dissertationes sive Tractatus, in quorum numero est Chronológia, & Series Regum Gothorum & Svevorum, ducta a Conciliis Mss. Isidori & Vulsæ, & in quatuor columnas distributa, quarum prima exhibet Gothiæ Regum nomina; secunda Æram Augusti ab ann. 407. usque ad 620. Tertia Jesus Christi annos a 569. usque ad 582. quarta demum durationum horum Regnorum. seriem Svevorum Regum in Gallæcia ab Hermerico primo illorum Rege ann. Christi 408. usque ad 582. Præit Episcoporum Toletanorum Chronologia ab ann. Christi 68. usque ad 926. deinde venit series Chronologica Conciliorum Hispaniæ, quæ coacta fuere, regnantibus Gothis, a Concilio Illiberitano habito ann. Christi 324. usque ad 712. quo anno Saraceni ex Africa hisce Populis bellum intulerunt, universamque Hispaniam, qua potiti sunt, 200. annorum spatio occuparunt. Collectiones Conciliorum, quæ hanc præcesserunt, publicaverant id, quod dicitur, *Ordo celebrandi Concilium*: Garsias primus dedit, *via Regia, seu exhortatio ad Regem electum*. Habetur hic series Regum Svevorum, quibus regnantibus habita fuerunt Concilia Bracarensia: divisio Episcopatuum Hispaniæ, eorumque fines Provinciis distinguuntur, juxta varia Ms. in Ecclesiis Italicæ, Oveti, Toletique existentia; sequitur status Diœcesium, & Parœciarum Hispaniæ, juxta divisionem Provinciarum, factam a Rege VVamba, tempore Quirici Primatis & Archiepiscopi Toletani; alia rursus divisio in Concilio Provinciali facta inter Episcopos Oxomensem, & Aucensem; tum series nominum antiquorum & recentium Episcopatuum Hispaniæ & Galliæ Narbonensis, a Provincia Carthaginiensi incipiens,

Habe-

Habetur item Tractatus de Ecclesiæ Toletanæ Primatu: Officia & Dignitates Regni regiæque Gothorum Familiæ. Tandem nomina illustrium Virorum, qui in S. Hieronymi, Gennadii, Isidori, Ildephonsi, Felicis, aliorumque anonymorum Auctorum Catalogis reperiuntur.

Collectio Garsiæ Loaisa non pertingit nisi ad octavi sæculi initium.

Collectio Card. d' Aguirre.

Reliqua persequutus est Cardinalis Joseph Saens de Aguirre, Congregationis Benedictorum Generalis, data Collectione, quam inscripsit: *Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & novi orbis, Epistolarumque Decretalium celebriorum, nec non plurium monumentorum ad illam spectantium cum Notis & Dissertationibus, quibus sacri Canones, Historia ac Disciplina Ecclesiastica, Chronologia accurate illustrantur*. Ea dividitur in quatuor tomos, impressa Romæ ann. 1639. Volumen primum incipit a quodam veluti Apparatu eo spectante, ut Collectionem Isidori Mercatoris, vel Isidori Hispalensis tueatur & illustret. Antequam typis committeret hanc Conciliorum Collectionem, aliaque antiqua Hispaniæ monumenta cum Notis & Dissertationibus ad Historiam, chronologiam, & Disciplinam Ecclesiasticam, publicarat in 8. Salamanticæ apud Lucam Perez hujusce Operis pene immensi notitiam: qua percepta, plures Sapientes viri monumenta, titulos, & Instructiones ad id pertinentes contulerunt. In ea quinque Tomos pollicebatur: primus usque ad ann. 569. secundus usque ad 712. tertius usque ad 1135. quartus usque ad sæculum XVI. quintus denique usque ad 1610. debebat pertingere. Primo tomo habentur Vitæ septem primorum Hispaniæ Episcoporum, integrique Tractatus plures; secunda Chronica Idacii, Joannis de Biclar, & Dissertationes ad illustranda Concilia, aliasque Ecclesiasticas antiquitates, de quibus consulendæ sunt Sapientum Ephemerides Lipsiæ editæ ann. 1688. p. 71. & titulo, quem hæc Conciliorum notitia præfesert, & harum Ephemeridum Auctor exhibet, satis apparet, in Catalogo Bibliothecæ Card. Imperialis Romæ impresso 1711. perperam Opus hoc enunciari his verbis: *Notitia compendiaria Conciliorum Hispaniæ Salmanticæ per Lucam Perez* 1681. *in* 12. cum legendum sit *apud Lucam Perez* 1686. *in* 8.

Cardinalis d' Aguirre S. Isidoro Episcopo Hispalensi Præfationem attribuit, quæ legi ante Isidori Collectionem solet, & legitimas habet antiquorum Pontificum usque ad Siricium Epistolas ad Hispanos. Quatuordecim primi Tomi Dissertationes huc spectantes stabiliunt Hierarchiam Ecclesiasticam, Sedis Primatum, & S. Jacobi in Hispania Prædicationem, & Rom. Pontificum, qui octavo nonoque sæculo vixere, auctoritatem dignitatemque defendunt.

Pauca sane sunt, quæ Garsias de Illiberitano Concilio dederat: sed Fernandus de Mendoza Hispanus hujus Concilii defensionem suscepit; illudque ab erroribus eidem adscriptis satis feliciter vindicavit. Hujus rei causa luculentissimos Commentarios conscripsit in Canones, quos Clementi VIII. Papæ dedicavit, eundem precatus, ut doctrinam S. Sedis auctoritate confirmaret. Philippus II. qui tum erat Hispaniæ Rex, quique magnopere in hujus Concilii defensionem incumbebat, de Mendoza Opus imprimi jussit ann. 1594. quod cum fecisset eo consilio, ut Pontifici tantum Romano, Romanæque Aulæ Principibus inspiciendum daret, factum est, ut pauca admodum ejus exemplaria excuderentur, quæ voluit omnia dono dari, nullum venire. Liber igitur brevi tempore rarissimus evasit. Mox Emmanuel Gonzales celeberrimus Universitatis Salmanticæ Professor Notis Loaisæ, Binii, Albaspinæi, & Coriolani adjunxit suas; Volumenque edidit Lugduni ann. 1665. multis refertum erroribus. Hinc fortasse evenit, ut Labbæus Notas tantum de Mendoza daret, aliis omissis, quas nonnisi multo labore ac studio emendari antea oportebat. Cardinalis d' Aguirre non magni facit Chronica, quæ Auctores jactant Dexterum, Maximum, Helecam, Liberatum, Luitprandum, Julianum Perez, & Haubertum Hispalensem, cujus Nicolaus Antonius, magni nominis Auctor in Hispaniæ Bibliotheca, somnia & deliramenta refellit.

Initio Tomi primi habetur Compendium Epistolæ ab Antonio Augustino Archiepiscopo Tarraconensi conscriptæ de rebus, Episcopis, & Conciliis Cæsaraugustæ, Dialogus vigesimus hujus Auctoris de Conciliis Hispaniæ non impressis; epistola J. B. Perez de iisdem Conciliis, eorumque Chronologia a Concilio Illeberitano usque ad 18. Toletanum inclusive habitum anno Christi 712. Claudit agmen antiquus Pontificum Rom. Catalogus a S. Petro usque ad ann. 757. cujus temporis spatio habita fuerunt antiqua Hispaniæ Concilia. L. 1. Ad emend. Grat.

Secundus Tomus exhibet Concilia omnia in Hispania habita a sæculo fere quarto usque ad octavi initium, cum Dissertationibus & Notis, quibus illustrantur. Quod pro Decretalibus dixerat, id hic explicat intelligendum solummodo esse de præcipuis quibusdam rebus, quas continent, neque recedit ab illorum sententia, qui putant, quædam iis addita esse & adsuta a proposito aliena. Reddit rationem de pluribus Opusculis, & Epistolis, quæ in Conciliorum Synopsi promiserat, dedisseque, nisi eorum Mss. fuissent ad extremum corrupta & expuncta.

Tertius Tomus affert monumenta sacra, & Concilia Hispaniæ ab ann. Christi elapso 700. usque ad ann. 1500. in quibus plura sunt hic nunc primum impressa; veluti Acta Concilii Ovetani ann. circiter 873. Decreta Concilii Lugdunensis ann. 1012. Translatio S. Felices Æmiliani ann. 1053. de la Cogolla teste; Translatio S. Felicis ann. 1090. Epistola 14. Urbani II. ad Petrum Episcopum Escuanum ann. 1098. Synodus Brigantina ann. 1114. Concilium Palenciæ ann. 1129. habitum; Epistola Oldegarii Archiepiscopi Tarraconensis ad Papam Innocentium II. ann. 1131. Votum Ecclesiæ Valentinæ ditandæ a Jacobo Aragoniæ Rege factum, & persolutum; Jacobi Regis privilegium ann. 1242. quo Judæis Maurisque concedit, ut, retentis conservatisque bonis suis, fidem Catholicam amplectantur; Constitutiones Synodales Fr. Arnoldi de Peralta Episcopi Valentini ab ann. exacto 1261. usque ad 1273. Constitutiones Synodales Diœcesis Valentinæ, auctore Fr. Andræa de Albalato ann. 1255. Privilegium a Jacobo II. concessum Judæis & Saracenis ann. 1297. Concilium Toletanum ann. 1323. Concilium Complutense ann. 1325. Toletanum 1326. Constitutiones a Patriarcha factæ in Concilio Tarraconensi ann. 1331. Privilegium Petri II. Regis Valentini, quo Ecclesiasticos a vectigalibus eximit ann. 1349. Decretum Alphonsi Aragoniæ Regis, ne tempore Schismatis recipiantur Rescripta ann. 1442. Plura etiam sunt Opuscula, alias data, sed hic cum aliis Mss. collata. Afferuntur quoque Opuscula, Tractatus, Monumenta, ex pluribus auctoribus Hispanis Gallisque deducta, veluti ex Balutio, in ejus Libro inscripto *Marca Hispanica*, & in *Concordiæ* editione, non secus ac in editione Epistolarum Innocentii III. ex P. Mabillonii Diplomatica, & Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ex Ispino, ex Historia Sampire, ex diversis plurium Ecclesiarum Tabulariis, ex Ambrosio Morales, ex Joanne Brizio Martinezio in Historia Monasterii S. Joannis de Pinna in Aragonia, & ex Historia Brigantina. Explicat, quid sit Missalis Mozarabicus; & hujusce tertii voluminis initio dat Indicem Canonum & Conciliorum, quibus Ecclesia, præsertim Hispanica, ab ineunte fere sæculo sexto usque ad octavum constanter adhæsit. Idem Cardinalis vult, Indicem hunc eumdem esse cum Fulgentii Ferrandi Diaconi Indice. Dat Catalogum Rom. Pontificum a Saracenorum in Hispaniam facta irruptione, h. e. a Christi ann. 1215. usque ad Innocentium XII. item Catalogum Regum Hispaniæ ab eodem tempore usque ad Carolum II. ann. 1675. Tomo tertio dat quædam Acta Concilii Francofordiensis in Alemannia habiti ann. Christi 794. sub Adriano I. Papa, & Carolo magno Galliæ Rege, adversus Felicem & Elipandum. His Actis una tantum adjicitur Nota.

Tomus quartus continet Concilia Provincialia, in universa Hispania novoque Orbe celebrata ab ann. 1500. usque ad 1604. Inter ea, quæ Limæ habita sunt Toribii Mogrovеji tempore ab ann. 1582. usque ad 1606. quo prædictus Archiepiscopus

fus vita cessit, affert primum Concilium Provinciale inceptum jam ab anno 1582. & confirmatum ann. 1588. primum quidem Madriti ann. 1589. deinde Romæ iterum impressum cum aliis ejusdem Archiepiscopi Conciliis ann. 1673. sub Clemente X. cum Notis Francisci Haroldi Franciscani. Quod attinet ad novæ Hispaniæ Concilia, dat Concilium Provinciale Mexicanum habitum ann. 1585. Madriti impressum ann. 1621. iterumque Parisiis ann. 1672. in Labbæi Collectione: inter cætera monumenta affert Confirmationem Constitutionum S. Thomæ de Villa nova Archiepiscopi Valentini, Epitome Constitutionum Synodalium hujusce Ecclesiæ ab ann. 1200. usque ad 1580. quædam Operum Fragmenta illustrium Hispanici Regni Virorum, veluti Cardinalis Caraffæ, Antonii Augustini, aliorumque, & Elogia plurium præstantium Virorum, veluti Arias Montani, J. B. Perez, aliorumque. Ad quarti Tomi Præfationis finem fidem exolvit, qua promiserat se daturum Elogia insignium nationis suæ hominum, qui Conciliis Lateranensi & Tridentino interfuerunt, eaque recenser opuscula, in quæ Symbolam suam contulerunt. Affirmat, se nihil intentatum reliquisse, quo inveniret, inventaque daret Concilia Provincialia Ecclesiarum Portugalliæ, veluti Bracarense, de quo meminit sponte ad ann. 1565. §. 22. Eborense eodem tempore habitum, & Orationem Andreæ de Resenda habitam ad hujus Concilii Patres: irrita tamen cessit ejus omnis diligentia, sive quod hæc Monumenta nunquam fuerint impressa, sive quod fuerint impressa tantum lingua nationis, non autem Latina, sive quod non multa cura fuerint custodita. Hac ipsa de causa dare non potuit Concilia Provincialia eodem anno celebrata in Ecclesiis Metropolitanis Valentiæ, Cæsaraugustæ, & Granatæ. In sito Oratorum, Prælatorum Doctorumve Catalogo, qui Concilio Tridentino interfuerunt, observat, Melchiorem Canum Dominicanum, Samanticensem Theologum, in omnibus hujus Concilii editionibus fuisse prætermissum. Abest etiam a Labbæi collectione. In hoc postremo volumine habetur etiam Catalogus Prælatorum Ecclesiæ Mexicanæ, quæ instituta est ann. 1534. ex Clementis VII. Bulla, quam Cardinalis d'Aguirre paulo ante retulerat.

Collectio Francisci Haroldi. Franciscus Haroldus Franciscanus, ann. 1673. Romæ typis edidit, sub titulo *Lima Limata*, tria Concilia Provincialia Peruviana habita an. 1583. 1591. & 1601. cum Diœcæsanis numero decem, habitis Toribii Archiepiscopi Limani tempore, h. e. post ann. 1581. usque ad ann. 1606. cum Apparatu historico, in quo multa habentur de situ, directione, partibus, naturaque Indiæ Occidentalis, præsertim Peruvianæ regionis, & Urbis Provinciæque Limanæ. Plura ex his Opuscula absunt a Collectione Cardinalis d'Aguirre; ejusmodi sunt Approbationes Concilii primi Provincialis, Notæ in tria Concilia Provincialia, edita Toribii Alphonsi Mogrovesi, Pontificum Rom. Bullæ, Catechismi duo, parvus & magnus, Litaniæ pro commendatione animarum ad usum Indorum Peruvianorum, Rescripta Congregationis Interpretum Concilii Tridentini, & Bulla *in cœna Domini*.

Quod attinet ad Concilia memorata a Flavio Dextro, cujus Chronicon ferunt a Hieronymo Romano de la Higuera, aliisque Hispanis corruptum, ea sublestæ dubiæque fidei facit Nicolaus Antonius in sua Scriptorum Hispanorum Bibliotheca p. 311. Non est hic necessarium admonere, nullum Conciliorum, quæ in hac Collectione continentur, reperiri in Collectione Labbæi. Epistola dedicationis ad Cardinalem Nitardum, tota versatur in laudibus Caroli Quinti, Hispaniæ Regis hoc nomine Primi, qui, America detecta, ex parte Septemtrionis usque ad Mexicum, ex parte Meridici usque ad Peruvium Imperii sui fines amplificavit. Facit etiam mentionem honoris plenissimam de Toribio Hispano, in Regno Granatensi Fidei Inquisitore, & totius Americæ Meridionalis Metropolitano.

V.

Collectiones Conciliorum Angliæ.

Collectio Henrici Spelmanni. EDitio Conciliorum Angliæ, quam Henricus Spelmannus dedit, continet etiam Decreta, Leges, Constitutiones, quæ ad hujusce Regni Ecclesias pertinent. Primum ejus volumen, quod Londini prodiit ann. 1639. continet, quæ evenerunt in Britannia majore, Scotia, & Hibernia a primis Ecclesiæ sæculis usque ad Normannorum irruptionem, h. e. ab ann. 1066. quo memorati Populi Anglo-Saxones in ditionem suam redegerunt. Secundum volumen, quod prodiit ann. 1664. comprehendit, quæ contigerunt a Normannorum irruptione, & regnante Guillelmo, cui cognomen Victor, usque dum Henricus VIII. Supremam sibi in Ecclesia Anglicana potestatem usurpavit ann. 1531. Tertium volumen promiserat, ad ea pertinens, quæ in reformatis Angliæ Ecclesiis evenerunt; id tamen numquam prodiit in lucem.

Hujus Collectionis initio habetur Tabula, quæ Regum Anglo-Saxonum in septem Angliæ Regnis repræsentat. Crederet fortasse quispiam, quicquid primo Spelmanni volumine continetur, fuisse translatum in editionem Regiam ann. 1644. quemadmodum id videtur innuere Collectio hæc in Præfatione; atqui neque Concilium Londinense ann. 1070. habitum a Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, & extractum ex Libro 9. Histor. Polydori Virgilii, neque Epistola Eleutherii Papæ ad Lucium Britanniæ Regem, neque Vitæ S. Patricii, S. Gregorii, S. Augustini primi Cantuariensis Archiepiscopi, neque item Responsio Abbatis de Bonio ad Augustinum Monachum, aliaque Opuscula consequentia in illa apparent. Editiones igitur Regia & Labbæi non videntur adoptasse, nisi Concilia, Bullas Pontificium, & Regum Diplomata, quæ Ecclesiastica negotia respiciunt.

Secundus Tomus, vel secunda hujus Collectionis pars ann. 1664. impressa multa continet scitu dignissima Opuscula; inter cætera Fragmentum cujusdam antiqui Ms. in quo antiquorum Conciliorum in Anglia celebratorum ratio exponitur. Collectio Binii partem horum Conciliorum suppeditavit; reliqua deducta sunt, vel ex Mss. vel ex Angliæ Historicis, veluti ex Rogerio de Hoveden, Matthæo Paris, Guillelmo Maldunensi, Simeone de Dunelmo, aliisque Scriptoribus, qui Historias suas infinitis prope opusculis refersserunt, quorum pleraque publicam nondum lucem aspexerant, descripta ex antiquis Mss. quæ in variis Angliæ Bibliothecis servantur. Tomus hic secundus non solum constat ex Commentariis, quos post mortem Spelman reliquit. Crevit etiam insigniter ex industria & studio Dugdale, cujus eximiam doctrinam jamdiu prodiderunt *Monasticon Anglicanum*, aliaque ejusdem plura opera in lucem emissa. Prædictus Auctor plus dimidio auxit Collectionem Spelmanni, ut apparet ex Conciliorum Tabula, in quo signo distincta sunt, quæ Dugdale Spelmanno adjecit. Ubi Historici Angli de iisdem factis loquuti sunt, de quibus Binius, eorum secundæ hujus partis Auctor veluti compendium sæpe exhibet. Cossartius nonnullos in ea errores emendavit; hinc admonet, non esse confundendum, ut a Binio & Spelmanno factum est, Concilium Vindesorii cum Concilio Ventæ Belgarum habito ann. 1070. *Tom. 9. Conc. 1203.*

Duo hæc Conciliorum volumina satis evincunt, antequam Anglia ab Ecclesia Rom. se jungeretur, Ecclesiasticam Disciplinam in ea non secus ac in aliis orbis partibus floruisse; siquidem identidem celebrabantur Concilia, in quibus plures sunt constitutæ regulæ ad Cleri reformationem, & populorum sanctificationem accommodatissimæ: sed eorumdem Statutorum renovatio a variis Conciliis repetita, multarumque rerum alienarum commixtio cum eas ipsas regulas confusione replevisset, hominumque cognitioni fere penitus subduxisset, Guillelmus de Lindwood Anglus, Doctor Oxoniensis, magnus Metropolitanæ Sedis Cantuariensis Cancellarius, in compendia contulit statuta omnia, quæ condita fuerant in hac Provincia ab ann. 1222. usque ad ann. 1415. & in certos distribuit titulos *Collectio G. Lindwood.*

eodem

eodem modo, quo Tribonianus Imperatorum in Codicem, S. vero Raymundus Pontificum Rom. Jussa in Decretales coegerat. Collectio hæc Commentariis locupletata inscribitur, *Provinciale*, quia Conciliorum Provinciæ Cantuariensis statuta continet, h. e. Constitutiones quatuordecim Archiepiscoporum hujus Provinciæ a Stephano de Laugton usque ad Henricum Chichlejum: huic primo titulo mox adjectum est verbum, *vetus*, quo Regulæ ibi comprehensæ distinguerentur ab iis, quas Ecclesiæ Anglicanæ post exortum Schisma constituerunt. Collectionem hanc Ascensius Parisiis edidit ann. 1509. Editio altera prodiit Londini ann. 1557. in 8. sed quia hæc rarissima evaserat, Robertus Sharrock, Doctor Anglus, aliam editionem confecit Oxonii ann. 1663. in qua ex Commentariis Lindwood in hæc Statuta ea solum retinuit, quæ ad textus intelligentiam necessaria sibi visa, sunt. Argumenti similitudine ita exigente, huic Collectioni adjectæ sunt Constitutiones ann. 1236. a Cardinali Othone factæ, item aliæ ann. 1268. factæ a Cardinali Othobono, quas Papa miserat ad Ecclesiam Angliæ reformandam; quia vero duo hi Cardinales fuerant S. Sedis Legati, eorum Constitutiones appellatæ sunt, *Constitutiones Legatinæ*: harum in Anglia magna olim auctoritas fuerat: cum enim Regnum S. Sedis tributarium esset, supremam Pontificum eorumque legatorum potentiam agnoscebat & venerabatur. Amplissimi adjecti Commentarii Auctorem habent Joannem de Athona, qui exeunte sæculo XIII. floruit. Jam animadvertimus, hujus Collectionis Constitutiones eo tendere, ut comprobent quasdam Catholicas veritates, quæ præcipue sunt nostrorum ab Hæreticis dissidiorum causæ & argumenta, veluti præsentia realis Corporis & Sanguinis Jesus Christi sub specie panis, Confessio, Preces pro Defunctis, Imagines, aliaque.

Credas fortasse, librum inscriptum: *Synopsis Canonum Sanctorum Apostolorum & Conciliorum OEcumenicorum & provincialium ab Ecclesia Græca receptorum, nec non Conciliorum, decretorum, & legum Ecclesiæ Britannicæ & Anglo-Saxonicæ una cum Constitutionibus tam Provincialibus (scilicet a Stephano Langton ad Henricum Chichlejum) quam Legatinis & in compendium redactis a Laurentio Hovvel*, Londinique impressum ann. 1708. aliqua ex parte ad Conciliorum Collectiones referri; non alia tamen ex parte refertur, nisi ex eo, quod infidelitatis accusat Binium, Labbæum, aliosque nonnullos, quos contendit, vel mutilasse, vel male explicasse plures Canones, qui Romanæ Ecclesiæ doctrinam consuetudinemque ejus judicio condemnant. Postremum Conciliorum centum & sexaginta trium, quæ adducit, est Synodus Elyensis ann. 1526. De hac nulla mentio apud Labbæum, cujus volumen Constitutiones Othonis & Othoboni complectens desinit in Constitutiones Provinciales variis temporibus editas a tresdecim Archiepiscopis Cantuariensibus, quorum primus (Richardus) vivebat ann. 1171. ultimus vero (Henricus Chichlejus) Cantuariensem Sedem tenebat ann. 1414. Conciliorum, Bullarumque Pontificum numerus procul dubio augeretur, si *Anglia Sacra* VVarthonis duobus voluminibus distincta consuleretur. Ex. gr. ex ea habemus Synodum Vigorniensem ann. 1092. de qua nihil Labbæus.

Joannes Colgan Hibernus ex Ultoniæ Provincia, & S. Francisci Ordine, qui in Acta Sanctorum Hiberniæ duo dedit volumina, gloriabatur se plura habere Martyrologia & Concilia Hiberniæ, quæ octingentos & amplius annos ferebant. Bollandus & Henschenius, qui Colgan familiaritate utebantur, eadem persuadere conati sunt, ut initio statim publici juris faceret isthæc incognita monumenta, quibus, tanquam fundamentis, ejus Opus nitebatur: sed ea ad trutinam cum revocasset, sensit non tam remotæ esse antiquitatis, ut Criticorum censuras sustinere possent.

VI.

Collectio Conciliorum Germaniæ.

IN Gallia sub duarum priorum Stirpium Regibus Capitularia, de quibus diximus, conficiebantur in Conventibus generalibus, ex Clero Nobilibusque conflatis, quibus præerat Rex. Capitularia hæc annumerari possunt Decretis Conciliorum Germaniæ; siquidem in ea & recepta fuerunt, &, non secus ac in Gallia, & in Italia, optimam Disciplinam conservarunt; Conciliaque ipsa in summa haberi veneratione voluerunt. Joannes IX. Papa ab Imperatore Lamberto, ejusque successoribus Capitularium Confirmationem postulavit: Germani, licet a Gallis sejuncti, una cum nomine, etiam Leges, quas ab ipsis acceperant, custodierunt summa religione, usque ad Othonum tempora: quibus demum Capitularia non solum nomen, sed etiam auctoritatem amiserunt. Courigius, miserabilem hujus Ecclesiæ Statum Burchardi Episco- *L. de Orig.* pi Vormaciensis tempore graviter conquestus, asse- *Juris Germ. c. 19.* rit, id evenisse ex contemptu Legum Canonicarum, & ex neglectis Collectionibus Ansegisi, & Benedicti Diaconi, in quibus Caroli Magni, & Ludovici Pii Constitutiones continentur. Beatus Rhenanus in lib. 2. Histor. Germ. plures excerpsit Articulos ex Codice Legum Galliæ, cujus antiqua exemplaria in variis Bibliothecis haberi dicit. Hunc Amerpachius in lucem dedit ann. 1545. Ingolstadii.

In secunda Parte secundi Tomi Antiquitatum Germaniæ, Francofurti ann. 1606. cura Melchioris Goldast editi, habemus Canones antiquæ Ecclesiæ Germaniæ, quos Remedius Episcopus Curiæ eduxit ex epistolis Rom. Pontificum, jussu Caroli Magni, Gallorum Germanorumque Regis.

Plura item reperiri possunt Germaniæ Concilia in Collectione Constitutionum Imperialium Goldast tom. 1. p. 18. 19. 154. 195. 210. 217. & alibi.

In Præfatione, quam Leibnitius præmisit Supplemento Codicis sui de Jure Gentium, observat, „ dudum miratos esse doctos, neminem ha„ ctenus aggressum edere Concilia Germaniæ, „ cum in Gallicis Sirmondus, in Anglicis Spel„ mannus, novissime etiam in Hispanicis Cardi„ nalis Aguirrius laudabili exemplo præissent, ha„ beamusque nos magnam, si quis inquirat, ho„ rum segetem, & duo generalia (qualia nec His„ pani nec Angli) nempe Constantiense & Basi„ leense; nisi quis tertium Tridentinum addere „ malit, & supparem his auctoritate Synodum „ Francofurtensem Nicænæ illi secundæ opposi„ tam, quæ hinc in Occidentis magna parte re„ probata, nunc quod mireris, a quibusdam pro „ oecumenica habetur, vel sola Metropolis Mo„ guntina (quam insigni collecto apparatu illustra„ re voluerat Joannes Gamansius ex Societate „ Jesu) quam multa daret digna quæ ab interitu „ vindicentur, cum majorem Germaniæ partem „ ipsi Provinciam esse constet. „

Nicolaus Serarius, qui Moguntinam Historiam *Collectio Con-* edidit anni 1604. ex professo agit de Conciliis in *ciliorum Mo-* hac Metropoli habitis, quorum viginti tria addu- *guntinorum.* cit. Non est hic necessarium de iis verba facere, quæ PP. Labbæus & Cossartius dedere in Collectionibus suis; placet tamen admonere, a prædictis Collectoribus quædam ex iis fuisse omissa, quæ a Serario memorantur, sive quod ea locis a Serario citatis non invenerint, sive quod non magnopere facienda putaverint, sive aliis de causis, quæ nos latent. Ejusmodi sunt, Concilium Moguntinum ab Arnoldo Archiepiscopo ann. 1159. celebratum adversus Simoniam, aliaque Clericorum vitia, & audacia turbatum quorumdam hominum furiosorum, qui in Concilium districtis gladiis irruperunt; item Concilium 19. quod affert ann. 1327. Matthiæ tempore; ac demum Concilium 21. quod confert in ann. 1451. tempore Theodorici secundi.

Eodem consilio, quo Polycarpus Lyserus volebat in lucem dare Statuta Provincialia Moguntina ann. 1310. composuit Dissertationem Helmestadii impres-

impressam, in qua hujusce Concilii, aliorumque ejusdem temporis historiam conficit. In hac plura citat, Seratio, & Labbæo ignota; veritatem perpendit eorum, quæ sibi nota attulerunt; causas demum adducit, cur nonnulla inter Concilia Supposititia putaverit amandanda.

Etiam Joannes Andræas Schmid de iisdem Conciliis peculiarem edidit Dissertationem.

Sed Georgius Christianus Joannis filius, qui Serarii Moguntinam Historiam, quæque ad illam pertinent, iterum edidit ann. 1722. in sua Præfatione rationem reddit de quibusdam hujusce Metropolis Conciliis, & Collectionibus, in quibus reperiuntur: inter cætera loquitur de Decretis Concilii Maguntini ann. 1318. habiti, deque Definitionibus Concilii Provincialis Asciburgensis ann. 1440. Omnia sunt edita inter Notas, quas fecit in Dissertationem Schmid de Conciliis Maguntinis.

Observandum est, in pluribus Historicis reperiri Concilia Maguntina alio nomine citata, veluti nomine Triburiensis ann. 895. Selgenstadii ann. 1022. Asciburgensis ann. 1292. etiam nomine generali Germaniæ; cujusmodi est *Germanicum* ann. 1225.

ARTICULUS III.

De Summis vel Compendiis Conciliorum.

QUI penitus scire cupit, quæcumque in Conciliis evenerunt, vel decisa sunt, consulat oportet Collectiones, de quibus hactenus dixi, earumque peculiares editiones, quæ identidem prodierunt. Cum autem infinitum propo sit, eas numerando omnes singillatim recensere, percurram ego hoc loco aliquot summas, quæ in Compendium redegerunt, quæ præstantiora in Conciliis sunt, & aliquam eorumdem cognitionem posteris reliquerunt. Initio statim loquar de Summis, quæ omnia Concilia continent ab Ecclesiæ incunabulis habita: præterea de his, quæ plurium Conciliorum compendia tantum conficiunt, sive ea generalia sint, sive particularia.

Summa Carranza. Bartholomæus Carranza Hispanus ord. Predic. mortuus ann. 1576. juxta Aubertum le Mire, & Patrem Echardum, in Hispania Summam confecit, quæ Concilia omnia, & Pontifices a S. Petro usque ad Julium III. comprehendit. Hujus plures extitere editiones; Veneta ann. 1546. in 8. Antuerpiæ 1564. Lugdunensis 1602. Echerdus ait, omnium locupletissimam & emendatissimam esse editionem Lovanii ann. 1681. in 4. editio Parisiensis apud Robertum Chevillon ann. 1677. in 8. continet nonnulla Ecclesiæ Parisiensis, & Senonensis Synodalia Statuta; Appendicem Conciliorum Galliæ, quæ sunt in Sirmondi Collectione; Notas Francisci du Bois, qui, cste Sylvio, loca difficilia explanant; item alias criticas notas, quæ in Præfatione reperientur. Ex cadunt in Canones Apostolis tributos, qui tamen probantur non esse Apostolorum; in Epistolas Rom. Pontificum a S. Clemente usque ad Siricium, quæ reputantur fictitiæ; in Librum Damasi Pontificalem, cui parum auctoritatis confertur; in Canones demum Concilii primi Nicæni: quos deinde sequitur Additio Francisci Loy. Mirum sane est, in editione Parisiis facta prætermissas fuisse Dissertationes Præliminares in Concilia, in quibus Auctor agit de eorumdem institutione, utilitate, & necessitate, de eo, a quo sunt convocanda, de personis, quæ convocandæ sunt; præterea probat, Papam supra Concilium esse; ab ejus auctoritate decisionum auctoritatem pendere; decreta esse certa & indubitata, statim ac a Papa confirmata fuerint. Ejus methodus in eo consistit, ut indicet Concilii nomen, & locum, quem tenere debet, ubi plura ejusdem nominis Concilia occurrunt; tempus, quo quodque celebratum fuit; numerum Episcoporum, qui interfuerunt, & Canones in compendium redactos. Notæ ad marginem positæ sunt citationes Decreti Gratianæi, vel alia Concilia, vel aliquando epitome eorum, quæ in textu habentur.

Quod attinet ad errores in Summam irreptos, huic quidam illud objecere, quod Concilio primo Arausicano tribuerit Canones de libero arbitrio; qui tantum ad secundum pertinent. Qua tamen de re accusandus non est; siquidem in Epoca tantum deceptus est Concilii secundi Arausicani, quod affert Leonis I. Papæ tempore. Prætermisit Concilii Calcedonensis Canonem undecimum, quo promittuntur epistolæ Communionis, non Commendationis, pauperibus iis, qui longam peregrinationem susceperint; huic Concilio dat Canones tantum 26. Concilium Illiberitanum Nicæno postponit. P. Coriolanus ait, omitti ab ipso nonnulla Concilia, & Opuscula huic Collectionum generi necessaria.

Possevinus non negat, *alicubi lapsum esse in sua Conciliorum summa*. Inter cætera lapsus est in eo, quod Conciliabulo Constantinopolitano ann. 754. habito dederit nomen Conciliabuli Ephesini, ex eo fortasse, quod Theodosius falso vocatus Episcopus Ephesinus eidem præfuerit. Loquens enim de tribus Episcopis, h. e. Basilio Ancyrano, Theodoro Myrensi, & Theodosio Ammorii in Phrygia, qui Concilio secundo Nicæno sessione prima professi sunt, se Iconoclastarum hæresim condemnare, vehementerque dolere, quod impii Copronymi Conciliabulo subscripsissent, inquit, *venisse in Concilium tres Episcopos ex Conciliabulo Ephesino*. Sixtus Senensis sanctæ Bibliothecæ Auctor in eundem errorem prolapsus est. *Appar. Sacr. Tom. 1.* *Lib. 5. Annot. 247.*

Bellarminus pariter Carranzam reprehendit, falso affirmantem, Canone 82. Concilii sexti generalis vetari, ne Jesus Christus sub Agni, Spiritus Sanctus sub Columbæ forma repræsentetur. Id enim, inquit ille, a veritate alienum est; siquidem Imagines non prohibentur a sexto Concilio, quod figuris omnibus tantum eam anteponit, quæ Christum humana forma exhibet. Nam quod Summista ait, præsente veritate, figuras esse destruendas, id contra ipsum facit: hæ enim Imagines, quarum in Vetere Testamento nullus erat usus, post Christi Domini adventum esse cœperunt. Porro S. Joannis verba, *Ecce Agnus Dei*, Jesum Christum sub agni figura repræsentandi occasionem dederunt: Spiritus Sanctus vero in columbæ speciem dipingitur, quod hac specie in Jesum Christum descenderit. Sed Carranza deceptus est tenore ipso Canonis 82. qui non integer habetur in sexto Concilio; poterat tamen consulere Concilium septimum, ubi integer sæpe affertur. *Tom. 1. Contr. 7. l. 2. c. 8.* *Joann. 1. 29.* *Matth. 3.*

Licet autem hic Carranzæ error in editione Genevensi ann. 1600. deprehensus fuerit, non tamen sublatus fuit ab editionibus sequentibus, eademque verba leguntur etiam in editione ann. 1677.

Summa Contareni. Inter antiquiores Conciliorum Summas referenda est Gasparis Contareni Summa; quam Cardinalis Auctor Paulo III. dedicavit hoc titulo: *Conciliorum magis illustrium Summa*. Post hujusce Pontificis mortem impressa fuit Florentiæ ann. 1553. ac deinde multis aliis in locis. Laudat Auctor Paulum III. ex eo, quod Concilium generale & OEcumenicum Tridentinum coegerit, cujus felicem exitum augurabatur; hincque potissimum se profitetur adductum, ut in studium Conciliorum incumberet; *& a Græcis Latinisque Auctoribus Summam quandam colligeret*. In qua cum videatur ordinem sequutus, quem Isidorus in sua Collectione tenuerat; aliquando etiam observat, in quo isthæc differat a MSS. ex. gr. præter quinquaginta Canones Apostolorum, quos Isidorus adduxit, alios triginta quinque exhibent MSS. Græca; Contarenus duo insuper citat, Vaticanum, & Venetum: admonet etiam, Apostolorum Canones fuisse latine translatos a Germano, & in Germania impressos post Librum Autenticarum Imperatoris Justiniani; eos a sexto Concilio fuisse reprobatos, tanquam ab Hæreticis corruptos; verba illa; *a me Petro*, adjecta Canoni 29. ubi agitur de Simonia, & Simone Mago, ab Isidoro abesse: præterea ad finem Canonis 85. MSS. Græca mentionem facere de quibusdam aliis Canonibus a S. Clemente missis. Observat; a Græcis appellatas OEcumenicas eas Synodos, *in quibus Græci Latinique pariter convenere*; Concilium Nicænum fuisse sub Silvestro indictum; ejusdem Decreta fuisse condita sub Julio I. quod non ita facile conciliari potest cum Statutis Concilii Nicæni memoratis

Salmon Concil.

ratis in Concilio secundo Arelatensi, quod finem habuit sub Julio Papa, Putat, Platonis *σύσημα*, quod plerique illius ætatis sapientes viri sequebantur, ad Arrianismi propagationem non mediocriter contulisse. Quod attinet ad Canonem decimum Concilii primi Arelatensis, in quo dicitur, eos, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, exhortandos esse, ut iis viventibus, aliis ne nubant; concludit, eo tempore nonnullos in ea fuisse opinione, ut crederent, posse se aliam ducere, priore propter adulterium dimissa; citatque explicationem Epistolæ ad Corinthios, D. Ambrosio attributam, licet Magister sententiarum asserat, citatum Patris locum a Falsariis fuisse corruptum. L. 4. Distinct. 35. Auctores, qui Sardicam in Illyrio collocant, putat conciliari posse cum iis, qui eandem Daciæ Metropolim faciunt prope Danubium positam, Illyrici fines usque ad Danubium protendentes. Præter sex Canones, qui sunt in Concilio Constantinopolitano juxta Isidorum, alios duos animadvertit in Græco exemplari. Horum ultimus, qui de recipiendis Hæreticis est, sibi dignissimus observatione videtur. Pluribus is innititur locis in Historiam Tripartitam Cassiodori, & loquitur de Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, quæ recitata & approbata in Concilio Ephesino fuit. Epistola hæc, quam ab Isidoro desumpsit, quæque omnia hujus Concilii Decreta continet, sub finem notat, Spiritum Sanctum *προχεῖν*, *seu profluere a Filio sicut a Patre* hinc, ut Græcis respondeat Latinos accusantibus, quod addiderint particulam *Filioque*, & ipso Græco exemplari ostendit, nihil ab Ecclesia Latina in hoc fuisse attentatum: *Cum enim* (sic habetur in Exemplari Græco) *lectum fuisset Symbolum Fidei compositum a Theodoro Mopsuestiæ & Carisio Presbytero Philadelphiæ, in quo blasphemiæ hæreticorum continebantur, fuit a Synodo statutum, nulli licere aliam fidem proferre, aut scribere, aut componere ab ea, quam ter centum & decem octo Patres in Nicæa composuerant.* Observat Concilii Calcedonensis Canone 15. vetari, ne ordinetur Diaconissa ante annum ætatis suæ quadragesimum, prius tamen diligenter examinata, eadem excommunicationis pœnam subitura, si, cum Ecclesiæ aliquandiu inservierit, matrimonio se conjunxerit. Verbum *anathematizatus* explicat *devotus diris & execrationibus*; non omittit Canonem 16. quo Virginibus Deo dicatis, Monachisque nuptiæ interdicuntur; qui secus fecerint, excommunicationem incurrent; quæ ipsis pœna ab Episcopis vel remittetur, vel imminuetur, prout iis videbitur.

Auctor, cujus ego summam perpendo, numerat octo Synodos Africanos ante Concilium Calcedonense celebratos; h. e. septem Carthaginienses, & unum Milevitanum. Putat, D. Augustinum omnibus interfuisse. Inter cæteros Canones, qui conditi fuerunt, quique magna ex parte in Decretales illati sunt, Canon de Continentia Clericorum, qui ad Sacros Ordines promoventur, insignis maxime & perantiquus ipsi videtur. Observat, disputationem inter Ecclesias Africanam & Romanam de provocatione ad Papam, sub Zosimo exortam; sub Bonifacio deinde, & Cælestino condita fuisse decreta contra S. Sedis auctoritatem; dissidium hoc viguisse usque ad Bonifacium II. quo demum tempore Ecclesia Carthaginiensis Aurelii Primatis Africæ & Episcopi Carthaginis, ejusque antecessorum Decreta damnavit, seque subdidit Bonifacio: Bonifacius Aurelii Decretum misit Eulalio Episcopo Alexandrino, una cum exemplari Epistolarum Episcopi Africani. Opuscula hæc omnia in suam Collectionem Isidorus contulit. Ex 13. Conciliis Toletanis, quæ antiquus hic Collector coegerat, tertium est admodum insigne Recaredi Gothorum Regis conversione, eidemque facta acclamatione, *Salus Regi Catholico*; ex quibus verbis probabile est hunc honoris titulum Hispaniæ Reges sibi assumpsisse. Tertium Toletani quarti Caput modum affert, quo Concilia Provincialia celebrantur; in hoc cogebantur Judæi, ut Christiani permanerent, licet ad Ecclesiam vi compulsi fuissent, regnante Sisebutio. Tertium Concilii decimi Toletani Caput unius anni spatio eos a Communione sejungit, qui consanguineos, vel Amicos ad Ordines gratia & favore promoverint. Alii vero contendunt, Canone hoc tertio damnari eos, qui necessariis suis Parochiales Ecclesias, vel Monasteria libenter dabant, ut eorum reditibus ipsi potirentur. Ex Canone 48. Concilii Illiberitani, de quo aliquanto serius loquitur Summista noster observat, in pluribus Ecclesiis eam consuetudinem obtinuisse, qua Presbyteri & Clerici baptizatorum pedes lavabant; de ea D. Ambrosius in libro de Sacramentis loquitur, tanquam de cæremonia, quæ Mediolani suo tempore obtinebat; idemque ostendit, hanc ipsam nunquam in Ecclesia Romana extitisse. Licet Concilii Bracarensis Decretum, quo sepulchra ab Ecclesiis removebantur, æquissimum esset, tamen in disuetudinem abiit. Habetur hic etiam mos, quo Populus ab Episcopis & Presbyteris salutabatur his verbis; *Dominus vobiscum*; quibus respondebatur: *& cum spiritu tuo*.

Idem Cardinalis, de Concilio sexto loquens, affirmat, *Honorium Monothelitarum heresi favisse; ideoque existimat, ejus nomen non fuisse descriptum in Catalogo Pontificum; hi enim omnes, eorumque Sectatores a Synodo damnati sunt*. Inquit, Concilium Constantinopolitanum habitum ann. 692. paucis annis post sextum Concilium, fuisse appellatum Quinisextum, propter Concilia OEcumenica quintum & sextum, quorum hoc proprie supplementum est, præsertim quoad Canones disciplinæ; ex hac eadem ratione appellat etiam Græce *Penthecte*. Caput primum continet approbationem eorum, quæ in sex primis Generalibus Conciliis peracta sunt, & damnationem earum personarum, quæ in illo condemnatæ fuerant. Secundum, præter Canones & Concilia Provincialia, quæ recepta sunt; & quorum multa etiam ab universa Ecclesia sunt adoptata, continet Regulas SS. Patrum, qui de Fidei Dogmatibus pertractarunt; præsertim S. Cypriani, ejusque Concilii. Cardinalis Contarenus Concilii Quinisexti Patres defendit, quos, ut Ecclesiæ unitatem, quoad fieri possent, conservarent, noluisse ait Concilium hoc aperte improbare, sed tantummodo indicare voluisse, quæ nonnisi in Africa obtinebant. Alius Canon Africæ Lubiæque Episcopos, lege cælibatus obstringit, ne scandalum præbeant. Decimus tertius prohibet, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconosve a suis uxoribus separari, continentesque esse, antequam ordinentur, ostenditque, in Ecclesia Romana aliter obtinuisse. Quinquagesimus quartus inhibet, ne Avunculi sui filia ducatur; item ne Pater filiusve Matrem Filiamve, vel duas sorores ducat; indicta iis, qui secus fecerint, septem annorum pœnitentia. Sed hic usus penitus exolevit, neque habetur ratio, nisi primæ, non autem secundæ, vel tertiæ affinitatis. Quinquagesimus quintus vult, eum Canonem, quo jejunium Sabbato & Dominica die prohibetur, habere locum in Ecclesia Romana non secus atque in aliis; ab hac tamen Ecclesia non est receptus. Sed neque tota Paschatis hebdomada sub una eademque solemnitate celebratur, ut jubet Canon 66. quem tamen alii intelligunt de precibus per totam hanc hebdomadam faciendis. Laudat Canones 80. & 100. quorum ille est contra eos, tam clericos, quam Laicos, qui per tres successivas Dominicas, nulla cogente necessitate, a suis Ecclesiis recedunt; hic vero lascivas Picturas exulare vult: *quem abusum certe magnum* queritur Auctor, suis etiam temporibus viguisse. Ex Canonibus 102. & ultimo ait deduci posse argumentum pro Confessione, licet absolute possint de Pœnitentiis publicis intelligi; sed argumentorum omnium fortissimum est antiquissima totius Græciæ consuetudo. Loquens de quarto Concilio Lateranensi ait, permissum ab eo fuisse in secundo & tertio affinitatis genere matrimonium; gradusque, in quibus prohibetur, quarto consanguinitatis gradu definiri. Ann. 793. affert secundum Concilium Nicænum, coactum ad finem ann. 787. notatque duos hujus Concilii Canones; septimum, qui jubet, dum Preces ordinariæ recitantur, Reliquias Sanctorum collocari in iis Templis, quæ absque Reliquiis consecrata fuerunt, prohibetque depositionis pœna intentata, ne Episcopi Templum ullum sine Reliquiis in posterum consecrent; & nonum, qui in Patriarchæ

Con-

Constantinopolitani Palatio vult una cum Hæreticorum Libris concludi opera omnia, contra Imagines conscripta. Meminit Conciliorum Constantiensis & Basileensis, relato prius tanquam 8. OEcumenico Constantinopolitano ann. 868. celebrato. Hoc vero coegerunt Orientis turbæ tum Photii ambitione, tum incontinentia excitatæ Imperatoris Michaelis, ejusque Avi Bardas, qui uxori suæ repudium miserat, ut neptem duceret. Nonum OEcumenicum Florentinum facit: concluditque allato quinto Lateranensi, de quo nihil dicit, quia Paulus III. Papa, cui hanc summam dedicat, eidem interfuerat. Atque hæc sunt in hac summa præcipua. Ejus porro animadversiones, quemadmodum magna ex parte multa sapientia instructæ sunt, ita eo libentius in medium adduxi, quo magis id confirmant quod superius dixi, videlicet Conciliorum studio Ecclesiæ dogma, mores, & Disciplinam magnopere illustrari. Illud dici potest, hanc Conciliorum insigniorum Historiam, licet admodum compendiariam, valde tamen nitidam esse & illustrem.

Summa Sagittarii. Joannes Sagittarius Burdegalensis summam dedit, sive Compendium Conciliorum medio sæculo sexto Basileæ per Joannem Oporinum. Quemadmodum Concilia Crabbe Coloniæ imperfecta, ex quibus Sagittarius Compendium suum concinnavit, Imperatori Carolo V. dedicata fuerant, ita hic opus suum dicavit Joanni, cui cognomentum *Mirabilis*, homini multæ scientiæ, multæque in agendis rebus experientiæ. Contulit Auctor consilium suum cum Joanne Oporino, qui illud approbavit, misitque summam Conciliorum a Carranza fortasse compositam, & Venetiis impressam. Hanc Sagittarius contulit cum opere suo, deprehenditque summistam illum non fuisse ea fide, quæ in Conciliorum Abbreviatore requiri debet, non attulisse accurate eorum statuta, integra Concilia omisisse, omisisse Canones, vel etiam detruncasse, in eo demum diligentiam suam fere omnem collocasse, ut Pontificum Rom. Decretales colligeret; quæ cum in Conciliorum Canonibus jam reperiantur, parum utilis juxta sagittarium ejus omnis extitit labor. Magnum præterea emendavit errorum numerum, qui Typographi incuria in summam a se ipso examinatam irrepserant. Suis quæque locis Concilia attullit, quorum aliquot extra ordinem hactenus fuerant; adjecit Canones Apostolorum, interprete Gregorio Haloandro, & Concilium ab Apostolis habitum in causa legalium cæremoniarum, ut cæterorum, quæ habenda erant, norma & exemplar esset. Ex iis igitur, quæ tribus Crabbe Tomis continentur, ea selegit, quæ sibi magis necessaria visa sunt. In Catalogo, quem exhibet, Conciliorum Generalium, decem recenset a Nicæno usque ad Florentinum. Inter Concilia, quorum Canones Græce habentur, cum duabus interpretationibus impressi in Collectionibus, quæ suam præcedunt, collocat Canones Apostolorum, Concilia Ancyræ, Neocæsareæ, primum Nicænum, Gangrense, Antiochenum, Sardicense, Laodicænum, primum Constantinopolitanum, & Calcedonense; adjici possent Ephesinum, Carthaginiense, Constantinopolitanum in *Trullo*, & Nicænum secundum. Inter ea vero, quorum Canones juxta tres interpretationes impressi sunt, non affert nisi falsum Concilium Romanum, quod secundum vocat sub Sylvestro habitum: ex his omnibus interpretationibus unam conficit, omissis aliis, longisque Præfationibus, opusculisve quibusdam præparatoriis. Prætermissis quoque Episcoporum subscriptionibus, notat tantummodo eorum numerum, qui interfuerunt. Concilia, quorum nulli Canones extant, quorumque Catalogum dat, sunt Carthaginiense pro rebaptizandis hæreticis, Romanum, quod est tertium sub Julio I. habitum ann. 342. primum Coloniense, *Agrippinense* dictum, primum Jerosolymitanum, Romanum, quod est quartum sub Hilario Papa ann. 465. Romanum quartum sub Symmacho, quod Labbæo tertium est ann. 501. secundum Jerosolymitanum sub Agapito I. ann. 536. secundum Parisiense ann. 555. secundum Anglicanum 680. Ferrariense, & Florentinum. Nihil dedit ex Conciliis Provincialibus, quæ Selginstadii Concilium excipiunt ann. 1021. sub Benedicto VIII. & Oxoniense sub Honorio III. ann. 1222.

Summa F. Coriolani. Summa Francisci Longi ex Coriolis Capucini, Sæculi 17. Auctoris est Carranzæ Collectione diffusio. Ea continet Concilia, & seriem Pontificum a S. Petro usque ad Gregorium XV. Hujus Libri initio habentur plura dogmata libertati Ecclesiæ Gallicanæ contraria; quod sane mirandum est in Editione Operis Parisiis impressi, & a Doctore Facultatis Theologicæ Parisiensis recogniti. Prætermisit in hac summa 4. 13. 14. 15. 16. 17. 21. 23. 24. 25. 26. 28. & 29. Canones Concilii Arausicani habiti ann. 441. Summa hæc edita fuit Parisiis ann. 1645. per Ludovicum Bail Doctorem Theologiæ, & sub-Pænitentiarium Parisiensem. Habet hæc Editio, præter correctiones plures, centum Galliæ Concilia, & quædam alia, velut additamenta, cum quibusdam Notis ad finem Operis. Extat in ea etiam supplementum, quo continentur plura Concilia, Avenionense ann. 1282. Decreta Concilii Machliniensis ann. 1570. aliud habitum 1607. aliud item a Schismaticis celebratum Træzenis Peloponnesi urbe ann. 1177. aliud Barygasæ ann. 1584. aliud Diacuperæ Indiæ Orientalis urbe ann. 1599. Fragmenta quorumdam Africæ Conciliorum, quorum tempus ignoratur; Limanum ann. 1583. Mexicanum ann. 1585. Narbonense, & Provinciæ Arelatensis ann. 450. aliud Provinciæ Senonensis Meloduni ann. 1299. plura Provinciæ Senonensis Parisiis habita ann. 1314. 1323. 1428. vel 1429. juxta Labbæum. Aliud Senonense ann. 1269. Rothomagense ann. 1095. aliud ad insulam bonam ann. 1080. vel 1081. aliud Rothomagense ann. 1095. aliud ad Pontem Audemer ann. 1279. aliud ad Sanctam Mariam Dupré, hodie *Bonne-nouvelle*, in urbe Rothomagensi ann. 1299. Horum Conciliorum tria, scilicet Træzenis, Barygasæ, & Limæ, in Labbæo, & Harduino desunt. Mexicanum & Limanum extant in Collectione Cardinalis d' Aguirre. Concilium Barygasæ Bail desumpsit ex Libro, qui inscribitur, Historia de progressu Ecclesiæ Orientalis per Augustinianos, Tolosæ edita ann. 1641. a P. S. Martin ex Ordine Augustinianorum. Concilia hæc omnia intulit in editionem, quem dedit anno 1659.

Aubertus le Mire, qui Longum a Coriolis inter Scriptores sæculi 17. collocat multo potiore jure, quam P. Alexander, qui eundem inter Scriptores sæculi 16. refert, ejus librum putat potius Historiæ Ecclesiasticæ, quam Canonum Compendium. Ea, quæ huic Capucino objiciuntur, hæc fere sunt. Primum asserit, Ecclesiam Romanam ex SS. Petri & Pauli traditione jejunium Sabbati accepisse; quod accipi non potest de omnibus anni Sabbatis, juxta Pagii interpretationem. Concilium Sardicense appellat generale, idque existimat tanquam Concilii Nicæni Appendicem: generale tamen nequaquam fuisse probat Tillemontius tom. 8. Surreptitium dicit 27. Canonem Concilii Calcedonensis, & a S. Leone condemnatum: in hoc tamen non omnes conveniunt. Concilium habitum ann. 742. S. Bonifacii auctoritate, vult celebratum Ausburgi, cum revera fuerit Ratisbonæ. Secundum eundem Concilium Constantiense ex parte approbatum fuit; Richerus tamen contendit, per omnia Martinum V. probasse. *Critic. ad ann. 55.*

In Bibliothecarum Catalogis citatur Epitome Conciliorum per Dan. Angelocratorem edita Francofurti ann. 1620. in 4. nihil tamen peculiare habet.

Summa Ludovici Bail. Ludovicus Bail Doctor Facultatis Theologicæ Parisiensis, & Ecclesiæ Metropolitanæ sub-Pænitentiarius summam Conciliorum dedit ad Collectiones Merlini, Joverii, Baronii, Binii, Coriolani, Sirmondi, aliorumque, & ad nonnulla MSS. elaboratam. Prima ejus editio est ann. 1645. secunda ann. 1650. quæ locupletior. Atque isthæc in sex classes dividitur; quarum tres primo tomo, reliquæ secundo continentur. Primæ tres Classes sunt Concilia Veteris Testamenti, quæque in Oriente celebrata fuerunt; & Generalia in Occidente habita. Reliquæ tres classes secundo tomo comprehensæ, continent Provincialia primis sex Ecclesiæ sæculis habita, nonnulla Galliæ aliarumque regio-

Salmon Concil. I 2

regionum post primam hujus summæ editionem deprehensa, & addita a Summista, quædam Pontificum Rom. Decreta, & Synodos Diœcesanas. Prima Classis Conciliorum Veteris Testamenti novæ inventionis est, nunquam antea ab ullo suscepta. Quod attinet ad Operis ordinem & dispositionem, id incipit ab Apparatu inscripto, *de Triplici Verbo Dei*, h. e. de Scriptura, de Traditionibus, & de Conciliis generatim. Ejus Præfatio id sibi videtur proposuisse, ut perversam de Casuistis Moralibus opinionem, quam Epistolæ Provinciales excitarunt, imminuat. Cum temporum Hystoria dat historiam etiam Hæreticorum, ex. gr. Lutheri, ejusque Propositionum, quas Facultas Theologica Parisiensis damnavit: exhibet censuras Baji & Jansenii, eorumque sententias refellit. Primus Tomus desinit in Concilium Tridentinum. Sexta classe, quæ est secundi tomi postrema, habentur Statuta Synodalia. Ea pertinent ad Diœcesim Tullensem ann. 1658. & Bisontionis ann. 1648.

Synopsis Conciliorum a Joanne Prideaux Oxonii edita 1651. in 4. nihil habet, quod nos diutius detineat.

Epitome Starovolscii. Simon Starovolscius 26. Libris dedit Epitomem Conciliorum Generalium & Provincialium, in Ecclesia Græca & Latina habitorum, & Decretales Pontificum usque ad Innocentium X. Hoc Opus, in quo res ordine temporum distributæ sunt, & Concilia sub Pontificatu, quo sunt habita, collocata, fuit impressum Romæ ann. 1653. in fol. De hoc ita sensit Labbæus in historica Conciliorum Synopsi: *Synodos Polonicas si excipias, Epitome Conciliorum Simeonis Starovolscii omnino carere poterat Respublica litteraria; cætera enim aut aliunde transcripta etiam cum mendis, aut si quæ de suo adjicit, trivialia sunt, nulliusque pretii.*

Synopsis P. Labbei. Labbæus, ut suæ Conciliorum Collectionis specimen daret, Synopsim confecit Parisiis editam ann. 1661. in 4. Cum supplere vellet, quæ decerant Regiæ Collectioni, collegit Concilia, Epistolas, Acta Pontificum, Episcoporum, aliorumque, & Opuscula ad Concilia, & Ecclesiasticam Historiam unice spectantia, quæ in pluribus dispersa Collectionibus erant, veluti Junii, Sirmondi, P. Cellori, d' Achery, Bail, & in Historiis & Chronicis; & signo quodam distinxit, quæ in suam Collectionem de novo inserere meditabatur. In 237. articulos, quibus comprehenduntur 237. Pontifices, qui a S. Petro usque ad Alexandrum VII. Ecclesiam administrarunt, distribuit Concilia & Monumenta, quæ hujusmodi collectione digna visa sunt, connotatque MSS. & Bibliothecas, unde hæc monumenta deduxit. Tres hic habentur Indices Alphabetici; quorum unus omnia exhibet genera Conciliorum; ubi etiam notat, quæ ejusdem nominis fuit, juxta ordinem Chronologicum; alter Pontificum Rom. Seriem offert. Addit notitiam Geographicam Regnorum, Provinciarum, Urbium, cæterorumque locorum, in quibus celebrata Concilia fuerunt. Dat præterea, tanquam Appendicem, Seriem Conciliorum Provincialium, quæ paulo ante, vel post Concilium Tridentinum habita sunt: deinde Catalogum Synodorum Diœcesanarum post sæculum XII. usque ad ann. 1660. tandem Tabulam Conciliorum, quæ adjici adhuc possent, quæque sunt inter MSS. & Scrinia tum Petri de Marca Archiepiscopi Tolosani, & Francisci Bosquet Episcopi Montispessulani, tum Baluzii, Francisci Combesis, Henrici de Valois, & P. Ludovici Jacobi de S. Carolo, a quibus plura alia indicata fuerunt.

Notitia Conciliorum Joann. Cabassutii. Cabassutii mens ea erat, ut notitiam Conciliorum daret, explicaretque Canones, veteres recenseretque Ecclesiæ ritus, & præcipuas Historiæ Ecclesiasticæ partes, ut apparet ex duabus primis Auctoris editionibus, quibus titulus, *Notitia Conciliorum* &c. Harum altera confecta fuit Lugduni an. 1670. in 8. Incipit a Conciliis Apostolorum, quorum auctoritatem expendit: ostendit, ab ipso Ecclesiæ ortu magnam semper inter Episcopos & Presbyteros intercessisse differentiam. Postquam egit de Baptismo ab Hæreticis collato, de aliis tractat Conciliis, quorum aliquando contexit historiam, veluti de primo Concilio Niceno, cujus explicat Canones, exceptis 9. 10. 13. 16. 18. Habentur hic Dissertationes de Provinciis Ecclesiasticis, de Eulogiis, de Litteris formatis, de Veterum Ecclesiarum situ, parte, & forma, de Prædestinatianis, de Libris Fausti, de Communione Laicali, deque ea, quæ dicebatur *Peregrina*, de Dypticis Ecclesiarum, de dirimentibus Ordinum impedimentis, de annuis Sacerdotii vectigalibus, & de Concilii Tridentini Decreto ad Vulgatam spectante.

In Editione ann. 1680. in fol. aliam Auctor Operi suo formam induxit, voluitque in compendium conferre, quidquid ad Historiam & Disciplinam Ecclesiasticam pertinet. Itaque cujusque sæculi initio dat insignium in Ecclesia eventuum historiam, & in Conciliis ad disciplinam spectantibus, brevitatis causa, eos plerumque Canones amputat, qui sibi similes sunt, & adjicit animadversiones, & aliquando etiam Dissertationes.

Sæculo secundo reperiuntur novæ quædam Dissertationes de manuum impositione; tum Diaconissæ, sacræ Virgines, Ritusque, qui alias in Baptismi & Eucharistiæ administratione obtinebant. Agit etiam de Agapis, de pœnitentiis publicis antiquis, de numero Ordinum Ecclesiasticorum, & de *Orario*; de Episcopo proprio, a quo Ordines accipi poterant; de Presbytero, qui Episcoporum Senatus dicebatur; de Symbolo S. Athanasii, deque jejuniis antiquis.

Sæculum quartum multa suppeditat de Vicariis Papæ; tum locum Concilii Niceni, ejusque Canones 13. 16. & 18. & Canonum numerum; præterea Consubstantialitatem personarum divinarum, Epactas & Enneadecaeteridas ad stabiliendam Paschatis diem, Baptismum Constantini, formam Sacramentorum absolutam vel imperativam, Ritus Orientalium Ecclesiarum in Ordinatione, aliisque Sacramentis.

Sæculi quinti Dissertationes versantur in propositionibus decem de gratia, & libero arbitrio, quas collectas ferunt a Papa Cælestino, vel Hormisda, vel S. Leone; & in extintione potestatis, quam alias Episcopus Antiochenus in Cypri Ecclesias exercebat.

Sæculo sexto item Dissertationes habentur de damnata hæresi Semipelagianorum, qui Synodum Arausicanam præcesserunt, & de Conciliis Popularibus, quæ dicebantur ἐνδημοῦσαι.

Post sæculi octavi historiam habetur Dissertatio de Imaginibus, earumque cultu.

Sæculo decimo tertio habetur Dissertatio in Canonem 64. Concilii Lateranensis de pactis Simoniacis, quæ ab ingredientibus Monasteria fiunt; item duæ, tanquam ad secundum Lugdunense Concilium Appendices, quarum una est de processione Spiritus Sancti, altera de Pontificum, & Cardinalium electione.

Sæculo decimo quinto habetur Dissertatio de Communione sub utraque specie; item alia de additione Symbolo facta particulæ *Filioque*. Præter dissertationes, quas hactenus commemoravi, habet hæc editio multo plura Concilia particularia, quam prima: de iis præsertim loquor, quæ habita sunt medio fere nono sæculo elapso; in editione tamen ann. 1670. habentur nonnullæ Dissertationes, quæ in hac desunt; veluti Dissertatio de dirimentibus Ordinum impedimentis.

Etiam Franciscus Dubois, inquit Sylvius, dedit summam Conciliorum Duaci impressam ann. 1679. nihil tamen ea præstantis habet.

Nova quadam forma prodiit Conciliorum Historia, Italico Opere a Marco Battaglini edito Venetiis ann. 1686. in fol. Eo continentur Concilia Generalia & particularia a primo, in quo Apostoli S. Matthiam in Judæ locum suffecerunt, usque ad Tridentinum Concilium. Sequutus est Auctor Binium, Surium, Cardinalem Baronium, Sponde, & Labbæum in Concilia generalia, Nationalia, & Provincialia, quæ retulit. Necessarium minime duxit mentionem facere de iis omnibus, quæ præcedentes Collectores in suas Collectiones intulerunt; hinc de præcipuis tantum loquitur numero 475. Quare sæculo decimo quarto non assignat nisi quatuor particularia Concilia, Parisiense, & Romanum ann. 1301. & 1302. de dissensionibus inter Bonifacium VIII. & Philippum, qui dicitur *Conciliorum Historia Marci Battaglini.*

Pul-

Pulcher; Avenionense ann. 1327. contra Petrum Corberiensem Antipapam; Conciliabolum Constantinopolitanum de hæresi Palamas ann. 1347. Concilium Viennense ann. 1310. juxta illum est decimum quintum OEcumenicum, & Constantiense decimum sextum. Suo loco affert Basileense, tanquam OEcumenicum & legitimum quoad primas sessiones, Florentinum est decimum septimum OEcumenicum; quintum Lateranense 18. Tridentinum 19. Quæ de hoc dicit, ea præcipue deducta sunt ex historia hujus Concilii a Pallavicino conscripta, ex Ciaconio in Vitis Pontificum, ex Malvasia, & ex Cochlæo in hæreses Lutheri, Zuvinglii, aliorumque. Initio habentur Tabulæ duæ Geographicæ, quæ veterem recentemque Episcopatuum notitiam exhibent. Ad finem vero Index Alphabeticus rerum memorabilium, quæ in toto hoc Opere continentur.

Conciliorum Tabula Du-Pin.

Cum Du-Pin Bibliothecam Auctorum Ecclesiasticorum sibi conficiendam suscepisset, collegit excerpta Conciliorum omnium, rerumque, quæ in Conciliis contigerunt. Quolibet hujus novæ Bibliothecæ sæculo conficit historiam Conciliorum, quæ habita sunt, tum rerum in iisdem decisarum, temporis, locique, quo fuerunt coacta, denique Actorum, quæ ex iis habentur. Item exponit sensum Canonum, quos pro virili parte illustrat, ubi difficultates occurrunt, Notasque adjicit. Ad cujusque voluminis finem habetur tabula Conciliorum; & ad finem totius Operis, Tabula universalis Conciliorum omnium, eorum Actorum, Epistolarum, Formularum Fidei, Canonum, & Capitulorum, quæ omnia distribuit ordine chronologico sæculorum post Concilium Romanum ann. 196. sub Victore Papa usque ad Concilium Bethlemiticum, seu Jerosolymitanum ann. 1672. h. e. usque ad medium fere Sæculum XVII. elapsum. Nullam tamen Sæculis XVI. & XVII. mentionem intulit de innumeris Actis Statutisque Synodorum Diœcesanarum Episcoporum ad Diœcesium suarum disciplinam pertinentium; siquidem immensi prope ac infiniti laboris fuisset isthæc enumeratio.

Historia Conciliorum, auctore Hermant.

Summæ Conciliorum non omnes in eumdem finem confectæ sunt; earum nonnullæ historiam cum Canonum compendiis conjungunt: aliæ Canones tantum, eosque ex parte & per compendia in medium adducunt. Primi generis est Historia Conciliorum, Auctore Hermant, ut ex hoc ejus titulo apparet: *Historia Conciliorum continens Ecclesiæ Canones, & compendium chronologicum vitarum Pontificum, eorumque decisionum, una cum Notis in Canones, qui vel obscuri difficilesque sunt, vel peculiari observatione digni.* His adjunxit, quæ generalis Cleri Gallicani conventus mense Septembri ann. 1626. Parisiis habitus declaraverit observanda ab Episcopis erga Regulares, aliosque; tum quæ Cleri conventus ann. 1655. senserit de diversis Disciplinæ argumentis. Omnia impressa sunt 4. tom. Rothomagi apud Joannem Baptistam Besogne ann. 1699.

Volumen primum breviter continet, quidquid notatu dignum in Ecclesia contingit ab ejus ortu usque ad Sæculi XVII. finem; estque in tres partes divisum. Prima pars generatim exponit, quæcumque magni momenti evenerunt usque ad primum Nicænum Concilium. Secunda continet Concilia omnia Generalia in Oriente coacta, una cum pluribus Conciliis particularibus, quæ in diversis Orbis partibus habita sunt. Tertia agit de Conciliis, quæ fuerunt in Occidente celebrata. Hæc vero ut fortiore quodam vinculo inter sese conjungat, dat sæpe Epitomem Imperatorum magnorumque eventuum, qui ab uno ad aliud Concilium extiterunt: silentio tamen prætermittit plura particularia Concilia, in Provinciis ea de causa celebrata, ut in easdem vel dogmata, vel Conciliorum Generalium auctoritas per ea inferretur, vel nullo nobis illustri facto cognita, quod fortasse eorum Acta, vel Fidelium negligentia non collecta vel malitia hæreticorum suppressa, ad nostra hæc usque tempora nequaquam pervenerint.

Volumen secundum, & sequentia Canones Conciliorum continent, ab iis, qui Apostolis tribuuntur, usque ad Canones Concilii Burdegalensis ann. 1524.

Quamvis Hermant Carranzæ propositum laudet, & in omnibus fere sequatur, si longas excipias Decretalium Epitomes in compendiariam primorum Pontificum Rom. Vitam illatas, idem tamen fatetur, ejus Opus esse valde imperfectum, pluribus suppressis Conciliis; ejus chronologiam vitiis erroribusque scatere; abesse sæpissime actorum diem, adeo ut vix deprehendere aliquando possit, quo anno, vel sæculo Concilium aliquod habitum fuerit; denique nullo delectu nullaque severitate criticem exerceri. Ut hæc menda removeatur, affert hic cujusque Concilii tempus, & Pontificatum, quo habitum fuerit: Canones enumerat, monstrat, quæ his contineantur, & bono in lumine collocat, qui videntur obscuriores.

In prima hujus Operis Editione, quæ prodiit Rothomagi ann. 1695. uno volumine in 12. non attulit Auctor, nisi quæ in Historia Ecclesiastica eminent. Editio nova quatuor distincta voluminibus est: sed, ut prolixæ sint, & in immensum fere excrescant Canonum explicationes, quæ in hac, aliisque doctorum virorum Collectionibus habentur, illud tamen semper verissimum erit, eos melius ac penitius Ecclesiasticam historiam percepturos, qui fontes ipsos malint, quam rivulos consectari.

Historia Conciliorum Generalium, Auctore Richerio.

Historia Conciliorum Generalium nova quadam forma ac methodo a Richerio Domus & Societatis Sorbonicæ Doctore conscripta fuit. Dum hic cujusque Concilii historiam dat, plura eodem tempore attingit & illustrat Doctrinæ argumenta, in quibus præcipuum est de Rom. Pontificis ex Jure Divino Primatu, quem volumine primo tum gravissimis rationum momentis, tum unanimi totius Ecclesiæ consensu adstruit atque confirmat. Equidem a meo proposito aberrarem, si vellem has quæstiones percurrere, quarum pleræque respiciunt regimen Ecclesiæ universalis, vel peculiariter Ecclesiæ Romanæ, tum facultatem indicendi, tenendi, confirmandique Concilia, Ecclesiæ demum Gallicanæ Privilegia, quæ Privilegia ad jura reducit naturalia, omnibusque Ecclesiis communia, sed a Gallicana solum Ecclesia perpetuo retenta & conservata; in quo nihil asserit novi, nihil, quod non magna doctorum Scriptorum vis constanter docuerit. Curavi ego, ne in hoc Opere argumenta hæc attingerem, nisi cursim quasique per transennam. Ea qui requirunt, consulant ii hujusce Historiæ Prolegomena, in quibus Auctor, jactis antea opinionum suarum generatim fundamentis, eas insuper sustentat auctoritate Conciliorum Nicæni, Sardicensis, Antiocheni, Constantinopolitani primi, Carthaginiensis, Ephesini, & Calcedonensis, secundi & tertii Ephesini, secundi Nicæni, & quarti Constantinopolitani. Non semper concordat cum Cardinalibus, Baronio, Bellarmino, & du-Perron, neque cum Patre Possevino, Binio, & Duval, præsertim in secundo & tertio tomo, in quibus agit de Conciliis Basileensi, Constantiensi, Pisano, & Tridentino. Quod de Concilio Nicæno affirmat, id, quod dico confirmat: Etenim contendit, Concilium hoc fuisse habitum sub Silvestro Papa, non autem sub Julio I. ut quidam putarunt; Canonem, qui Eucharistiam jejune sumendam præscribit, non fuisse conditum Nicææ, sed in Africa in quodam Concilio sub Bonifacio I. celebrato; quod Bellarmini sententiæ adversatur; Canones Concilii Antiocheni esse legitimos, eosque fuisse ab Ecclesia approbatos, licet Baronius Biniusque dissentiant. Refellit etiam duorum horum Scriptorum contra hoc Concilium argumenta, ostenditque, hos Canones necessario requiri ad hoc, ut Canones Nicæni intelligantur, & Disciplina Ecclesiastica stabiliatur. Hic ego animadvertam, peculiares quasdam ab hoc Historico observationes fieri in mores pulcherrimos, qui alias in Ecclesia obtinebant; veluti Patriarchas omnes, statim ac consecrati fuissent, ad reliquos omnes Christiani Orbis Patriarchas misisse Fidei Professionem, in qua peculiariter significabant, se venerari, & admittere priora quatuor Concilia, tanquam quatuor Evangelia; suos quemque Notarios in Conciliis Episcopum habuisse; ubi quid non unanimiter receptum Episcopus aliquis proposuisset, nomen tantum ejus, qui proposuerat, notari con-

consuevisse: ubi vero ab universo Concilio fuisset receptum, tum ita dici: *Sancta Synodus dixit*; denique Sæculo nono Romanos Pontifices, statim ac fuissent ad Pontificatum evecti, juramentum præstitisse, quo se octo Generalibus Conciliis subjectos esse profitebantur. Multa sane sunt in hac Historia observatione scituque dignissima; sed hæc, quæ attuli, pro instituto nostro satis esse arbitror.

Van-Espen de Codicibus & Collectionibus Tractatus. Van-Espen Doctor, & Lovanii Professor magni nominis, Tractatum confecit historicum & Canonicum, in quo plures habet animadversiones in Canones antiquos, quos Græca Latinaque Ecclesiæ sequutæ sunt; tum diversarum Canonum Collectionum Historiam, adjectis observationibus in Generalia Canonici Juris Principia. Ut Canonum auctoritatem initio statim ob oculos ponat, eos triplici ratione considerat: scilicet quoad ipsorum materiam; quoad eorumdem Auctorem, & quoad Codices seu Collectiones, quibus continentur. Inter Canones alii sunt explicationes interpretationesque Juris naturalis: alii naturale, & positivum, saltem ex parte, comprehendunt; atque ut scias, inquit ille, utrum sis, & quatenus ad eorumdem observationem obligatus, distinguere oporter, quid cujusque juris contineant. Aliter etiam judicandum est de iis Canonibus, qui externos tantum Ritus præscribunt, deque iis, qui morum Disciplinam repræsentant, aut quos Ecclesia opposuit perversæ vivendi licentiæ, quæ corruptione sæculorum invecta altissimas radices egit. Magna etiam Canonibus auctoritas accedit ex numero & qualitate personarum, a quibus conditi sunt; tum sæculum, quo hujusmodi Codices prodierunt; tum publica privatave auctoritas, quæ interfuit; præterea temporis spatium, quo in usu fuerunt, omnem vim addunt. Elaboratiores sunt quatuor Operis Partes, quæ sequuntur. Recenset Auctor singillatim diversos Ecclesiæ Codices, initio quidem eos, qui primis sæculis obtinuerunt; tum a Sæculo VI. usque ad VIII. quo spatio comprehenduntur Codex Dionysii Exigui, Martini Bracarensis, & Codex Græcorum cum additionibus suis. Exeunte Sæculo VIII. & Sæculo IX. habentur Collectiones Isidori, Capitula Hadriani Papæ, & Capitularia Regum Galliæ. Sæculis X. & XI. loquitur de Collectione Reginonis, de Decreto Burchardi, & de Collectione Ivonis Carnotensis. Sexta Pars explicat, quænam sit inscriptio Decreti Gratianæi, ejusdem propositum, & divisio, errores, qui in illo deprehenduntur, & emendationes, quæ fieri necessario deberent. In Parte septima persequitur quinque antiquas Decretalium Collectiones. In octava dat brevem quamdam imaginem Decretalium Gregorii IX. aliarumque partium Corporis Juris Canonici. Nona versatur in Jure novissimo, quod innititur Bullis & Constitutionibus Rom. Pontificum, Cancellariæ Regulis, Concilio Tridentino, & particularibus Synodis. Non potuit facere, quin memoraret etiam pacta inter Ecclesiæ Prælatos, & Civiles Magistratus transacta, tum Principum Edicta. Cum rationem exponendam suscepisset, qua ad utilem Ecclesiasticæ Disciplinæ cognitionem pervenires, elegit non solum Canones, & Juris Canonici Partes, quæ se illuc deducerent, sed Interpretes etiam & Commentatores, addiditque animadversiones in Andreæ Vallensis Paratitla, quæ magno ab omnibus in pretio habentur. Hujus demum Sapientissimi Viri observationes tum gravissimæ, tum utilissimæ sunt: sed, ut is inde fructus existat, quem tibi proposueris, antequam ad eandem accedas, methodus, quam sequitur, animadvertenda est. Antequam igitur verum cujusque Canonis sensum exponat, originalem textum examinat, ostendit errores, vel abusus, qui Canoni occasionem dederunt, varias affert significationes, quas eidem veteres recentesque tribuerunt. Ex illis Gratianus, ex his Gratianæi Decreti Romæ editi Correctores in plurima delapsi sunt errata, quæ singillatim enumerat, & multa eruditione notat.

26. q. 5. Can. 12. Tam in MSS. quam in impressis Libris Concilii Ancyrani non habemus, nisi Canones 25. Gratianus addidit vigesimum sextum: hinc quærit Van-Espen, quænam causa Gratianum in hunc errorem conjecerit; ea vero est, quod inconsiderate sequutus sit Burchardum, cujus etiam errores exscripsit. Causam hujusce rei hanc Van-Espen affert. Licet Burchardus plura ex Capitularibus excerpserit, tamen, quia malo erat animo in Gallos, quos sui temporis Alemanni incredibili odio persequebantur, factum est, ut eadem nunquam citaverit; quin etiam, allato sub nomine Concilii Triburiensis Cap. 15. ex 14. Capitularium Libro, *Lib. 6. cap. 2.* suppressit formulam *secundum Capitulare gloriosi Caroli genitoris nostri*, ne vestigium ullum appareret. Idem præstitit Gratianus, h. e. inseruit Decreto suo sub Concilii Triburiensis nomine Capitularium Epitomem, omissa ea clausula, quæ Burchardum facit auctorem eorum errorum, in quos lapsus est Gratianus. Hæc habui, quæ dicerem de hoc Opere, in quo multa Auctor præsidia exhibet utilissima iis, qui in antiquarum Canonum Collectionum studio versantur.

Summa Conciliorum, Auctore P. Poisson. Recens quidam Auctor, quem ferunt P. Poisson Oratorii Presbyterum, Summam Conciliorum edidit Lugduni apud Joannem Certe ann. 1706. 2. Volum. in folio. Is duas dat primorum Conciliorum versiones, unam Gentiani Herveti, alteram Dionysii Exigui, una cum quibusdam variis lectionibus. Magna sæpe in hoc rerum confusio apparet: veluti cum Canonibus ex versione Gentiani Herveti titulos Canonum a Dionysio Exiguo translatorum præmittit. Atqui neminem latet, ordinem, quem hic Collector in Canonum nonnullorum distributione sequutus est, vehementer differre ab eo, quem tenuit Hervetus: adeo ut Canon, qui in Dionysii versione octavus est, in altero septimo loco sit. Hinc etiam in P. Poisson versione contingit, ut tituli, quos initio cujusque Canonis Concilii Sardicensis collocavit, quique sunt, vel esse deberent tanquam summarium, quidvis aliud enuncient, quam quod revera contineant: in quo Patris Poisson duplex erratum est. Neque vero huic confusioni quidquam remedii affert ad hoc Concilium ab ipso facta animadversio; videturque Dionysii versio Herveti versionem anteire deberet. Prima Rom. Pontificum Decreta ab ipso allata sunt Julii I. Omittit 27. Canonem secundi Concilii Milevitani, quem Carranza attulerat. Immutat, nulla adducta ratione, Concilii Andegavensis Epocam consuetam, quæ est annus 453. qui cum Leonis decimo quarto, Marciani quarto, & Imperatoris Valentiniani vigesimo nono optime convenit. Post Constitutionem a Ravennio aliisque Episcopis de Lerinensi Monasterio ann. 455. datam, Conciliorum, quæ hanc statim excipiunt, serie interrupta, affert Concilium Carthaginiense habitum ann. 525. eo quod hoc Concilium, cujus Acta Monasteriorum immunitates respiciunt, controversiam diremerit ei fere similem, quæ in Africa Sæculo sexto exorta est. Sequitur mox Concilium Toletanum in Hispania sub Sixto IV. ann. 1473. tum Privilegia Religiosorum Ordinis S. Dominici, quæ appellantur *Mare Magnum*, eo quod latissime pateant: præterea Petri de Osma quatuor damnatæ propositiones ad Pœnitentiam aliaque Sacramenta spectantes.

Novus hic Collector tomo secundo dat Pauli IV. Bullam adversus eos Religiosos, qui professione jam emissa, claustra deserunt; adversus Apostatas, quique eos recipiunt; dat etiam abrogationem privilegiorum, quæ continet *Mare Magnum*, quæque Regularibus omnibus concessa sunt, adversante Concilio Tridentino. Post Mediolanense Concilium refert inter cæteras Pii IV. Bullas eam, quæ de mancipationibus est; item eam, quæ prohibet, ne Græci Missam & Officium Divinum Latinorum, Latini Græcorum ritu celebrent; demum Bullam Gregorii XI. Et Clementis VI. qui consanguinitatis gradus, affinitatisque & spiritualis cognationis impedimenta definiunt.

Hæc excipiunt secundum Concilium Mediolanense sub Pio V. habitum; ejusdem Papæ Declarationes contra illicitas pecuniæ permutationes, & contra eos, qui Ecclesiasticum Beneficium possidentes, Horas tamen Canonicas nequaquam recitant; Bulla Gregorii XIII. qua ad jus commune, & ad Concilium Tridentinum revocat Constitutiones tres, a Pio V. in favorem Ordinum Men-

Mendicantium datas. Dat ejusdem Gregorii Bullam, qua antiquum Calendarium abolet, probatque novi correctionem, in quo paulo post in ordinem redacta est Festorum Ecclesiæ Rom. celebratio, & Divinorum Officiorum recitatio solemnibus hisce diebus facienda. Post Concilium Mexicanum an. 1585, sub Sixto V. habitum, dat ejusdem Papæ Bullas de numero, ordine, & qualitate Cardinalium, contra Eunuchorum nuptias; item Bullam, quæ prohibet, ne in aliquem Regularem Ordinem admittantur Spurii, & ære alieno obstricti, præscribitque Novitios recipiendi modum; prætetea Declarationes in duas hasce postremas Constitutiones; unam contra eos, qui abortum inferunt, alteram de Papæ Familiaribus, seu de Romanæ Aulæ Ministris, qui ex præcedentibus Bullis ad Clericorum habitum deferendum obligantur. Post Concilium Aquilejense sub Clemente VIII. multa affert, qui Episcopi Latini ad Græcorum ritus informantur; item alia, quæ Concilii Tridentini executionem respiciunt, contra Regulares, qui crimen aliquod patrant extra claustra, vel qui certis finibus circumscribunt Bullam, quam Sixtus V. tulerat tum contra Clericos illegitime ordinatos, tum contra eos, a quibus ordinantur; item alia, quæ moderantur ejusdem Papæ Constitutiones de irrita Novitiorum Professione contra leges emissa, & de Confessione per literas. Tandem post Concilium Narbonense sub Paulo V. affert Sixti V. Bullam contra Clericos ad Ordines, Ecclesia reclamante, promotos, vel Simoniacos; item aliam Gregorii XV. de Summi Pontificis Electione; item aliam ejusdem, qui Pii IV. Bullam confirmat & amplificat contra Presbyteros, qui Pœnitentes suos in Confessione ad peccata hortentur. Cum in Libri Corpora plura Concilia omiserit, ea refert ad finem Operis tanquam additamenta, suamque Collectionem claudit duobus Indicibus, quorum unus res in Conciliis comprehensas exhibet, alter vero ea, quæ in Concilio Tridentino peculiariter continentur.

Notæ porro, quæ maximam secundi Voluminis partem occupant, ita sunt institutæ. 1. Auctor omnia alicujus nominis Concilia illustrat, dummodo Concilii nomine non aliquis tantum politicus conventus contineatur. 2. Quod ad Chronologiam spectat, sequitur plerumque P. Labbæum, a quo tamen aliquando recedit, ut ad alios Scriptores accedat. Ita in Conciliorum dispositione, ordinem in melioribus Editionibus huc usque servatum fere semper sequutus est. 3. In Geographia non alium sibi proponendum putavit, præter Antonium Baudrand. 4. Paucis notavit, quid cuique Concilio causam occasionemque dederit; in quo nihil scitu dignum omittit. 5. Notat item accurate numerum Canonum cujusque Concilii. 6. tum numerum Episcoporum, quibus hæc Concilia constabant; ac, si quæ sunt, quæ sanctitate & doctrina magis eminebant, in his nominantur.

Ita, cum initio illud fuisset Auctoris propositum, ut colligeret, quæ magis gravia & necessaria in Conciliorum Collectionibus sunt, mox plura dedit, quam proposuerat, allatis secundo volumine supplementi titulo Canonibus omnibus, qui a primo ejusdem proposito discedebant.

Analysis Conciliorum. Ad Conciliorum summas referri possunt Analyses eorumdem, quæ Concilia generatim repræsentant, oculisque legentium subjiciunt. Id certe sibi proposuit Liber Bruxellis impressus apud Franciscum Foppens ann. 1706. Vol. 2. in 8. hoc titulo: *Analyse ou Idée generale des Conciles Oecumeniques & particuliers, dont il nous reste des Canons; ou qui servent à la discipline ancienne & moderne*. In hoc Auctor dat, vel dare se putat sensum omnium Canonum Conciliorum Generalium & Particularium. Equidem non possum facere, quin errores, qui in hoc opus irrepserunt, animadvertam. Nam in plerisque Canonum, quos exhibet, compendiis vel versionibus nullum Auctoris studium apparet, nulla cura; siquidem plurimis Canonibus sensum attribuit omnino contrarium sensui, quo in Conciliis gaudent; præterea nullam adhibet correctionem Canonibus Conciliorum Particularium, quæ ab Ecclesia vel non approbata, vel etiam improbata fuerunt. Hujusce rei nonnulla exempla afferamus.

Loquitur de Conciliis Iconis, Synnade, & primo & secundo Carthaginiensi. Observat, illud in iis fuisse statutum, ut hæretici rebaptizentur; præterea irrita ac nulla declarata Sacramenta ab iis collata, ex ea ratione, quod unum Baptisma sit, una Ecclesia. Addendum erat, Conciliorum horum decisionem erroneam fuisse, & ab Ecclesia damnatam. Neque enim satis erat dixisse, Decretum Concilii Iconiensis Stephanum Papam magnopere commovisse, & originem causamque extitisse contentionum earum, quæ inter Romanam, & Orientalem Ecclesiam mox hac de re exortæ sunt.

Idem prolato Concilii Illiberitani sexto & septimo Canone, quibus etiam mortis tempore Communio denegatur homicidis voluntariis, iisque, qui, postquam de adulterio pœnitentiam egerunt, incidunt rursus in stuprum, profert Canonem octavum his verbis: *Octavus id ipsum observandum jubet erga fœminas, quæ nulla de causa viros suos deserunt, ut aliis se conjungant*. Ex quibus nonne illud sequitur, non damnari a Concilio eas fœminas, quæ hoc idem faciunt aliqua de causa. Atqui id omnino contrarium est disciplinæ ab eodem Concilio Illiberitano invectæ, ut apparet ex Canone sequenti, in quo, juxta ejusdem Auctoris versionem, communio denegatur fœminis, quæ viros suos, etiam adulterii reos deserunt, & aliis se in matrimonium dant.

Major etiam infidelitas est in Canonis trigesimi tertii ejusdem Concilii versione, quæ ita se habet. *Trigesimus tertius præscribit Episcopis, Presbyteris, Clericisque omnibus, ut fœminis suis abstineant ministerii tempore sub pœna depositionis*. Ex quo colligendum esset, Episcopos, Presbyteros, aliosque Clericos posse iisdem uti extra tempus ministerii. Atqui longe alia fuit Concilii mens, *cui placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis & non generare filios; quicumque vero fecerit ab honore Clericatus exterminetur*.

Præterea Canonem ultimum Concilii Ancyrani ita exhibet: *Vigesimus quartus decem pœnitentiam annorum injungit ei, qui, sorore sponsa sua cognita, sponsam postea in uxorem ducit*. Sed ecce tibi, quam diversa continet verus Canon: *Quidam cui erat puella desponsata, ejus sorori vitium attulit, ita ut etiam conciperet; sponsam autem postea uxorem duxit. Ea autem, cui vitium erat illatum, se suffocavit. Qui conscii fuerant, jussi sunt decennio inter eos qui consistunt, recipi per gradus definitos*. Ex quibus verbis apparet, de peculiari casu eo loco agi, non unum hominem fuisse pœnitentiæ subjectum, ex ejus crimine infausta multa & lacrimanda consequuta, &c.

Postquam præcipuas recensuimus summas & Historias Conciliorum omnium, tum Generalium, tum Particularium, singillatim recensendæ pariter sunt quædam summæ, quæ ad variorum horum Conciliorum aliqua pertinent. Sunt enim summæ Conciliorum omnium Generalium, item nonnullorum Particularium, tum Conciliorum unius Regni, vel unius Provinciæ. Præter hæc, in pluribus Collectionibus habentur Conciliorum enumerationes. Demum nonnulli Auctores Concilia omnia, sive aliqua peculiariter ad certa capita communesve locos redegerunt.

Summæ quorumdam Conciliorum generalium. Inter summas, quæ Conciliorum generalium vel omnium, vel aliquorum compendia dederunt, referendæ sunt Patricii, Rittershuysii, Sculteti, Cametarii, Gonzales d' Avila, & Patris spiritus Andreæ summæ; de quibus singillatim pauca dicam.

Summa A. Patricii. Augustinus Patricius, Canonicus Senensis, ann. 1480. jussu Francisci Piccolominei Cardinalis Senensis, cui erat a Secretis, summam confecit Conciliorum Basileensium, Florentinorum, Lateranensium, & Lausannæ Pisisque habitorum. Du-Pin affirmat, Historiam hanc ex Monumentis Basileæ inventis extractam, esse tum summa cura & fide, tum multo ordine & elegantia conscriptam,

ptam, Labbæus, qui eam in 13. Conciliorum suorum tomum intulit, eandem eduxit ex Bibliothecæ Regiæ MS. Dedit autem, quæcumque eo MS. continebantur: non tamen eadem contulit cum MSS. Vaticanis, quæ ab Horatio Justiniano, Orderico Raynaldo, aliisque allegata fuere. Hinc quænam ex his ampliora copiosioraque sint, non facile potest affirmare.

Summa Rittershusii.

Conradus Rittershusius de Brunsvvich, magni nominis Auctor, qui vivebat ineunte Sæculo XVII. confecit Epitomem septem Conciliorum Generalium, quæ habetur inter Observationes Laubespinæi pag. 139. Obiit hic ann. 1613.

Compendium Sculteti.

Abrahamus Scultetus edidit apud Commelin Compendium Conciliorom Græcorum & Latinorum an. 1604. in folio.

Compendium Camerarii.

Joachimus Camerarius edidit ejusdem generis Opus, cui adjecta est brevis enarratio de Synodis; in 8. Helmstadii ann. 1614.

Afferam etiam Ægidii Gonzales d'Avila Societatis Jesu parvum Opus in Concilia Generalia, de quibus fit mentio in Bibliothecis Nicolai Antonii, & Patris Sottvvel.

Compendium Conciliorum Orientalium.

Camerini edita est Conciliorum OEcumenicorum notio generalis, seu Compendium Synodicum elucidationibus historicis, dogmaticis, criticis illustratum in 8. Auctore P. Spiritu Andræa Jacobita. Hoc opus exhibet Concilia Generalia in Oriente celebrata. Explicat Auctor initio statim horum Conventuum causam & occasionem, compendiariam eorumdem historiam conficit, illustrat locos obscuriores, qui Historiam, Fidei Articulos, Criticem, aliaque ad historiam pertinentia, tum Ecclesiasticam Disciplinam, Ecclesiæ mores, & dogmata ab antiquis recentibusque Hereticis oppugnata respiciunt. Antequam de Conciliis singillatim agat, dat ejusdem rei generalem quamdam notionem.

Compendium Conciliorum Generalium & quorumdam particularium.

Nunc eos enumerandos aggrediar, qui ediderunt Compendia Conciliorum Generalium, & quorumdam Particularium, incipiens a Tractatu Francisci le Maire, qui vixit Ludovici XII. tempore. Hic inscribitur *Traité de la difference des Schismes & des Conciles de l'Eglise, & de la préeminence & utilité des Conciles de la sainte Eglise Gallicane*. Hoc Opus in tres Partes divisum est. Prima continet priora & præcipua Concilia, una cum septem priorum Schismatum historia. Altera explicationem omnium Conciliorum, aut saltem præcipuorum tam Universalium, quam Particularium ab Ecclesia Gallicana celebratorum. Tertia breviter enarrat Schismata, quæ Ecclesiam agitarunt usque ad Sæculi XV. finem. Liber hic ad stabiliendam Conciliorum auctoritatem videtur conscriptus. Et sane, instituta Conciliorum & Schismatum inter se comparatione, ostendit Auctor, illud esse maxime utile ac porro necessarium, ut ad errores tollendos, ad removendos abusus, ad morum candorem Disciplinæque vim retinendam, Episcopi identidem congregentur.

Collectio Canonum Conciliorum, Auctore Gesnero.

Conradus Gesnerus ann. circiter 1559. in lucem dedit, suppresso nomine, Collectionem in fol. quæ non solùm Patrum aliquot Opera continet, sed etiam Canones Apostolorum, & Decreta tresdecim antiquorum Conciliorum; hæc vero sunt Nicænum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense, Sardicense, Carthaginiense, Constantinopolitanum in Trullo, & secundum Nicænum. Auctores autem, quorum nonnulla Opera affert, sunt D. Ignatius, Athenagoras, Gneas ex Gaza. Cydonius, Hermias, & Agapitus. In præfatione notat tempus, quo quodque Concilium habitum est, tum horum Conventuum occasionem, præterea eos, qui præfuerunt, quique Concilio interfuerunt. Notat pariter, ubi in Gratiano de his Conciliis fit mentio, & ea, quæ in præcipuis Canonibus decisa fuerunt. Numerat 88. Canones Apostolorum, aut eos saltem in 88. Articulos dividit. Dat etiam eorumdem versionem, sed diversam a Dionysii Exigui, & Gentiani Herveti versione. In Græcis convenit cum Labbæo in Conciliis. Canones Concilii Nicæni sunt ex Isidori Mercatoris interpretatione. Versio Concilii Neocæsariensis ad versionem ejusdem Isidori videtur elaborata; videtur, inquam: nam verba ad finem Canonis primi posita *Extra Ecclesiam abjici & ad pœnitentiam redigi* diversa sunt ab iis, quæ habentur in Isidoro, *extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter laicos redactus agat*. In Canone secundo sub finem habetur: *Quod si vir aut mulier in ejusmodi conjugio mortem obierit, Superstiti difficilis locus est pœnitentiæ*. Diversa & plura his habet Isidorus. Apparet igitur versionem hanc eandem fere esse cum Isidori versione, sed Græco textui accomodatam. Fere, inquam; nam capite tertio, Gesneri versio ex græco fert: *Tempus quidem præstitutum esse manifestum est, sed conversio & fides eorum tempus contrahit*; huic similis est Herveti versio, nisi quod loco *fides* adhibet *pœnitentia*: at Isidorus vertit: *Tempus quidem pœnitentiæ, quod his constitutum, observabunt: sed conversatio & fides eorum tempus abbreviabit*.

Versio Concilii Gangrensis, & Epistolæ Episcoporum hujus Concilii ad Armeniæ Episcopos eadem est cum versione Dionysii Exigui. Versio Concilii Antiocheni magis convenit cum versione Isidori Mercatoris, quam Dionysii Exigui, exceptis quibusdam locis, qui majoris elegantiæ facilitatisque causa immutati sunt; seu potius Interpres ex versionibus Dionysii Exigui, & Isidori ea decerpsit, quæ textum fidelius referre videbantur.

Versio Concilii Laodiceni est eadem cum versione Isidori, a qua remota sunt, quæ a Græco textu aberant, additaque, quæ inerant. Ex. grat. Canon decimus secundus, quoad ejus initium, Dionysii Exigui versioni conformior est.

Quod ad secundum attinet Generale Concilium, Interpres dedit versionem Epistolæ, quam Concilii Patres Theodosio scripsere, diversam ab ea, quæ est in Labbæo, licet valde conveniat cum Herveti versione; utraque enim videtur ad græcum textum elaborata. Græce & latine non habentur, nisi septem Canones.

Gesnerus ex Concilio Ephesino non affert, nisi brevem expositionem eorum, quæ in Nestorii damnatione contigerunt, Concilii Epistolam ad Pamphyliæ Episcopos simul coactos Eustathii causa, qui eorumdem Metropolita evaserat; tandem ejusdem Concilii Decretum de potestate ordinandi in Cypri Insula, quam Patriarcha Antiochenus sibi vindicabat; id habetur in Labbæo, diverse tamen explicatum.

Canones Concilii Calcedonensis partim ex Dionysii Exigui, partim ex Isidori versione sunt. Hujus Concilii Decretum de Constantinopolitanæ Sedis dignitate ex alia versione est, quæ in Labbæo non habetur, non secus ac quæ de Ægypti Episcopis decisa fuerunt; habentur hic etiam, quæ definita sunt de Episcopis a Photio ordinatis, quos Eustathius Tyri Episcopos in locum Presbyterorum detruserat.

Concilium Sardicense continet, quæcumque Græce habentur, ex interpretatione partim Dionysii Exigui, partim Isidori, Græco textui accommodata.

Concilium Carthaginiense, huic proximum Latine & Græce, illud est, quod plerumque textum appellamus. Post hoc, habentur, quæ in pluribus Africæ Conciliis definita fuerunt, prout ea refert Labbæus. Cæterum observandum est 1. Gesnerum in duos dividere Canonem illum, qui in Labbæo est quadragesimus quintus. 2. Versionem Canonis 62. hujus Collectionis, qui est 61. in Labbæo, non continere, nisi quæ Græce habentur; cum in Labbæo interpretatio longe amplior textu originali sit. 3. Titulum *de Episcopis Tripolitanis*, qui hic habetur initio Canonis 92. in Labbæo haberi numero 90. 4. Canonem 99. qui in Labbæo Canonis 96. pars est, inscribi *de Exactoribus Ecclesiæ*; in Labbæo vero, *de Executoribus Ecclesiæ*: verbum enim ἐκβιβάσος utrumque significat. 5. Canonem 101. *Libera legatio esto* in Labbæo esse ad finem Canonis 97. 6. Canones 107. & 108. qui in Labbæo titulum habent, *Concilium de cognitione Episcopi*; contineri Canone 110. hujus Collectionis, de qua loquimur. 7. Symbolum Nicænum, quod in Labbæo post Canonem Africanum 137. habetur, a Gesnero referri Canone 138. qui Attici Epistolam excipit.

Quæ

Quæ deducta sunt ex Concilii Constantinopolitani Actis de Agapio & Bagadio, qui pro Bostræ Episcopatu contendebant, ea videntur latuisse Antonium Augustinum lib. 4. de Episcopis p. 125. & tit. 17. cap. 1. Fragmentum hoc de numero Prælatorum, qui Consecrationi Episcopi interesse debent, extat etiam in Juris Græci & Romani Collectione a Leunclavio data; Freher tamen perperam notat ad marginem, *Synodicon hoc totum Leunclavio deberi*, cum illud Gesnerus loco citato jam attulerit. Sequuntur græce & Latine Canones Concilii in Trullo, quorum versio differt ab ea, quæ habetur in Labbæo. Canones secundi Concilii Nicæni habentur hic cum versione, quæ ab Anastasii & Gentiani Herveti versionibus discrepat.

Commentarii in Concilia Auctore Christ. Lupo.

Christianus VVolphius, vulgo *Christianus Lupus*, Ordin. Eremir. S. Augustini, dedit in lucem Commentarios in Concilia tam Generalia, quam Provincialia volum. 5. in 4. quorum duo priora prodiere ann. 1665. Ad cujusque Concilii finem dat historicam Dissertationem, in qua examinat, qua occasione coactum fuerit, quove loco, vel tempore celebratum; explicatque controversias omnes, quæ in hanc rem haberi possunt. Binius, ut deinceps apparebit, Opus huic fere simile dederat: hi tamen Commentarii, de quibus loquimur, longe copiosiores sunt, animadversionesque graviores: neque enim simplices tantum Commentarios conficit, sed a proposito aliquando longe quidem, at erudite digressus, prout difficilia & obscura sese offerunt in Conciliis, plura ad Jus Canonicum, & Historiam Ecclesiasticam pertinentia graviter sapienterque pertractat.

Prima Pars, seu primus tomus continet Notas & scholia in Concilia Nicænum, Sardicense, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, Calcedonense, & quintum Generale.

Secundus continet 6. 7. & 8. Concilia Generalia una cum Synodo in Trullo.

Tertius Bruxellis cum tribus sequentibus editus ann. 1673. continet Acta Synodalia tempore Leonis IX. Concilia Remense, Romanum, Papiense, Maguntinum ann. 1049. celebrata, tum Romanum, Vercellense, Parisiense ann. 1050. item Romana ann. 1051. 1053. Et tria ejusdem Papæ Leonis IX. Decreta, quorum duo priora afficiunt ætatem libertatemque eorum, qui Religiosam vivendi rationem amplexantur; postremum est de Ordinatione Clericorum, quæ Quatuor anni Temporibus a jejunis Episcopis fieri debet.

Quartus tomus comprehendit Concilia sub Victore II. habita, h. e. Florentinum, Lugdunense, Turonense, ann. 1055. Tolosanum & Coloniense ann. 1056. Romanum, quod vult fuisse habitum sub Stephano IX. vel X. item Romanum anno 1059. sub Nicolao II. Decretum de Papæ electione, item aliud de Simoniacis, Concilia Amalphitanum & Beneventanum sub eodem Papa ann. 1059. Andegavense sub eodem ann. 1060. tandem Romanum ann. 1063. sub Alexandro II. quatuor ejusdem Papæ Decreta, & *Dictatus* Gregorii VII.

Quintus comprehendit undecim Concilia Romæ sub Gregorio VII. habita ab ann. 1074. usque ad ann. 1084. & Concilium Quedelemburgense ann. 1085. una cum Conciliabulo VVormatiensi. Hic pariter habetur Concilium Ultrajectense ann. 1079. Maguntinum, & Conciliabulum Brixiense an. 1080. Post Conciliabolum Romanum dat Maguntinum ann. 1085. & Conventum Bercae, de quo Conradus de Lichthenavv Abbas Urspergensis mentionem fecit. Idem edidit etiam Instructionem Cœlestini Papæ, titulum Decretorum Hilarii Papæ, & Concilium Neapolitanum Lovanii impressum ann. 1682.

Lupus primus pariter publici juris fecit Collectionem Epistolarum & Monumentorum, quæ pertinent ad Concilia Ephesinum & Calcedonense, deductam ex duobus MSS. altero Montis-Cassini, altero Vaticani. Huic Collectioni Lovanii impressæ ann. 1682. adjecit Scholia & Notas, quibus alterum volumen in 4. conflatur. Manuscriptum hoc, quod hic Latine tantum habetur, ab aliis antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis aliquando differt. Maximam huic Lupus auctoritatem tribuit, cum e Monasterio Constantinopolitano eductum fuerit, in eoque multa deregit huc usque ignota, licet alioquin fateatur, Collectorem ordine non prorsus accurato Epistolas collocasse, neque suis erroribus omnino carere. Balutius, qui in suam Conciliorum Collectionem hanc pariter Epistolarum Collectionem invexit, hujus Collectionis Auctorem conjicit fuisse Africanum trium Capitum propugnatorem; eundemque post Justiniani tempora Synodicon hoc collegisse adversus Tragædiam Irenæi, h. e. adversus Libros, quos Irenæus Nestorii partibus adhærens Tragædiam nuncupavit. Huic Synodico adjecit Notas Lupi Notis longe breviores, & aliquando etiam his dissimiles. Lupus cap. 117. contenderat, ab uno Damaso damnatos fuisse Lucium Arrianum, & Maximum Cynicum. Juxta Balutium, Damasus Lucium damnavit una cum Italiæ Concilio, totoque Occidente; Maximum vero adeo non damnavit, ut imo ejus partes contra Nectarium sequutus sit. Putat pariter commentitium pactum illud, quod Lupus cap. 192. vult inter Proclum & Domnum intercessisse. Sed & nullius esse ponderis ait, quæ ex Traditione Lupus eo affert, ut probet, cuilibet Christiano homini, præsertim vero Episcopis Angelum aliquem ad custodiam peculiariter datum fuisse.

Historia Conciliorum, Auctor. Anonymo.

Si titulum tantum inspexissem, inter Conciliorum omnium Historiam retulissem etiam Librum inscriptum, *Histoire des Conciles Generaux & Assemblées tenues en Orient & en Occident, depuis le tems des Apôtres jusqu' au Concile de Trente*, impressum apud Mauritium Villery 2. vol. 1699. in 12. Verum sane est, Auctorem hunc anonymum primo tomo agere de tribus Conciliis ab Apostolis coactis, deque iis, quæ, vigente Ecclesiæ persequutione, post Apostolos celebrata sunt, de Iconiensi in Licaonia, de tribus D. Cypriani Carthagine habitis de hæreticorum baptismo, de duobus contra Paulum Samosatenum, de Sinuessano, de Illiberitano, Ancyrano, Neocæsariensi, & Arelatensi adversus Donatistas: sed hæc ferme sunt Concilia illa Particularia, quæ in toto opere afferuntur.

Deinceps habentur Concilia Orientis Generalia, quæ post Ecclesiæ persequutionem coacta sunt. Ex occasione quinti Concilii Generalis, quod est secundum Constantinopolitanum habitum adversus Acephalos & Origenem, tria examinat & resolvit: primum, utrum Ecclesia aliquem damnare possit post ejus mortem; multaque affert in utramque partem argumenta: deinde quomodo tolli possit repugnantia & contrarietas, quæ inter quintum Concilium, & Calcedonense intercedit: tertio demum quomodo excusari defendique possit Vigilii Papæ inconstantia ac levitas. Quod spectat ad Acta sexti Orientis Generalis Concilii adversus Monothelitas, multis gravibusque argumentis ostendit, ea nequaquam corrupta depravataque fuisse, neque ad Papæ excusationem ratione hac opus esse. Septimum, quod est secundum Nicænum adversus Iconoclastas, Auctorem monet, ut narrationem instituat de Concilio Francfordiensi sub Carolo Magno, in quo Concilium Nicænum non prorsus receptum est; item de Concilio Parisiensi sub Ludovico Pio Imaginum causa celebrato; in quo Auctor ostendit, duo isthæc Concilia, salva Fide, potuisse adversari secundo Concilio Nicæno, in quo jus & factum inter se distingui oportet; Patres Francofordienses, prætermisso jure, factum tantummodo respexisse. Octavi Concilii historia gravissimas responsiones continet ad hanc quæstionem, utrum scilicet Papa octavum Concilium læserit, Photium recipiens ab eodem Concilio jure a sua Sede detrusum.

Generalia Occidentis Concilia plura suppeditant animadvertenda de Investituris, de hæresi Albigensium, deque Auctoritate, quam Papæ in Reges nonnulli tribuunt. Duas etiam quæstiones pertractant ad Concilii Constantiensis historiam pertinentes. 1. Utrum Concilium fidem Hieronymo Pragensi datam violaverit, cum eum damnatum sæculari potestati commiserit, & utrum definierit, tenendam fuisse, nec nec hæreticis fidem. 2. Utrum Ecclesia hæreticos jam damnatos sæculari potestati tradere possit.

Tomo secundo Auctor omnes Concilii Basileensis Sessiones singillatim expendit, quæque in eo majoris momenti peracta sunt, in medium affert. Antequam Pragmaticæ Sanctionis historiam aggrediatur, ostendit, quinam fuerit antiquus electionum usus, quidve ad hoc, ut ratæ essent, requireretur. Historia hujusce Pragmaticæ, Pactum inter Leonem X. & Franciscum I. transactum, & Conciliorum Constantiensis & Basileensis auctoritas medium fere volumen occupant; in eodem percurruntur etiam Concilii Tridentini articuli, rationesque afferuntur, quibus nonnulli probant, eos Ecclesiæ Gallicanæ Libertati, Regnique juribus officere. Historiam claudunt gravissimæ Dissertationes duæ, altera de celibatu, ex qua apparet, quo Lex ista tempore statuta fuerit; altera de matrimonio, de quo ex Galliæ legibus agit. Atque ita anonymus Auctor absolvit, quod initio statim sibi proposuerat, videlicet, ut Dissertationes aliquot ad Ecclesiæ Gallicanæ Regnique mores pertinentes daret.

Enumeratio, seu Index Conciliorum. Inter Conciliorum enumerationes sive Indices referri possunt, quos dederunt Prateolus, Padilla, Freherus, & Antonius Augustinus.

Enumeratio Conciliorum, Auct. Prateolo. Gabriel Prateolus Theologiæ Doctor Conciliorum enumerationem inseruit in eum Librum, quem de hæresibus edidit Coloniæ ann. 1583. In hoc Concilii naturam notat, utrum scilicet Generale sit, an Provinciale, Nationale &c. tum tempus, & annum, quo habitum fuisse putat; in quo sæpe fallitur. Explicat, quo Papa, & quo Imperatore fuerit celebratum. Denotat sæpe etiam locum, sed aliter, ac denotari deberet. Ita, quod *Varense* Concilium dicit, fortasse est *Vasense*, vel *Nannetense*; quod habitum inquit *apud Alphesum*, fortasse fuit *apud Atheum*, vel *Altheim*, vel *Augustodunum*. Citat rursus Concilia prorsus ignota; *apud Hermeriam*, *apud Faventiam*, *Genuense*, *Matiense*, *vel Maticense*, *Manetense*, *Urbanense*, aliaque; cum fortasse ponendum erat, *apud Vermeriam*, *apud Placentiam*, *Neocæsariense*, *Metense*, *Nannetense*, *Arvernense*, ut conjecerunt Antonius Augustinus, Labbæus, & Baluzius. Concilia Disciplinæ causa coacta distinguit ab iis, quæ ad hæreses profligandas celebrata sunt. Pleraque Concilia, quæ Disciplinæ regulas continent, Gallica sunt; veluti Agatense ann. 438. Vannetenr. ann. 458. Turonense ann. 462. Aurelianum primum ann. 512. Turonense secundum ann. 566. Parisiense primum ann. 567. Affert alia etiam & aliis regnis, veluti Bracarense secundum ann. 646. Maguntinum ann. 813. Triburiense anno 888. Non tamen omnia quæcumque habita fuerunt, Concilia adducit, sive quod nulla eorum Acta habuerit, sive quod ea ignoraverit. Peculiariter notat, non extitisse suo tempore integra Concilii Generalis Viennensis Exemplaria.

Perbrevis hæc Conciliorum notio habetur etiam impressa volumine secundo Chronicæ Ecclesiasticæ Chronicorum Latine editæ Francofurti anno 1614. in octavo.

Index Conciliorum per Franc. Padillam. Franciscus Padilla Theologiæ Doctor, & Hispalensis Professor Indicem Conciliorum omnium confecit, impressum Madriti per Franciscum Sanctium ann. 1587. Hujus Indicis initio habentur Prolegomena, de significatione vocabuli Conciliorum, de eorumdem divisione, & origine, a quibus cogi, & qua de causa possint, quinam his præesse debeant, de eorum utilitate, & auctoritate, de Conciliis, quibus Papa præfuit, deque iis, quæ ejus auctoritate coacta ab eodem approbata fuerunt; in decimo secundo horum Prolegomenorum articulo rationem reddit, cur non in Conciliorum generalium aliorumque numeratione Crabbe & Surium secutus sit. Auctores hi post octo priora generalia Concilia in Oriente habita, septem tantum recensent habita in Occidente; scilicet Lateranense sub Alexandro III. aliud item Lateranense sub Innocentio III. Constantiense, Basileense, Florentinum, Lateranense sub Leone X. & Tridentinum. Padilla ante hæc septem Occidentalia, affert aliud Lateranense sub Callisto II. quod Genebrardus vocat nonum Generale, & primum Occidentale OEcumenicum; item aliud Lateranense sub Innocentio II. in quo mille Episcopi interfuerunt, teste eodem Genebrardo. Dat pariter ante Concilium Constantiense, Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. quod Genebrardus, Papyrius Masson, aliique Generale vocant; aliud Lugdunense sub Gregorio X. in quo, juxta Platinam & Massonem, Michael Paleologus Constantinopolitanus Imperator una cum Græcis interfuit; & Viennense sub Clemente V. quod inter Generalia post Carranzam refert, atque ita Concilia generalia, quæ aliis quindecim sunt, viginti is facit. Animadvertit pariter, in præcedentibus Conciliorum Collectionibus non fuisse, nisi decem & septem Concilia Romana, cum ipse 62. afferat in suo compendio, h. e. tresdecim Lateranensia, & reliqua Romana, adeo ut, quod *Romanum* primum in Surio est, decimum tertium in Hispano Auctore sit; idque excipit Romana duo sub Victore I. & sub Fabiano Papa. Ita Surius nonnisi tresdecim Toletana Concilia affert, Padilla vero viginti. Præterea præter quatuor Concilia Constantinopolitana, scilicet 2. 5. 6. & 8. generalia, inter secundum, & quintum, affert alia duo sub Leone I. Ante illud, quod Surius appellat primum Concilium Carthaginiense sub Sylvestro, affert duo sub Papa Cornelio. Loco demum quinque Conciliorum Aurelianensium dat septem, quorum primum celebratum fuit sub Felice I.

Articulo sequenti agit de Conciliis Nationalibus, quæ non quidem constarunt ex Metropolitanis, & Episcopis hujus, vel illius Provinciæ, sed ex omnibus Episcopis alicujus Nationis, vel Regni, & aliquando plurium Nationum vel Regnorum. Horum enumerationem instituit, quæ alicujus potest esse utilitatis. Articulo ultimo adnotantur Libri & Auctores, ex quibus deducta sunt hujusce Indicis Chronographici Concilia.

Epitomen hanc, seu Chronographiam Index quadruplex excipit; primus continet Concilia ordine temporum, notatque Pontifices, sub quibus habita fuerunt, & paginam Epitomes, in qua mentionem de iis facit: secundus comprehendit seriem Conciliorum ordine alphabetico: tertius est *Onomasticon* Urbium locorumque, in quibus Concilia celebrata fuerunt: quartus est rerum tabula. Concilia, quæ quo tempora celebrata sint, ignorari ait, licet plures eorum Canones citentur in Ivone Carnotensi, & in Gratiani Decreto, sunt, ut ipse putat, ea, quæ coacta fuerunt *apud Altheum*, *apud Compendium*, *apud Confluentiam*, *apud Merech*, *apud Vermerias*, *Bilonense*, *Maciense*, *Silvanectense*, *Transiatense*, *Varense*, *Urbanense*. Sed cujusmodi Concilia sunt ea, quæ vocat *Bilonense*, *Maciense*, *Transiatense*, *Varense*, *Urbanense*, & *apud Merech*? Scio quidem reperiri hæc nomina in antiquis Exemplaribus, & in Gratiani Editionibus; sed ea non prius noveris, quam cum Balutio legas *Nannetense* pro *Varense*, & *Arvernense* pro *Urbanense*, *Cabilonense* pro *Bilonense*, & *Metense* pro *Maciense*. *Not. ad Grat.*

Chronologia Conciliorum, Auctore Frehero. In Imperii Orientalis & Occidentalis Chronologia, quam Marquardus Freherus præmisit Juri Græco Romano Canonico & Civili impresso anno 1596. Francofurti in fol. duobus columnis referuntur Concilia Ecclesiæ Græcæ & Latinæ a defuncto Imperatore Justiniano usque ad finem Orientalis Imperii, captamque Constantinopolitanam Urbem, h. e. ab exacto ann. 564. usque ad ann. 1460. Quorumdam horum Conciliorum nomina, licet valde corrupta, facile tamen cognosci possunt; ejusmodi sunt, quæ appellat *Fritslariense*, *Educense*, *Calnense in Anglia*, *Dingelfingense in Bojoaria*, pro *Frideslariense*, *Eduense*, *Calcutense*, *Dingelvingense*; sed alia item sunt ita deformata, ut a nostris recentibus Collectoribus cognosci non possint; veluti *Synodus Gradensis ann.* 580. *Azuniferdiana in Britannia anno circiter* 679. *Aschemensis in Bojoaria ann.* 765. *Dingalesinensis in Germania ann.* 766. *Dunensis ann.* 779. *Genuensis ann.* 782. *ad fluvium Lippam in Saxonia ann.* 800. *Hallensis ann.* 803. *Altheimensis ann.* 916. *Bonnensis post ann.* 942. *Gandhersheimensis ann.* 1021. *Geilicensis ann. circiter* 1026. *Mersburgensis ann. circiter* 1028.

Initio Epitomes Juris Canonici antiqui Parisiis

Enumeratio Conciliorum, Auctore A. Augustino. editæ ann. 1641. Auctore Antonio Augustino, habetur enumeratio Conciliorum generalium Orientalium, & Occidentalium, & Provincialium. Admonet initio statim, se silentio prætermisse plura Concilia, quæ in Juris Canonici Corpore afferuntur, veluti Milevitanum, sextum & septimum Carthaginiense, Emeritanum, & Nannetense; quod si in suum Catalogum intulisset, quæcunque in Jure allegantur, etiam falsas Synodos dedisset, veluti Antiochenum, cujus plures Canones usus ob eorumdem utilitatem consecrasse videtur, vel dedisset Concilia Hæreticorum, veluti id quod appellatur *in Trullo*, cujus nonnulli Canones approbati sunt; quæ omnia omittenda putavit, ne eum veris legitimisque confunderet. Igitur videtur non enumerasse nisi Concilia Provincialia, quæ a Summo Pontifice confirmata & approbata fuerunt.

Compendium Conciliorum particulatim. Nimis sane longum esset, si omnia hic Conciliorum unius Provinciæ, vel Regni compendia percurrere vellem, vel ordine temporum, vel alphabetico.

Per Cardin. d'Aguirre. Superius commemoravi compendiariam Conciliorum Hispaniæ notitiam, quam Cardinalis d'Aguirre edidit Salamanticæ ann. 1681. in 12. Synopsis eorumdem Conciliorum Romæ impressa anno 1695. in 12. tantæ molis non est, ut in ea pluribus immorari debeamus.

Per Scholanum. Caspar Scholanus ordine alphabetico digesserat Decreta, quæ in Valentiæ Conciliis fuerant lata. Epitome isthæc est impressa Valentiæ apud Petrum Mey ann. 1616. in 8.

Per H. Corium. Etiam Haymon Corius Mediolanensis, Clericus Regularis ex Congregatione S. Pauli, seu Barnabita confecit Epitomem Decretorum Conciliorum omnium Provincialium & Diœcesanorum Ecclesiæ Mediolanensis Mediolani impressam an. 1640. in 4. Cum hujus Ecclesiæ Acta & Decreta & summæ utilitatis, & numero prope infinita, nihil Auctor gratius gratiusque facere potuit, quam ut ea in ordinem alphabeticum redigeret.

Index Disciplinæ Ecclesiasticæ, Auctore Hermant. Cum Hermant Liber, cui titulus, *Clavis Ecclesiasticæ disciplinæ*, Insulis editus ann. 1693. sit Index universalis totius Juris Ecclesiastici, poteram eum hoc loco silentio præterire, eoque magis, quod ab Auctore fuerit in peculiarem sui ipsius usum confectus. Eo utebatur, tanquam tabula generali, in qua sibi per compendia repræsentabat, quicquid perlegerat Canonum, Epistolarum Pontificum, Præscriptorum Episcoporum, Constitutionum Principum ad Ecclesiæ Disciplinam pertinentium. Erat Auctori suo maxime utilis hæc Tabula, quæ non solum quæ legerat, sed etiam quæ legendo animadverterat, ipsi in memoriam revocabat. Verum cum hæc eadem non ad Regiam solum, sed ad quamcumque aliam Conciliorum editionem accommodata sit, optimum duxi, quædam de hoc Opere dicere.

Id igitur in duas Partes divisum est. Primæ partis tituli in tres classes distriburi. Prima classe habentur primum Fundamentum Religionis Christianæ, quæ sunt Fides, Pietas, & Scriptura; deinde quæ respiciunt Hierarchiam, & Personas Ecclesiasticas; scilicet Papam, Patriarchas, Cardinales, Primates Metropolitanos, Episcopos, tum eorumdem institutionem, ordinationem, residentiam, & officia; Abbates, Canonicos, Presbyteros, Diaconos, Clericos inferiores, & Monachos. Secunda classis est de Sacramentis; tertia de Hæreticis, Schismaticis, Judæis, & Paganis.

Secunda Pars, licet amplior, duas tantum titulorum classes complectitur. Prima est de rebus Ecclesiasticis; h. e. de Cæremoniis, Horis Canonicis, Festis, Jejuniis, Invocatione Sanctorum, eorumdemque Imaginibus, & Reliquiis, de Miraculis, & Peregrinationibus. Secunda classis est de Jurisdictione Ecclesiastica, de Bonis & Reditibus, de Defensoribus & Confessis Ecclesiæ, de Asilis, de Caussis Clericorum, de eorumdem Habitu, & Tonsura, de Beneficiorum singularitate, de Accusationibus, de Testibus, de Excommunicatione, & Interdicto. In hac secunda Parte magnam integrorum Canonum & Decretorum vim & multitudinem exhibet Hermant cum suis Observationibus.

Decreta Ecclesiæ Gallicanæ, Auctore L. Bouchel. Laurentius Bouchel Valsius, & Supremæ Curiæ Parisiensis Patronus ann. 1609. in lucem dedit Ecclesiæ Gallicanæ Decreta. Opus hoc est veluti Codex juris Canonici Gallicani. Is deductus est ex Conciliis, statutis Provinciliabus, Synodalibus, & Diœcesanis, ex Regum Præscriptis, ex Curiæ Decretis, ex Episcoporum Gallicorum Scriptis, & ex aliis tum antiquis, tunc recentibus Monumentis. Hujusinodi Collectio magnæ esse potest utilitatis, præsertim si addantur, quæ postremis temporibus præscripta sunt. In hac copiose ordinateque tractantur, tum quæ ad Jus Canonicum spectant, tum quæ ad instituendam vitæ disciplinam, & ad ritus consuetudinesque Gallorum pertinent.

Totum Opus in octo Libros divisum est. In primo affert Canones, qui respiciunt Fidem, cultum Dei, ejusque verbi prædicationem, Præcepta Decalogi, Virtutes Morales, & Theologicas, Divinorum Officiorum celebrationem, Libros Ecclesiæ, Traditiones, Hæreticorum fugam, Judæos, Paganos, Idololatras, Gratiam, & Liberum Arbitrium.

Libro secundo agit de Sacramentis, de Baptismo, de Energumenis, & Cathecumenis, de Confirmatione, & Sacro Chrismate, de Pœnitentia, ejusque partibus, de variis peccatis, de Operibus Misericordiæ, de quinque Sensibus, de casibus reservatis, de censuris, de Pœnitentibus, de Absolutionibus, & de Indulgentiis.

Libro tertio eandem persequitur Sacramentorum materiam, agitque de Eucharistia, de Sacramento Ordinis, de variis Ecclesiasticis Ordinibus, de Sponsalibus, de Matrimonio, de secundis Nuptiis, de Cœlibatu, de Extrema Unctione, de Sepulturis, de Cæmeteriis, & Oblationibus, de Satisfactione, de Purgatorio, de Testamentis, & Legatis.

Libro quarto complectitur ea, quæ afficiunt Ecclesias; Sacella, Oratoria, eorumque ornamenta, Campanas, Organa, Imagines, & Reliquias, Miracula, Festa, Vigilias, & Jejunia, Processiones, Peregrinationes, Vota, alienationem bonorum Ecclesiasticorum, Privilegia Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum, Jura & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque statum, vigente Schismate.

Libro quinto Canonum doctrinam explicat, quæ afficit Galliæ Regem, ejusque Sacram Unctionem, Legem Salicam, Regis & Papæ potestatem, ipsum Papam, Legatos, Archiepiscopos, & Episcopos, Pastorum residentiam, Presbyteros, & titulum Sacerdotalem, Nosocomia, elephantiacotrophia, Seminaria, Scholas, & Universitates, Visitationem, Procurationem, Exemptiones, Decanos rurales, Archipresbyteros, Synodum Diœcesanam, & Concilia Provincialia.

Libro sexto agit de Capitulis, Dignitatibus, Canonicis, de quotidianis distributionibus, de filiis Chori, de Officiis Curatorum & Capellanorum, de Fabricis, de Decimis, de Laicis, de Sodalitatibus, de Quæstoribus, de Fabricis, de Æditimis, de Vita Clericorum, eorumque ornatu, de Aleis, Choreis, & Spectaculis.

Liber septimus afficit Monachos, Abbates, Religiosas, Monasteria, Ordines Mendicantium, Apostatas, Beneficia, Collationes, Commendas, Electiones, Nominationem, Possessionem, Jus Patronatus & Regaliæ, eos, qui caduci jure beneficia nanciscuntur, Cancellariæ regulas, reservationes, gratias, expectativas, & regressus, unionem Beneficiorum, annua Sacerdotii vacantis vectigalia, fructus Beneficiorum, Simoniacos, & Fiduciarios, Notarios Apostolicos.

Libro octavo agit de Legibus & Constitutionibus, de Privilegiis & Dispensationibus, de Rescriptis, Mandatis, & Bullis Apostolicis, de Actionibus Civilibus & Criminalibus, de criminibus, de Simplicibus Provocationibus, de pœnis, de iis, qui condemnati fuerunt, & rursum in integrum restituti.

Hæc ego singillatim commemoravi, ut, qui hæc scire cupit, sciat, quo confugere debeat: sed magis ad propositum meum pertinet enumeratio, quam hujus Collectionis initio institui, Conciliorum & Synodorum, quæ primus omnium citavi, nunquam ante hanc Collectionem impressa,

Labbæus in sua Synopsi fatetur, se plura ex Laurentio Bouchel desumpsisse; hujusmodi sunt Synodus Lemovicensis ann. 1028. Synodos Castri Gonterii ann. 1221. 1253. 1268. 1336. Constitutiones Concilii Provincialis Conaci anno 1238. & 1262. duo Concilia Turonensia ann. 1239. & 1282. aliud habitum in Val-guyon anno 1242. nonnulla Salmurii ann. 1253. 1276. & 1315. duo Ruffaci ann. 1258. & 1326. Statuta Concilii Provincialis Nannatensis ann. 1264. Statuta Concilii Andegavensis ann. 1269. Concilium Bituricense ann. 1276. plures Episcoporum Pictaviensium Constitutiones ann. 1280. & 1284. duo Compendii Concilia ann. 1302. & 1329. duo Augustomagensia ann. 1317. & 1326. aliud Noviodunense ann. 1344. Nihilo tamen minus quædam omisit; eo quod fortasse Synodi tantum simplices erant; ejusmodi sunt plures Synodi Andegavenses & Pictavienses, aliud Castri-Gonterii ann. 1236. aliud Condates ann. 1263. & Statuta Synodalia Remensia ann. circiter 1330.

Laurentius Brancatus de Lauræa, Ordinis Fratrum Minorum Conventualis, Romæ Theologiæ Professor, & S. Officii Consultor dedit ann. 1659. *Epitomem Canonum omnium, qui in Conciliis Generalibus ac Provincialibus, in Decreto Gratiani, in Decretalibus, in Epistolis, & Constitutionibus Rom. Pontificum usque ad SS. D. N. Alexandri VII. annum quartum continentur*. Opus hoc ordine alphabetico dispositum est quoddam veluti Lexicon Juris Canonici. Quolibet vocabulo, quod titulum peculiarem constituit, examinat Auctor Quæstiones Canonicas, & summatim Decreta refert, sive Conciliorum, sive Pontificum, quibus potest illustrari. Citat Concilia, juxta editionem Collectionis Binii confectam Coloniæ anno 1606. Ubi Lectorem remittit ad Canones Apostolorum, iisdem Concilii nomen dat, *Concilium quod vulgo dicitur Apostolorum*. Concilii Niceni Canones reducit ad septuaginta, adductus epistola, quam D. Athanasium Papæ Marco scripsisse ferunt, in qua dicit, Nicænos Patres Canonum numerum in honorem 70. Discipulorum ad septuaginta reduxisse; quos iisdem Papam sibi misisse ait ex autographo, quod Romæ servabatur, fideliter exscriptos. Observandum est, Auctorem vel falsa & supposititia in rei gravissimæ probationem adduxisse, fatente etiam Binio, quem sequutus est, vel plus æquo falsis Decretalibus detulisse. Utrumque ostendit, criticem ei defuisse, præsertim in hujus Operis citationibus. In Chronologia, & in Notitia Conciliorum & Pontificum Roman. nihil Binio accuratior. Tandem Index hic longe brevior Indice Labbæi est, multaque illi desunt ad hoc, ut perfecta Decreti, & Decretalium Conciliorum Tabula haberi possit.

CAPUT III.

Quænam requirantur ad perfectam Conciliorum Collectionem.

IN Collectione duo consideranda sunt, materia, qua constat, & forma, quæ in ea servatur. Materiæ nomine veniunt Acta & Opuscula, quæ continet: forma vero sita est in rerum dispositione, in gradu locoque, qui quibuslibet Opusculis tribuendus est, in notione, quam eorumdem exhibent Compendia, notæ, & observationes, in Chronologia, qua maxime Collectio illustratur, deducta per annos Jesu Christi, Roman. Pontificum, & Imperatorum, in distinctione & elegantia characterum, quibus imprimitur, verbo in Ordine, qui in toto Opere, & in qualibet ejus parte accurate observatur. Hæc omnia ad Collectionis perfectionem non mediocriter conferunt.

ARTICULUS I.

De Materia, qua Conciliorum Collectiones constare debent, & de Collectoris cura quoad hanc partem.

CONciliorum Collectio constat ex eorum Actis, ex Opusculis ad eadem pertinentibus, ex Epistolis Pontificum, Episcoporum, aliorumque, qui hisce conventibus interfuerunt.

Non habetur Conciliorum omnium textus, isque aliquando depravatus est; hujus versiones antiquæ vel recentes iisdem fere vitiis laborant; erat igitur necessario videndum, quid sit, quod ad textus, versionumque perfectionem conferre possit.

I.

Ea igitur præcipua Collectoris cura esset debet, ut in Collectione aliqua conficienda ad MSS. confugiat: sine quorum præsidio vix fieri potest, ut sincera ac legitima Conciliorum Acta publice edantur. *Collectori confugiendum est ad MSS.*

Et sane, qui scias, habere te Conciliorum Acta integra, vel Canones integros, nisi prius quæ impressa sunt, conferas cum MSS. Licet enim regulæ, quæ in Synodis statutæ fuerant, eædem in omnibus exemplaribus fuissent, aliqua tamen inerat differentia quoad Acta Synodalia; quæ, cum ejusdem Concilii essent, in aliis tamen plura, in aliis pauciora habebantur. Qui sextum Concilii Nicæni Canonem examinarunt, affirmare pronunciant, eum nos integrum non habere neque Græce, neque in impressis versionibus; ita sentiunt Bellarminus, Baronius, & Sirmondus, hujusce Canonis citatione adducti, in Concilio Calcedonensi facta a Leonis Papæ Legatis: ibi enim sic incipit: *quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, teneat autem & Ægyptus*. Labbæus ait, eodem modo incipere in MS. Hardi, & in pluribus aliis. Quesnellius aliter sentit; licet enim verba hæc repererit in antiquo, ut appellat, Ecclesiæ Rom. Codice, quem publice edidit, adhuc tamen concludit, Canonem hunc imperfecte haberi in Græco autographo, vel in versionibus; contenditque, hanc esse additionem Romano huic Codici factam vel data opera, vel etiam inconsulto; eam initio fuisse notam, quæ ex margine in textum mox irrepsit Amanuensium inscitia; ex eo demum Codice Legatos desumpsisse Canonem illum, quem in Concilio Calcedonensi citarunt. Hujus opinionis rationes has affert non contemnendas: *Absurdum esset*, inquit ille, *dicere, Græca omnia exemplaria fuisse corrupta, neque ea antiquos Interpretes Græcos & Latinos umquam integra habuisse, Ecclesiasque omnes Orientales quarto & quinto sæculo nonnisi imperfectos Nicænos Canones item habuisse*, quod nihilominus verum esset; siquidem desunt hæc verba in versionibus, quas Ecclesia Constantinopolitana Carthaginem misit ann. 419. & in Exemplari Græco, quod a S. Cyrillo Alexandrino missum fuerat; & in recenti Dionysii Exigui versione. Digna sane hæc videntur quæstio, in cujus explicatione operam suam collocent Sapientes viri. *Conc. tom. 4. col. 40. & 46. Discipl. de l'Eglise tom. 2.*

Quamvis haud mihi propositum sit, Concilia omnia percurrere, ut, quænam ex iis integra habeamus, appareat, vel MSS. recensere, quæ Conciliorum Collectores ante consuluerunt, non inutile tamen arbitror id præstare, quoad Concilia Generalia.

Pauca admodum habentur ex Concilio Nicæno. De Valois observat, nihil in hoc Concilio scriptum fuisse, præter Formulam Fidei, Canones & Epistolam Synodicam, quæ omnia subscripta fuerunt. Eusebius ea tantum affirmat *scriptis mandata, & singulorum subscriptione roborata; quæ in commune placuerant*. Baronius quidem ait, extitisse quædam Acta ab hoc Concilio conscripta, citatque opinionis suæ testem D. Athanasium: sed is deceptus est latina hujus Patris versione, quæ ita se habet, *supersunt Acta Patrum*, cum Græce legatur, ἔτι τὰ τῶν πατέρων, h. e. supersunt Patrum scripta, h. e. Fides, Canones, & Epistola Syno- *MSS. Concil. Nicæni Not. in Euseb.* *Lib. 3. de Vita Constant. capit. 14. ad ann. 325. n. 62.*

Synodica. Id ipsum vehementius confirmat D. Athanasius in Epistola de Decretis Synodi, in qua cuidam amico, *qui, quæ in Synodo gesta sunt, nosse desiderabat*, dicit *se statim significasse quæcunque illi acta sunt*.

In editione Conciliorum Generalium, quæ Romæ prodiit ann. 1608. Actis Conciliis Nicæni a Gelasio Cyziceno illustratis præmittitur Admonitio, in qua observatur, Alphonsum Pisanum ex Græco Vaticani MS. eduxisse maximam illorum partem, quæ de hoc Concilio exhibet, easque Acta adhuc existere in exemplari Græco MS. quod ex Cardinalis Bessarionis Bibliotheca in Sforziadum Bibliothecam transierat. Græcæ Editioni Parisiis ann. 1590. in 8. concinnatæ ad MS. quod Franciscus de Noailles a Græcis Monachis emptum in Galliam detulerat, Belforêt addidit versionem latinam, deprecante Ægidio de Noailles Francisci fratre. Notat hic interpres mendas & vitia, quibus scatebat Græcum exemplar ex Cnido insula delatum. Siquidem *erat nimis festina manu, notisque insolentibus, quas vix Græci agnoscerent; falsa sæpe accentuum notatione, obscuro litterarum tractatu, mutila versuum & periodorum interpunctione*. Optat præterea, *ut se proferat aliquis, qui novo præstanti scripto luculentius illustrando, tam maturam nominis & gloriæ cupidissime sequatur opportunitatem*. Federicus Morellus, qui hæc Acta Græce & Latine edidit, usus est præsidio Petri Stellæ, qui ea cum accurato Bibliothecæ suæ MS. contulit. Illud erat optandum, ut Romani Editores cum Federico Morello ad marginem loca ab hoc Impressore restituta, & ex Petri Stellæ MS. deducta adnotassent, una cum iis, in quibus hoc MS. ab Eusebii textu differt; ut una cum ipso textum in mendosis locis emendassent; sed vel negligentia, vel oscitantia factum est, ut plures errores jam antea correcti præterlaberentur. Cæterum in multis differunt inter se istæ editiones; & Alphonsus Pisanus a Belleforêt, seu Balforeo, Balforeus a Romanis editoribus, isti rursus ab illis aliquando dissentiunt, & aliquid omnes pro ingenio quisque suo mutant. De his mutationibus omnibus ita tenendum est: Romani editores aliquando usi sunt Notis, quas Federicus Morellus ad suæ editionis calcem adjecit, non tamen indicavit, unde illas desumpserit; P. vero Labbæus alias insuper addidit Notas, veluti quæ habentur secundi libri initio, ubi legis *τὸ συνάσιως* pro *συνάξεως*. Atque id fortasse est, quod significavit his verbis ad marginem collocatis: *Alphonsi Pisani S. I. versio interpolata, & in quibusdam emendata a Balforeo & Romanis editoribus*. P. Harduinus in Gelasii textu videtur vel nihil, vel admodum pauca immutasse. In Notis, quæ ad Textum sedent, citat Allatii MS. Alexandri epistolam continens, quæ Arrii, ejusque asseclarum cladem refert, cap. 3. primæ Partis. Citat etiam MS. ex Jesuitarum Parisiensium Bibliothecæ, cap. 10. & 11. libri 2. & 3. & ad marginem Notas affert, quæ Textum illustrant. Nulla igitur alia hujusce Concilii Acta extiterunt, siquidem omnibus fuerunt antiquis Historicis ignota. Acta, quæ Gelasius Cuzicenus Dalmatio attribuit, ea ex Eusebio, Theodoreto, Socrate, Sozomeno, aliisque Scriptoribus collecta fuerunt.

MSS. II. Concilii Generalis.

Ex omnibus Actis, quæ in Concilio Constantinopolitano confecta fuerunt, nihil aliud superfuit, præter Canones, Epistolam Synodicam ad Imperatorem Theodosium, & Symbolum. His adjungi potest S. Gregorii Nazianzeni Oratio de suo discessu, item Oratio S. Gregorii Nysseni in mortem S. Meletii. Postrema hæc Opuscula habentur inter opera horum Ecclesiæ Patrum. Reliqua sunt in Historia Ecclesiastica Theodoreti. Canones desumpti sunt ex Canonum Collectionibus Græcis, vel Latinis. Hic tantum animadvertemus, Dionysium exiguum quatuor primos Canones in tres redactos in suum Codicem contulisse; eosdem haberi in Codice a P. Quesnellio dato; eumdem Dionysium Canone secundo comprehendere ea, quæ juxta Græcos habentur in tertio; postremos tres Canones ab hoc Collectore fuisse prætermissos; ab hoc Concilio fuisse confectum Tomum, vel satis amplam Fidei Professionem; hanc fortasse fuisse epistolam ad Occidentales de hæresi Apollinaris conscriptam, cui fortasse adjungebatur primus Canon, qui recentium omnium hæresum anathemata continet; denique, si quædam Decreta ante tres primos Canones condita sunt, ut illud fortasse, quod Maximum afficit, non tamen ea fuisse subscripta, & in Canones redacta, nisi electo Nectario. Crabbe admonet, se Episcoporum subscriptiones deduxisse ex quatuor, vel quinque admodum imperfectis MSS.

MSS. III. Concilii generalis.

Plura Concilii Ephesini Opuscula, quæ in MS. Cæsaromagensi habentur, non sunt neque in MS. Colberti, neque in Turonensi, quod ex Colberti MS. fortasse fuit exscriptum, neque in hujus Concilii editione, quam dedit le Cointe. Ejusmodi sunt Epistolæ Nestorii ad Cælestinum Papam, & Epistola Cælestini ad Imperatorem Theodosium. Plura, quæ in his MSS. reperiuntur, desunt in Cæsaromagensi, veluti Acclamationes. Subscriptiones omnium Episcoporum neque in ullo exemplari Latino, neque in Græcis habentur. Ex 200. & amplius Episcopis, quibus Concilium constabat, 150. Epistolis, & Nestorii depositioni subscripsere. Attici & Amphilochii testimonia in antiquissimis exemplaribus desunt. Quatuor Cælestini Papæ Epistolas, quæ in MS. Cæsaromagensi habentur, nuspiam alibi legas. In Cancellarii Seguerii Bibliotheca habetur antiquum Actorum Concilii Ephesini MS. quod ejusdem Concilii initio datum est, id ex Bibliotheca Antonii le Cointe eductum fuit. Sed eo locupletior factus est Peltan, præsidio MSS. ex Bibliotheca Bavarica. Græcum vero, quod Hieronymus Commelin primus Edelbergæ dedit, fuit ex Biblioth. Reuchlin desumptum.

MSS. IV. Concilii Generalis. Nov. Collect. Concil.

Ad Concilium Calcedonense quod attinet, Balutius in præfatione ad hoc Concilium, plura ejusdem Opuscula memorat, quæ deprehensa sunt in MSS. quibus sunt usi Liberatus, Facundus, & Rusticus; sed neque omittenda sunt MSS. Joly, & Boulier. De Valois in Notis ad Ecclesiasticam Evagrii Historiam, hunc ipsum Historicum contulit cum Actis, quæ habemus, Concilii Calcedonensis; doceretque, hujus Concilii Exemplaria, quæ Evagrius præ manibus habuit, ab iis discrepasse, quæ hodie habemus. Ordo, qui est in Collectione, quam habebat Evagrius, quique etiam num conspicitur in quibusdam antiquis Exemplaribus, ejusmodi est. Actio prima ita se habet, ut in Collectione, quam hodie habemus. Secunda, quæ in nostra est tertia, Dioscori condemnatio est. Tertia est, quæ nobis secunda, in qua recitata sunt Symbola Concilii Nicæni, & Constantinopolitani primi, Epistolæ SS. Cyrilli & Leonis. Quarta convenit cum nostra. Quinta perpendit Fidei difinitionem. In sexta, hæc ipsa definitio lecta & subscripta est, præsente Marciano Imperatore, tresque item Canones approbati. Septima in his exemplaribus alios Canones continet. Octava, quam nos septimam facimus, approbat pactum inter Maximum & Juvenalem transactum. Nona est Theodoreti purgatio. Decima & undecima Ibæ purgationem comprehendunt. Decima secunda & decima tertias factum Ephesi. Decimaquarta factum Basilinopolis. Decima quinta Sabiniani factum complectitur. Decima sexta & ultima disceptationem continet de prærogativis Constantinopolis.

Histor. Eccles. l. 2. c. alt.

Quærendum num esset, quodnam ex his exemplaribus præstantius sit. De Valois probat ea, quibus Evagrius usus est, non solum ob ipsorum antiquitatem, sed etiam propter ordinem, qui in iis servatur; causa enim Dioscori prius diligenter examinata, tum interposita sententia Judicum, qui Dioscorum deponendum esse pronunciaverant, quod contra sanctos Canones deliquisset; quibus constat prima Actio; illud restabat, ut Dioscorus Canonico judicio condemnaretur; hinc Actio, in qua ab Episcopis Synodico judicio depositus fuit, sequi primam Actionem debet; atque hoc ordine ab Evagrio & Nicephoro collocatæ sunt.

MSS. V. Concilii generalis.

Concilii 5. Generalis ann. 553. habiti Græce non habentur, nisi Canones, & quædam opuscula; Acta hac lingua non habentur, ut observat P. Fronto in Epistola ad Tonguagelum, primo Bibliothecæ Vindobon. tomo allata. Atque hic Græcorum

norum exemplarium defectus Conciliorum græcorum editionem, quæ parabatur, vel retardavit, vel prorsus intermitti coegit. *Habemus quidem*, inquit ille loc. cit. *in Regia Bibliotheca Synodum Constantinopolitanam sub Menna habitam; sed illa non fuit Generalis*. Concilii quinti fragmenta, quæ græce habentur, deducta sunt ex sexto Generali; ex Concilio Florentino, ex Evagrio, Cedreno, & ex Caleca. Præter Opuscula inter Acta græce collocata, habentur eadem lingua quatuordecim Anathematismi, sive Capitula cum subscriptionibus. Ea conferri possunt cum MSS. Ecclesiæ Parisiensis. Decretalis Vigilii Papæ, qua Concilium quintum confirmavit, deducta est ex Regiæ Bibliothecæ MS. Habentur pariter Concilii quinti plura exemplaria latina, eaque inter sese diversa, juxta Balutium. Epistolæ Vigilii in latino exemplari Bibliothecæ Patriarchalis Constantinopolitanæ non extabant usque ad Pauli tempora, qui Sedem Patriarchalem tenuit ab ann. 642. usque ad ann. circiter 652. Probat tamen Constantinus Grammaticus, Vigilii Libros fuisse in authentico quinti Concilii græco MS. ex eoque in latinum translatos.

Nov. Collect. Conc. p. 1485. num. 13.

MSS. VI. Concilii generalis. Tom. 5. Conc. Romæ.

Editio Conciliorum Romæ confecta ann. 1608. ostendit, quænam sint exemplaria græca & latina, quæ ratione Concilii sexti inter se collata sunt: eorum autem quatuor citat, h. e. *duo Bibliothecæ Vaticanæ, tertium olim Cardinalis Sirleti, nunc Bibliothecæ Ducis ab Altaemps, quartum Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis. Non solum autem latina interpretatio ex codicibus MSS. Vaticanis emendata est, sed etiam* (quæ Collectoris cura esse debet) *ubi interpres in suo textu græco aliter legisse videtur, quam nunc in nostris codicibus habeatur, vel Græcorum verborum sensus non est rite expressus, diversitas in margine indicata; nonnulla quoque Græce ex Latina versione ad marginem annotata*. Sed hac de re deinceps dicendum erit.

Binius putat, Acta Concilii VI. esse mendosa, pluribusque in locis corrupta; Anastasium, qui Synodalium Actorum Epitomen confecit in Agathonis Papæ Vita, plura illuc intulisse, quæ in impressis deerant; alia item, præsertim ubi de Papa Honorio agitur, fuisse adjecta, Monothelitarum dolo. Sed hoc ad Criticem pertinet, & ab instituto meo alienum est.

Jun. tom. 5.

Quærit P. Papebrochius, utrum Synodicæ Epistolæ, in quibus Honorii condemnatio habetur, receptæ fuerint a S. Leone II. ut nunc se habent, in latinum translatæ, & an eas publice una cum Actis ediderit. Sed idem fatetur, omne hac de re dubium tolli a Diacono Agathone in Admonitione, sive Epilogo, qui sexto Conciliorum tomo habetur. *Omnes*, inquit ille, *actorum tomos litteris Ecclesiasticis jure & nitide propria manu scripsi, qui etiam in Palatio Imperatoris tuto fuerunt repositi*. Post hæc addit: *Quin etiam quinque Patriarchalibus Sedibus tradita exempla hujus decreti scripsi similiter*. Non dicit quidem Agatho aperte & expressis verbis, plura scriptorum Actorum Exemplaria fuisse: sed id satis evincitur ex consequenti oratione, in qua sic habetur: *Hæc quoque pro Imperio decernens* (Bardas) *ut appellatio Sergii, & Honorii, & reliquorum, qui cum eis ejecti fuerant & anathematizati a sancta & acumenica Synodo, in sacris sanctarum Ecclesiarum dypticbis recitaretur, & eorum in locum suum reponerentur imagines; brevissimo autem post tempore, cum eos quoque, quos diximus, invenisset in Imperiali Palatio repositos, mea manu scriptos ejusdem sanctæ & acumenicæ Synodi sextæ actorum tomos, eos ejiciens & in publicum proferens in secreto igni tradidit & abolevit*. Manifestum est, consumpto autographo, plura exemplaria fuisse reservata, quæ a Græcis neque pro arbitrio confingi, neque, fraudis occultandæ causa, ex Romanorum oculis subduci tollique potuerunt.

Labbe Conc. tom. 6. col. 1404.

MSS. VII. Concilii generalis. Anast. in Hadrian.

Quod attinet ad Concilium septimum, quod est secundum Nicænum, editores Romani usi sunt duobus MSS. Græcis Bibliothecæ Vaticanæ, & altero Antonii Augustini. Alterum ex his duobus MSS. fortasse erat Originale Græcum Actorum Concilii Romam delatum a Legatis Hadriani I. Papæ, & ejusdem jussu latine translatum, & in Vaticana repositum. Quod ad latinam interpretationem attinet, tres distinguuntur; prima, quæ Hadriani Papæ jussu confecta est, quæque Græcum textum ita verbo ad verbum refert, ut vix intelligi posset, aut ab ullo legi; quæ res eo Anastasium Bibliothecarium adegit, ut centum fere post annos novam versionem daret. Præter hanc, aliam habemus hac imperfectiorem, sed prima meliorem. Romani editores primi dederunt Anastasii versionem, quam magni Baronius faciebat, quod plura, eaque, secundum P. Morinum, magni momenti, quæ in impressis deerant, ipsa suppeditaret. Tertia impressa est in Editionibus Conciliorum Binii, & Labbæi; qui postremus eam attribuit G. Long. hoc est *Gisberto Longolio*. Actio octava, quæ Græce habetur, neque ab Anastasio, neque a G. Longolio translata fuit, sed fortasse vel ab Agellio, vel ab aliquo Editorum Collectionis Romanæ.

Præfat. in 7. Synodum.

Conc. Lab. to. 7. col. 651.

MSS. VIII. Concilii generalis.

Exemplar Actorum VIII. Concilii Generalis fuit Romam delatum a Papæ Legatis, & in Ecclesiæ Romanæ Tabulariis collocatum. Anastasius ea, prout diversitas linguarum sinebat, vertit ad verbum, Græcæ dictioni aliquando plus æquo adhærens. Ad marginem addidit Notas, quibus nonnullas explicat Græcorum consuetudines, itaque facta, quæ Romæ, vel Constantinopoli in re perceperat; ita ejus versio Textu est valde longior. Præfationem apposuit in modum epistolæ ad Hadrianum Papam, in qua historiam Photiani Schismatis, Concilii celebrationem, versionisque suæ occasionem exponit, tum subdit: *Ne in Græcis hujus Concilii Exemplaribus aliquid processu temporis vel adderetur, vel immutaretur, sciendum est, nihil ab eo definitum fuisse, nisi quod habetur in Exemplari Græco, quod extat in Archiviis Ecclesiæ Romanæ, quod in latinum fideliter translatum fuit*. Declarat, se Concilio interfuisse; ex quo ejus versioni magna accedit auctoritas. Integra hujus Concilii Acta non habemus, nisi in hac Latina versione; Acta Græca, quæ impressa sunt, non sunt, teste Fleuri, nisi eorum compendium, multo quidem illud judicio confectum, non tamen omnia comprehendens, quæ in autographo sunt. Versio Græco respondens auctorem habet Matthæum Raderum, qui versionem cum Græcis Vaticanæ, & Antonii Augustini MSS. contulit. Idem pariter difficilia & obscura loca Scholiis illustravit.

Conc. Lab. to. 8. col. 961.

MSS. I. Concilii Lateranensis.

Ex Concilio Romæ habito ann. 1123. quod censetur nonum OEcumenicum, & primum Lateranense, viginti duo tantum Canones nobis supersunt. Iidem etiam maxima ex parte ex præcedentium Conciliorum decisionibus deducti sunt. Lectiones in omnibus fere MSS. variæ. Eas Balutius dedit in lib. 8. de Concordia Sacerdotii & Imperii, juxta antiquum MS. Monasterii Anianensis. Emicat hæc differentia ex collatione lectionum & ordinis, qui in hoc MS. servatur, cum MS. ex quo Binius hoc Concilium dedit: huic adjecta est additio ex Chronic. Landulphi a S. Paulo, qui huic Concilio interérat.

MSS. II. Concilii Lateranensis.

Quod habetur ex decimo Concilio Generali Romæ habito in Palatio Lateranensi ann. 1139. deductum est ex diversis Auctoribus, & ex quibusdam Chronicis, præsertim ex Chron. Morigny. In hoc Concilio triginta Canones conditi sunt, qui iidem fere sunt cum Canonibus Concilii Remensis habiti ann. 1131. licet hi ad verbum in Lateranensi repetantur, aliter tamen dividuntur. Nihilominus sub hujus Concilii nomine referuntur, quod numerosius, magisque authenticum fuerit.

MSS. III. Concilii Lateranensis.

Acta tertii Lateranensis habiti ann. 1179. ita exscripta & edita fuerunt ann. 1551. a Bartholomæo Laurentio cognomento Poin, ut ea invenit in MS. referente P. Crabbe. In editione Actorum hujus Concilii, quam dedit Rogerius de Hovveden Annal. Anglic. scriptor, habentur tituli præfixi Capitulis. Licet hæc Capitula ex parte constituant hujus Concilii Appendicem in 49. Partes divisam, non tamen ad hoc Concilium pertinent; sed neque unice sunt Alexandri III. Papæ, sed aliorum, qui illum vel præcesserunt, vel exceperunt. His datur locus inter hujus Concilii Opuscula,

cula, quia quicquid est in hac Appendice, contineatur etiam in Originali MS. Bartholomæi Poin, & quia 2. 3. 4. 5. aliæque Partes subsequebantur Canones, qui primæ Partis locum obtinent. Antonius Augustinus Collectionem, quæ in hoc Concilio tanquam Appendix habetur, tribuit Alain antiquo Juris Canonici Doctori. P. d' Achery dedit insignem subscriptionibus Additionem, & Catalogum Episcoporum Concilii ex MS. Monasterii Bibracensis Ordinis Præmonstratensis. Harduinus plures adjecit varias lectiones.

Tom. 11. Spicil.

MSS. IV. Concilii Lateranensis.

Admonere hic haud necesse est, Græcum Concilii quarti Lateranensis MS. non esse autographum. Est tantum versio, & quidem pluribus in locis admonum inconcinna. Patriarchæ Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus, Legati ab Alexandrino, & Antiocheno missi, Metropolitani, & Episcopi Græci Decreta ejus secum ipsi deferentes, eadem græce verterunt. Quemadmodum hæc interpretatio ipso Concilii tempore Græcorum favore facta fuit, ita duarum Ecclesiarum Concordiam luculenter demonstrat. P. Cossartius Græca in suam Collectionem primus intulit. Sed Græca & Latina eduxit ex Cardinalis Mazarini MS. quod ad ipsum pertinet Concilii tempus, h. e. ad sæculi XIII. initium. Caput primum, & capitis secundi pars, ac nonnulla alia non reperiuntur, nisi Latine, siquidem in his locis deficit MS. Verbo ex Concilio Lateranensi nihil nobis authentici superest, præter hæc Decreta 70. Capitulis, seu Canonibus comprehensa, duas Innocentii III. Papæ latinas Orationes, & peculiare Decretum ad Crucis Militiam, seu, uti vocant, Cruciatam pertinens.

MSS. I. Concilii Lugdunensis. Lab. Conc. to. 11. col. 637.

Quod habemus ex Actis primi Lugdunensis Concilii ann. 1245. coacti, deductum est partim ex antiqua Notitia, quæ habetur in Conciliorum Collectione, partim ex Matthæo Paris, siquidem aliud alii lucem præbet. Sententia depositionis ab Imperatore Federico II. lata desumpta est ex Innocentii IV. Commentario, qui in Vaticana servatur. Concilium hoc illustrari potest etiam ex iis, quæ Albericus de Stade & Trithemius in suis Chronicis afferunt. Labbæus ex sexto Decretalium Libro eduxit novem hujus Concilii Capitula, quæ a Binii Collectione absunt.

Ibid. col. 671.

Acta secundi Lugdunensis Concilii an. 1274. habiti deducta sunt ex MSS. quæ citant Sponde, Odericus Raynaldus, aliique plures. Constitutiones editæ de Electione & Provisione Ecclesiarum, de ætate & residentia Pastorum, de Immunitate Ecclesiarum, de jure regio in vacantia Sacerdotii, de Feriis, de Usuris, aliisque hujusmodi habentur in Decretalium textu suo quæque titulo allatæ. VVillelmus Durand inter sui temporis Jurisconsultos facile princeps, qui Concilio interfuit, Mimati Episcopus, eas explicavit in libro *Speculum Juris* inscripto, quem nondum electus Episcopus composuit, dedicavitque Cardinali Ottobono, mox Papæ sub Hadriani VI. nomine. Opus hoc pulcherrimis Commentariis auctum fuit a Baldo, Joanne Andræa, & Simone Majolo, qui etiam Durandi Vitam adjunxit. Vide Epistolas Imperatoris & Prælatorum in VVadingo, & Matthæo VVestmonasteriensi. Trithemius, Suffridus, Nauclere, Gaguinus, Joannes de Oppido, Nicephorus Gregoras, Eberardus d' Althaen Ratisbonæ Archidiaconus, aliique quædam peculiaria de hoc Concilio scripserunt. Commentarius Gregorii X. suppeditavit, quæ præcipua in Actis habentur.

MSS. Concilii Viennensis. Conc. to. 11. col. 1570.

Constitutiones Clementis V. præcipuæ sunt in Concilio Viennensi ann. 1311. Eæ ex parte inveniuntur in quinque Clementinarum Libris editæ per Joannem XXII. & in Juris Corpus illatæ. Labbæus Constitutionem affert adversus Templarios, quam Binius eduxit ex Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis Tabulariis. Quæ habentur ex hoc Concilio, ea extracta sunt ex D. Antonino, Joanne Mario, seu le Maire, Vecerio, Trithemio, Alberto Krantz, Auctore Anonymo, qui in Vaticana servatur, & refertur ab Oderico Raynaldo, & a Bernardo Guidonis. Prateolus ait, Concilium hoc non extitisse suo tempore integrum. Observandum est, non omnes in hoc Concilio has Constitutiones fuisse conditas; sed earum quædam ante, quædam post. Inter eas, quæ, vigente Concilio, publicatæ sunt, nonnullas ferunt, in eodem fuisse approbatas, scilicet eæ, quæ respiciunt Fidem, Mendicantium Privilegia, studia linguarum in Universitatibus, Inquisitionem, & condemnationem Beguardorum, & Beguinarum.

MSS. Concilii Constantiensis. Acta Concil. Constant. p. 36.

Duo habita sunt Concilii Constantiensis Exemplaria. Schelstratus monet, *Codicem Concilii Coloniæ asservatum, quo Crabbe usus est, multo plura continuisse, quam a deputatis Basileensis Concilii collecta fuerant*. Eodem Schelstrato teste, Crabbe inter Acta seu Decreta, plura retulit, quæ ad illa pertinent; in unum Sessionis quartæ Decretum nihil collatum est pro Appendice: quod sane probat, Crebbem sequutum est MS. Coloniense, quocum cum ejus supplementum omnino conveniat, nulla remanet de hujusce Decreti corruptione suspicio, licet Vaticanæ subbibliotecarius contendat, id a Concilii Basileensis Deputatis depravatum fuisse.

Quod ad Concilii Constantiensis Collectionem attinet ab his Deputatis confectam, sentit idem Schelstratus, Concilium hoc apud viros doctos parum auctoritatis habere; quam ut eidem concilia-rent, Concilii Basileensis Patres ejus Acta publicasse; Collectionem porro hanc Basileæ confectam initio fuisse impressam Hagenos ann. 1499. ejusque triplicem deindes editionem factam. *Hinc*, inquit ille; *apparet, ad quæ Exemplaria confecta fuerit prima Concilii Constantiensis editio, quamque parum fidei dandum sit Collectioni Basileensi, ex qua omnes istæ editiones prodierunt*. Sed Criticus homo, qui hæc studio partium dixit, mox horum immemor seipsum refellit, asserens, Collectionem hanc esse accurate confectam. *Concilium Basileense*, inquit, *illud præscripsit duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus, & uni Archidiacono, ut ex Actorum Corpore extraherent Concilii Constantiensis Decreta: quod demum factum est ann. 1442. Collectio hæc fuit fideliter exscripta, adjecta Bulla plumbea, ex qua pendebat fericus filus, qui per inferiorem paginarum omnium marginem pertransibat*. Qui jussu Papæ in Conciliorum Generalium editionem incubuerunt, magnum impressis Concilii Constantiensis Actis se pondus addere existimarunt, observantes, ea deducta fuisse ex Collectione, quæ in Basileensi Concilio confecta fuit. Ad finem Actorum Concilii Constantiensis una cum aliis Generalibus Romæ impressorum clausulam posuerunt, quæ adjecta fuerat a Concilio Basileensi.

Ibid. p. 38.

Labbæus plura dedit fragmenta cujusdam Exemplaris Constantiensis Concilii, educta ex Biblioth. Card. Francisci Barberini.

Plura sunt Concilii Constantiensis opuscula, quorum nulla adhuc reperta sunt MSS. ejusmodi sunt Historia Concilii ab Equite VVallenrod conscripta: alia item, quæ nondum lucem aspexerunt, veluti Historia magnorum virorum, qui Concilio interfuerunt, a Gebardo d' Achery scripta; sed asferamus hujus Concilii monumenta paulo post collecta.

Theodoricus Urias, ex Ordine S. Augustini, an. 1417. adumbravit, & ann. 1425. perfecit Concilii Constantiensis historiam, quæ Coloniæ impressa fuit non sine lamnis & erroribus. Licet MS. Coloniense compendiariis notis refertum sit, nullis punctis, nullis commatibus, ex eo tamen Vonderhartius recognovit & emendavit impressum, ejusque opus illius lamnas explevit in nova sua Concilii Constantiensis editione ann. 1700. facta Francofurti, & Lipsiæ. Dat deinde epistolas a Clemangis selectas & ad idem Concilium pertinentes; quas eduxit ex MS. Bibliothecæ Volfenbutelæ Eucherii Tostetii Argentoratensis Ecclesiæ Presbyteri manu exarato: eæ emendatiores sunt, numeroque plures, quam in Exemplari studio Lidii impresso. Has sex Epistolas excipit ejusdem Auctoris Tractatus, *de ruina Ecclesiæ*, compositus ann. circiter 1394. admodum imperfecte per Lidium impressus hoc titulo, *de corrupto Ecclesiæ statu*, recognitus, & a Vonderhartio emendatus ad duo MSS. Bibliothecæ Helmestadii. Tomum primum claudunt Canones, quos Cardinalis Petrus d' Ailly Concilio proposuit ann. 1416. & Notitia quatuor Auctorum Anglicorum, qui de remedio abusibus ante Concilium invectis adhibendo scripserunt. Gersonius composuit

posuit Tractatum de Simonia, cum aliis ejusdem Operibus impressum: hujus lamnas explevit Vonderhartius ope MS. Bibliothecæ Norimbergensis, distinxitque Capita, quibus Argumenta Notasque adjecit; atque ex hoc MS. hunc novus Gersonii editor (du-Pin) protulit ann. 1706. Pars quinta parvum Tractatum exhibet Gersonio tributum, atque hic ex MS. Bibliot. Helmestadii exemplari datum de ratione Ecclesiæ in Generali Concilio restituendæ & reformandæ. Pars sexta dat Tractatum Petri d' Ailly eodem consilio compositum, & ann. 1414. ex ejusdem Bibliothecæ MS. editum. Alius item de eadem re Tractatus, quem affert post MS. Bibliothecæ Imperatoris, Auctorem jactat eundem Petrum d' Ailly. *Tractatus agendorum in Concilio generali Constantiensi*, quem Card. Francisco Zabarellæ vulgo tribuunt, deductus est ex MS. Bibliothecæ Imperatoris, non secus atque opusculum inscriptum; *Reformatorii in Concilio Constantiensi decreta de regiminis Ecclesiastici emendatione*, &, *Avisamenta secundum aliquas Decretalium Rubricas pro reformatione congrua facienda*. Sequentes Partes continent Epistolas, Sermones, consilia, plures reformationis articulos. Pars decima sexta est reformatio Ordinis S. Benedicti, deducta ex MS. Bibliothecæ Gothensis. Decima septima est Tractatus a Richardo Ullerston Theologo Anglico compositus, reformationisque articulos continens; is inscriptus est Roberto Alain Episcopo Salisbergensi: hunc Vonderhartius eduxit ex MS. quod servatur Cambrigiæ in Collegio Trinitatis.

Secundus Tomus est ampla Collectio Tractatuum Actorumque ad extinguendum Schisma confectorum, collectorumque maxima ex parte a Nicolao de Elstravv a Consiliis & Secretis Ernesti Austriæ Ducis. Is ea dedit Leonardo de Valle, a quo mox Viennensi Dominicanorum Conventui data fuere. Reliqua deducta sunt ex variis Germaniæ Bibliothecis.

Tertius Tomus ea afficit Religionis Doctrinæque argumenta, quæ in Concilio agitata fuerunt, adversus Joannem Hus, VViclephum, Grabonem, & Jacobellum.

Quartus Tomus continet Acta & Decreta Concilii iis, quæ hactenus prodierunt, longe ampliora & emendatiora. Ea deducta sunt ex Bibliothecis Imperatoris, Ducis de Brunsvvich, Gothæ, Lipsiæ, & aliis, de quibus meminit Vonderhartius in Præfatione sua, quam omnium horum Actorum Tabula sequitur.

Quintus Tomus comprehendit, quicquid ad hujusce Concilii dignitatem & amplitudinem spectat. In hoc describitur Ordo deliberandi per Nationes, Solemnitas Congregationum & sessionum, Investituræ ab Imperatore concessæ, edicta, Bullæ Pontificum, Legationes: Adjectæ sunt Epistolæ Principum, & Universitatum, Orationes in funere illustrium virorum recitatæ, Sermones Episcoporum, & Epistolæ plurium Theologorum doctrina & pietate præstantium.

Sextus Tomus explicat & ob oculos ponit universam auctoritatem, quæ huic Concilio obvenit ex dignitate eorum, qui illud coegerunt, Imperatoris, qui Principes, nationumque omnium Episcopos invitavit, Rom. Pontificum, qui in ejusdem celebrationem Bullis suis consenserunt.

Tractatus Andreæ Episcopi Madaurensis inscriptus, *Gubernaculum Conciliorum Juliano de Cæsarinis Cardinali præscriptum, eique in Basileensi Concilio præsidenti missum*, adjectus fuit, tanquam supplementum, quo demonstratur, quanta esset Concilii Basileensis tempore veneratio erga Concilium Constantiense.

His omnibus adde, quæ Burgeois dee Chatenet ex præstantium Bibliothecarum MSS. educta in suam intulit Concilii Constantiensis Historiam Parisiis editam ann. 1718. in 4.

Acta Concilii Basileensis MSS. extant in variis Bibliothecis; sc. Regia, Colbertiana, Sorbonica, & ipsa Basileensi.

MSS. Concilii Basileensis. MSS. Concilii Florentini. Acta, quæ Concilium Florentinum præcedunt, varios habent Auctores. Narratio de Imperatoris in Venetam Urbem ingressu, de ejusdem discessu Ferrariam versus, de ratione & modo, quo illic exceptus fuit, omnia sunt ex Matthæi Caryophili versione. Sessiones Concilii Ferrariensis & Florentini sunt colloquia inter eos, quos hinc Græci, illinc Latini doctrinæ quique suæ sibi patronos constituerunt. Ac Græci quidem causam suam defendendam commiserunt, Marco Ephesino, & Episcopis Monembasis, Nicææ, Lacedæmonis, & Anchiales, magno Tabularii Custodi, magno Ἐκκλησιάρχῃ, duobus Abbatibus, & Monacho, quibus Imperator Tagarim adjunxit. Pro Latinis causam dixere Cardinalis Julianus, Cardinalis Firmianus, Andræas Rutenæ Episcopus, Joannes Hispaniæ Doctor, itemque sex alii. Habetur Oratio Bessarionis Archiepiscopi Nicæni de Græcorum Latinorumque concordia, ejusque sermo dogmaticus de causis Schismatis cum ejusdem Auctoris versione, quæ tamen non satis accurrata est. Horatius Justinianus, qui Concilii Acta Latine dedit, nos docet, Decretum de Concordia ab omnibus Græcis & Latinis adduci, scire se, ubi ejusdem exemplaria delitescant, publicas disputationes, quæ Græcos inter, & Latinos habitæ sunt, integrum sæculum parum notas fuisse; Historicos ab Eugenio usque ad Clementem VII. neque dixisse, neque scripsisse quidquam eorum, quæ tum utrinque agitata sunt, licet certum sit, hujusmodi controversias a pluribus Græcis Latinisque Scriptoribus, & a Concilii Notariis fuisse descriptas.

Latina hujus Concilii Exemplaria in Bibliothecis & Tabulariis relicta sunt, uno dempto Exemplari Græco, nullo Notarii vel Amanuensis nomine, quod impressum fuit Romæ ann. 1526. Clementis VII. tempore, cujusque Bartholomæus Abraham Cretensis eodem tempore versionem dedit, octavi Concilii OEcumenici titulo inscripto. Interpres hic, cujus versio extat in Crabbe editione, plura omisit, quæ parum ad Concilium pertinere videbantur; veluti sumptum, & magnificentiam, qua Veneti, Ferrariæ Marchio, & Florentini Imperatorem Constantinopolitanum exceperunt; tum quasdam inter Græcos peculiares disputationes.

Joannes Mathæus Caryophilus item Cretensis aliam confecit latinam versionem, quæ habetur tom. 4. Conciliorum Generalium Romæ sub Paulo V. impressorum. Observandum est, græcum vocabulum συνελεύσεις ab hoc interprete explicari per verbum *sessio*, licet proprie significet *congregatio*.

Justinianus memorat latinum exemplare, quod has disputationes continet, inter Vaticanæ MSS. repertum. Collectio hæc facta fuit ab Andræa de sancta-Cruce, Patricio Romano, & Apostolici Concistorii Patrono, qui Concilio interfuit, exscripsitque, quæcunque utrinque percepit. Hic testatur, se Græcorum sermones referre iis fere verbis, quibus eos ex ipso interpretis ore percepit; sermones vero Latinorum, prout eos suis ipse auribus audiit, ea ipsa, quia enunciati sunt, rudi aliquando dicendi forma servata, ne quid veritati officeret, adscito verborum ornatu. Dubitari vix potest de iis, quæ descripta sunt, cum summa esset diligentia & cura tum Patrum in expendendis quæstionibus, tum amanuensium in decisionibus exscribendis. Interpres enim, referente Andræa de sancta-Cruce, proclamabat: *Placeat plane dicere, ut scriptores possint scribere*. Tum, qualibet disputatione facta, inter se Notarii conferebant, ut alter alteri, quæ ipsi deerat, suppeditaret. Quod attinet ad Græcum Amanuensem, observandum est, in disputationum enumeratione iis, quæ transacta sunt, adjicere etiam loci, temporis, & personarum adjuncta, ut continenter Historia flueret. Andræas de sancta-Cruce scripsit in Dialogi modum, in quo respondet interrogationibus, quas fingit sibi fieri a Ludovico Dupont Protonorario Apostolico. Quemadmodum Græcus Amanuensis plura, quæ publice, ita Andræas plura prætermittit, quæ privatim dicta sunt. Præterea, quæcunque Amanuenses in Concilio scribebant, non semper suis ea locis collocabant; Cardinalis enim Julianus affirmat, illud moris obtinuisse, *ut relata per Notarios scripta* conjunctim omnes *auscultarent*, & ut, *qui scripserunt*, simul cogerentur, *ut* *Collat. 4.* *de scriptis convenirent*. Justinianus, qui in tres *Collat. 8.* partes dispescuit, quæcunque de Florentino Concilio retulit, ex MS. Bibliothecæ Edelbergensis primum,

mum, mox Vaticanæ desumpsit Partem tertiam, h. e. quidquid actum fuit post Græcorum discessum, & quæ Eugenius Papa rescripsit Christianis Principibus, Imperatori, Regibus, Communitatibus, & Universitatibus.

Conc. Labb. to. 13. col. 1280. Habetur Concilii Florentini Historia, quæ Auctorem jactat Sylvestrum Sguropulum, quamque nos habemus ex versione Roberti Creygton. Tum Auctor, tum Interpres sunt Schismatici, & Heretici.

Ex Græcia missa fuerant ad Allatium hujus Concilii Acta, quorum Epitomem ipse dedit in sui Libri additione, Ecclesiis Græca Latinaque consentientibus: sed firmissimis rationibus probat, hujusmodi Acta non esse legitima, plurimaque continere temporis historiæ contraria.

Præfatio ad editionem Concilii Florentini a Stephano Paulino factam in 4. observat, divina Providentia factum esse, ut ex omnibus Græcis Latinisque Concilii exemplaribus, sola Græca prodirent & superessent; quo pariter factum est, ut Græci non potuerint accusare latinos, tanquam horum exemplarium corruptores; Latini vero a Græcis acceperint ea ipsa Acta, quæ Græcorum Notarii descripserant. Peculiaris est in hac editione Præfatio Græca, quæ eadem fere continet, ac latina Collectio Romana, & sequentes hoc titulo, *Historia Concilii Florentini*. In Tomo secundo reperientur tres sermones Georgii Scholarii, item alius Bessarionis, Responsio Josephi Methonensis ad Marci Ephesini Tractatum adversus Concilium Florentinum, & Responsio Gregorii Protosyncellæ ad Marci Ephesini Epistolam.

Habemus pariter hujus Concilii Acta in fol. Romæ impressa, cura Francisci Zamet, & Gregorii XIII. jussu, an. 1577. Editio hæc continet vigintiquinque Concilii sessiones, tres sermones Georgii Scholarii, Expositionem seu Apologiam pro Concilio Florentino, cum defensione quinque capitum, quæ in Concilio adversus Græcos definita fuerunt, sc. capita de Processione Spiritus Sancti, de Pane azymo in Sancto Sacrificio, de Purgatorio, de Felicitate Sanctorum, & de Primatu Papæ. Idem Opus latine impressum fuit Dilingæ in 8. & Græce Romæ ann. 1628. in 4.

In Græca hujus Concilii Editione data Romæ ann. 1577. error deprehenditur vel dolo malo, vel inconsiderantia in eandem invectus: ibi enim legitur *προβάλλει καὶ αὐτὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐχ ὑπαρκτικῶς ὡς ὁ πατὴρ*, hoc est *emittit & ipse Spiritum Sanctum non subsistenter sicut pater*, cum legi deberet *ἀρχικῶς* vel *ἀρχοειδῶς*. h. e. *non principaliter*. Possevinus Apparat. Sacr. Tom. 1. demonstrat duarum harum lectionum differentiam, rationesque affert, quæ probant, legendum esse *ἀρχικῶς*.

MSS. V. Concilii Lateranensis. Quintum Lateranense Concilium ann. 1512. inceptum, & 1517. perfectum fuit *extractum a proprio Originali Romæ per Jacobum Mazochium de mandato Leonis Papæ decimi Pontificatus sui anno octavo* XXII. *mensis Octobris* MDXX. ut notatur in fine Libri impressi in fol.

MSS. a Merlino consulta. Si primi Collectores exiguum recentium opusculorum numerum protulerunt, id ex eo factum est, quod pauca admodum habuerint MSS. pauciora etiam Exemplaria, quæ vera & authentica visa sint. Merlinus primus Conciliorum Collector in suæ Collectionis fine fatetur, *superesse adhuc Concilia multa Provincialia, quæ in lucem protulisset, si vera authentica & omni errore aliena exemplaria fuisset assequutus*. Dedit Conciliorum Textus tam accurate, quam accurata erant MSS. unde illos desumpsit. Putat tanquam authentica Exemplaria, unde Concilii Basileensis Acta & Decreta excerpsit.

Qui post ipsum Conciliorum editiones publicarunt, apposite animadverterunt, excutiendas esse Bibliothecas, ut nova inde opuscula eruantur, eaque emendentur, quæ imperfecta & vitiosa Merlinus dederat. Hinc Petrus Crabbe testatur, *se perlustrasse per diversa regna & id quidem non sine maximo labore plusquam quingentas Bibliothecas, ex quibus ea quoque omnia excerpit, quæ ad totum hoc Conciliorum negotium conducere videbantur*. Id ipsum de Crabbe testatur ad ejusdem Operis finem Orthuinus Gratius. Atque id facile sibi persuadebit, quicumque Indices leget Urbium, Monasteriorum, & Sapientum Virorum, qui sua quique exemplaria Religioso homini suppeditarunt. Hi porro Indices ad finem Collectionis habentur, in quibus honorifice nominat, quicumque MS. aliquod scribenti contulit. Non erit abs re, eas hoc loco singillatim recensere Bibliothecas, in quibus Crabbe aliqua reppertit Conciliorum MSS. vel Opuscula, quæ in ejusmodi Collectionibus locum habent. Iste idem inter Coloniæ Bibliothecas, citat Bibliothecam Ecclesiæ Cathedralis, Urbis, Scholæ Artium, Collegii S. Hieronymi, pluriumque Monasteriorum, in quibus sunt Monasteria Chartusianorum, Cruciferorum, Jacobitarum, & Benedictinorum, quorum duo nominat, sc. S. Pantaleonis, & S. Martini. Bibliothecæ vero extra Coloniam sunt Imperatoris Caroli Quinti Bruxellis, & plurium Monasteriorum Ordinis S. Benedicti; in quibus sunt Diutense prope Coloniam, Sigebergense non procul Bonona, Gemblacense in Brabantia Namurcum versus, Gandavense S. Bavonis, Audomarense, Vintoniense in Anglia; aliud tandem ejusdem Ordinis in Urbe Gerardimontio in Flandria; & in aliorum Ordinum Cænobiis, Cænobium Cruciferorum ad Aquas-Sextias, & Franciscanorum Ipsis, Machliniæ, & Antuerpiæ. Epistolas, & Synodalia Concilii Basileensis responsa eduxit ex MS. quod in Bibliotheca Artium Coloniæ servatur. Memorat cum laude Joannem Cochlæum, qui ipsi e Misna Concilium Lateranense miserat. Ex his apparet, non fuisse ab illo Italiam peragratam.

MSS. a Crabbe consulta. Alia mox Regna suppeditarunt præsidia, quæ primis hisce Collectoribus deerant. Surius non indigitat quidem fontes, unde hausit nova quæ exhibet: idem tamen profitetur, *magno sibi adjumento fuisse copiam manuscriptorum exemplarium, in quibus erant nonnulla admirandæ vetustatis, e quibus etiam aliquot synodos, descripsit antehac nusquam excusas*. Hujusce tamen rei gloriam adscribit Gervino Calenus Juris Doctore, & Tipographo, qui multas contulit impensas in MSS. exemplaria undique coemenda, *sine quibus nihil effici potuisset*. Addit, præterea se *Synodum Tridentinam non potuisse hac vice cum omnibus suis actionibus integram dare, quod Paulus Manutius Romanus Typographus nondum eam excuderit, licet id jam pridem pollicitus sit*.

Surius in lucem dedit Concilium quintum cum suis actionibus, & quidquid ad ipsum pertinet, ex antiquo MS. huc usque ignoto.

MSS. a Binio consulta. Binius admonet, MS. Viennense plures sibi suppeditasse epistolas Rom. Pontificum Gregorii I. Zachariæ, & Leonis III. tum Joannem Pistorium sibi communicasse Concilii Constantiensis Exemplar; præterea ex Jacobo Huttero Theologiæ Doctore, & Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Canonico accepisse MSS. Hispaniæ Concilia tribus posterioribus sæculis habita; ac tandem plura Galliæ Concilia sibi accepta Patri Frontoni esse referenda.

MSS. ab Editoribus Conciliorum Romæ consulta. Editores Conciliorum Generalium Romæ impressorum ex græcis latinisque Vaticanæ MSS. profecerunt; hinc ex Græcis desumpserunt quinque supplices Libellos S. Cyrilli Alexandrini contra Nestorium. Gregorius Magnus Narseti testatur *Romanos Codices multo esse veriores, quam Græcos, quia illi sicut non acumina, ita nec imposturas habent*. (Lib. 5. Epist. 14. & 114.) Ipsi Romani Collectores de horum Exemplarium fide judicandum censent *ex priscorum Pontificum vigilantia, quos constat Synodorum omnium probatissimos & castigatissimos in scriniis suis Codices semper habuisse*. Si ejusmodi haberemus MS. Collectionem, quæ Conciliorum omnium Textum contineret, nihil præterea nobis magnopere optandum esset, nisi ut versiones, quæ mox ex necessitate adjicerentur, Textus fidelitati constanter responderent.

MSS. a Sirmondo consulta. P. Sirmondus magnum consuluit numerum authenticorum MSS. ex quibus plura extraxit Concilia, multaque Opuscula, quæ ad illa aliquo modo referuntur. Initio statim afferam ea, quæ in Conciliorum Collectionem intulit, nondum adhuc excusa. Ea sunt Epistola Episcoporum Africæ

¹ Salmon Concil.

ad Episcopos Galliæ cum Leporii retractatione, quæ est in Collectione Conciliorum Galliæ, post Ms. S. Laurentii Leodiensis.

Petitiones Rustici, quibus S. Leo respondit an. 452. & variis Mss. huc adductæ.

Tertium Concilium Arelatense post Ms. Ecclesiæ Lugdunensis, cujus Collector meritum & præstantiam laudat.

Primum Concilium Lugdunense an. 517. post Ms. Remense, & antiquæ Canonum Collectiones, quæ nomina præferunt Andegavi, Divionis, & Bonnevallis.

Epistola Bonifacii II. Papæ post Ms. Castri Bagaudarum, & Ecclesiæ Laudunensis.

Opuscula factum Contumeliosi respicentia post opuscula Corbiæ, Lerinorum, & Remorum, item duo Pithou.

Epistola Leonis Episcopi Senonensis ann. 538. post Ms. Monasterii Corbiensis.

Quintum Concilium Arelatense ann. 554. post Ms. Ecclesiæ Lugdunensis.

Epistola Episcoporum Provinciæ Turonensis, ex quibusdam vitiosis Mss.

Quartum Concilium Parisiense ann. 573. post antiquum Ms. Cœnobii Corbiensis.

Judicium Verani Episcopi Cabellionis de Castitate Presbyterorum, post antiquum Ms. in Fano S. Germani.

Quintum Concilium Parisiense ann. 615. post Ms. Ecclesiæ Remensis.

Concilium Verberiense ann. 752. post Ms. S. Vincentii Metensis.

Capitularia ad Aquisgranam ann. 789. post Ms. S. Remi Remensis, & aliud Aquitaniæ.

Capitularia Caroli Magni ann. 804. 811. & 813. post antiquum Ms. S. Vincentii Metensis; item duo alia Capitula ex Ms. Gandavi.

Liber secundus Concilii ad Aquas sextias ann. 816. post Ms. Nicolai le Febvre, mox in Bibliothecam Thuanæam illatum. Extat aliud Ecclesiæ Antissiodorensis, quod consulere non potuit.

Decreta seu Canones Concilii Langonensis relati in Concilio apud Tungros habito ann. 859. post Vaticanæ Ms.

Opuscula quinque excerpta ex Ms. Laudunensi, quæ sunt in Appendice tertii voluminis hujusce Collectoris, h. e. Epistola Gregorii IV. Papæ an. circiter 827. pro restituendo Archiepiscopo Ebbone; Epistola Nicolai I. Papæ ad Hincmarum an. 858. pro cogendo Concilio Suessonensi; Epistola Caroli Regis ad hunc Papam de Vulfado; Epistola ejusdem Papæ ad Regem Carolum de eadem re; & Epistola Clericorum Remensium ad Papam Nicolaum.

Capitula Hincmari Archiepiscopi Remensis ad suos Presbyteros, post Ms. Sancti Laurentii Leodiensis.

Canones Isaci Episcopi Laugonensis, post Ms. Archiepiscopi Tolosani.

Epistola Concilii de Tousi ann. 860. post Ms. Verodum.

Canones hujus Concilii post Ms. Laudonense.

Epistola Hincmari de Matrimonio Stephani, post Ms. Fleury.

Epistola Caroli Calvi ad Nicolaum Papam an. 867. post Mss. Laudunense, & S. Laurentii Leodiensis.

Concilium secundum Tricassense ann. 878. post antiqua Mss. Remense & Bellovacense.

Concilium Fimtarum ann. 881. post Ms. Laudunense.

Satis erit, eodem modo indicare Concilia & Opuscula, quæ contulit cum Mss. & indicare hæc ipsa Mss. Contulit igitur Epistolam Imperatoris Constantini ad Elafium, quæ pars est Actorum Concilii primi Arelatensis, cum antiquis monumentis inter Scripta Pithou repertis.

Epistolam ejusdem Concilii cum Mss. Rhemensi; Corbiensi, Castri Bagaudarum, & cum antiquis Collectionibus Canonum, quæ nomina Andegavi & S. Benigni Divionensis præferunt;

Concilium Parisiense ann. 362. a Nicolao le Febvre editum inter S. Hilarii Fragmenta, cum Ms. Bibliothecæ S. Remi Rhemensis.

Concilium Valentinum ann. 374. cum Mss. Lugdunensi, Rhemensi, Podii, & Castri Bagaudarum.

Epistolam Innocentii III. ad Episcopos Concilii Tolosani, vel potius Toletani ann. 406. cum Ms. Bonnevallis.

Epistolas Zosimi ann. circiter 417. cum Mss. Arelatensi, Lerinorum, & Pithou; item cum antiqua Canonum Collectione, quæ est in Ms. Fleury.

Retractationem Leporii ann. 425. cum Ms. Leodiensi.

Constitutionem Valentiniani III. cum antiquo Ms. Ecclesiæ Lugdunensis.

Concilium Rhegianum ann. 439. cum Ms. Lugdunensi.

Concilium primum Arausicanum cum Mss. Lugdunensi, Rhemensi, Castri Bagaudarum, & virorum du Tillet & Pithou.

Concilium Vasionis ann. 442. cum Mss. Lugdunensi, & Castri Bagaudarum.

Subscriptiones Epistolæ Synodicæ Episcoporum Galliæ Arelatis fortasse coactorum cum Ms. Nicolai le Febvre, quod nunc extat in Bibliot. Thuanæa.

Sententiam contra Dioscorum in Concilio Calcedonensi latam cum Ms. Corbiensi, & Ms. Pithou.

Concilium secundum Arelatense ann. 452. cum Mss. Exemplaribus Vaticano, Corbiensi, Lugdunensi, Castri Bagaudarum, Rhemensi, & du-Tillet.

Concilium Andegavense ann. 453. cum tribus Mss. Castri Bagaudarum, du-Tillet, & Pithou.

Concilium Turonense cum Ms. Rhemensi, Bellovacensi, aliisque.

Epistolas Hilarii Papæ ann. circiter 462. cum Mss. Lerinorum, Arelatensi, & Pithou.

Ultimam ejusdem Papæ epistolam cum duobus Exemplaribus, Monasterii sc. Carbiensis, & S. Remi Rhemensis.

Concilium Venetiæ ann. 465. cum Ms. Pithou.

Subscriptiones hujus Concilii cum Mss. Corbiensi & Rhemensi.

Concilium Arelatense, ubi præfuit Leontius ann. 475. cum Ms. Dupuis.

Epistolam S. Aviti ad Faustum & Symmachum cum duobus Exemplaribus, altero ejus Epistolarum Mss. altero Bibliot. Regiæ.

Concilium Agathense ann. 506. cum Mss. Rhemensi, Lugdunensi, Castri Bagaudarum, du-Tillet, & Pithou. Non habentur Canones plures 48. ut & in Gemblacensi a Surio consulto.

Aurelianense primum ann. 511. cum Mss. Corbiensi, Rhemensi, Lugdunensi, Belloyacensi, Castri Bagaudarum, Pithou & du-Tillet & cum Collectionibus Podii, & S. Benigni Divionensis.

Concilium Epaunense ann. 517. cum Mss. Bellovacensi, Corbiensi, Lugdunensi, Podii, du-Tillet, & cum Canonum Collectionibus, quæ nomina Andegavi & Divisionis præferunt.

Arelatense quartum ann. 524. cum Mss. Lugdunensi, Arelatensi, Rhemensi, & Pithou.

Professionem Fidei a Prospero factam ann. circiter 524. cum Ms. Ecclesiæ Lugdunensis.

Concilium Carpentoractense ann. 527. cum Mss. Podii, Rhemensi, Bellovacensi, & Ecclesiæ Lugdunensis.

Concilium secundum Arausicanum cum Mss. Lugdunensi, Rhemensi, Bollovacensi, Castri Bagaudarum, & Joannis du-Tillet.

Secundum Vasionis ann. 529. cum Mss. Lugdunensi, Rhemensi, Corbiensi, & Bellovacensi.

Secundum Aurelianense cum Ms. Bellovacensi.

Concilium Alverniense ann. 535. cum Mss. Lugdunensi, Corbiensi, Castri Bagaudarum, & Pithou & du-Tillet.

Tertium Aurelianense ann. 538. cum Mss. Lugdunensi, Bellovacensi, Rhemensi, Corbiensi, Joannis du-Tillet, & Pithou, & cum Collectione S. Benigni.

Quartum Aurelianense cum Mss. Rhemensi, Bellovacensi, Pithou, & cum Collectione Bonnevallis.

Quintum Aurelianense ann. 549. cum Mss. Rhemen-

mensi, Bellovacensi, Lugdunensi, Castri Bagaudarum, Pithou & du-Tillet.
Instructionem Italici Cleri ad Oratores Gallicos ann. 552. cum Ms. Rhemensi.
Concilium secundum Alverniense ann. 549. cum antiquo Ms. Tolosano, quod extat in Bibliotheca de Foix.
Partem Constitutionis Childeberti cum Ms. Corbiensi.
Subscriptiones secundi Concilii Parisiensis ann. circiter 555. cum Ms. Bellovacensi.
Epistolas Pelagii Papæ ann. circiter 556. cum Mss. Pithou, Arelatensi, & Lerinorum.
Concilium tertium Parisiense ann. 557. cum Mss. Bellovacensi, & Pithou.
Constitutionem Clotarii Regis cum Ms. Cœnobii Corbiensis, item cum Ms. Bibliothecæ du-Tillet.
Canonem Concilii tertii Lugdunensis ann. 583. cum Collectionibus Andegavi & Divionis.
Secundum Turonense cum Ms. Bellovacensi, & Collectionibus Andegavi & Bonaevallis.
Canones Concilii Antissiodorensis ann. 578. cum antiquis Mss. Belhovacensi, Joannis du-Tillet, & Pithou.
Concilium primum Matisconis ann. 581. cum Mss. Lugdunensi, Bellovacensi, & cum Collectionibus Andegavi, & Divionis.
Canonem sextum Concilii tertii Lugdunensis ann. 583. cum iisdem Collectionibus.
Concilium secundum Matisconis cum Ms. Bellovacensi, & iisdem Collectionibus,
Concilium primum Cabillonense ann. 650. cum Mss. Bellovacensi, Pithou, & du-Tillet.
Canones Concilii Augustodunensis ann. 670. cum Collectionibus Andegavi & Divionis.
Privilegium ab Adeodato S. Martini Turonensis Cœnobio concessum cum monumentis apud Pithou repertis.
Concilium Rothomagense ann. 682. cum Ms. in Fano S. Michaelis.
Juramentum a Bonifacio Episcopo ordinato an. 722. præstitum cum Mss. Rhemensi, & Pithou.
Concilium Suessionense ann. 744. cum Mss. Metensi, Bellovacensi, & Flandriæ.
Canones Concilii Romani cum Mss. Castri Bagaudarum, & antiquis Collectionibus Andegavi, & Pithou.
Capitula Concilii, ut vulgo creditur, Metensis ann. 753. cum Ms. S. Vincentii Metensis.
Responsa Stephani II. Papæ cum Ms. Laudunensi.
Concilium Vernoniense ann. 755. cum Ms. Metensi.
Canones Concilii Compendii ann. 757. cum eodem Ms.
Epistolam Cathulphi post Caroli Regis in Italiam expeditionem cum monumentis Pithou.
Argumenta Epistolarum Pauli Papæ ann. circiter 767. & Hadriani Papæ ann. 795. cum Mss. Vatic. a Baronio editis.
Capitula Caroli Magni, quæ Monachos afficiunt, cum Ms. S. Vincentii Metensis.
Concilium Francofordiense ann. 794. cum Ms. Ecclesiæ Rhemensis.
Subscriptiones hujus Concilii cum Ms. S. Remi Rhemensis.
Capitula Caroli Magni annorum, quos regnavit, ordine distributa cum Ms. S. Vincentii.
Epistolam Ludovici Pii ad Sicharium Archiepiscopum Burdigalensem ann. 816. cum monumentis Bibliothecæ S. Petri Chartusiani.
Tertium Capitulare Ludovici Pii cum monumentis Pithou.
Concilium Divodurense ann. 835. cum Ms. Bibliothecæ Laudunensis.
Epistolam Gregorii IV. Papæ cum Ms. Laudunensi.
Concilium Coloniense ann. 843. cum antiquo Ms. Metensi.
Sententiam contra Gothescalcum latam cum antiquis monumentis datis a Nicolao Camuzat.
Secundum Concilium Suessonense ann. 853.

Salmon Concil.

cum antiquis Mss. Metensi, Bellovacensi, & Gandavensi.
Epistolam Vulfadi ad Nicolaum Papam cum Ms. Laudunensi.
Epistola Imperatoris Ludovici II. Lotharii Regis, & Caroli Calvi de Ordinatione Bernarii cum Ms. Podii.
Epistolam Hadriani II. Papæ ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem cum Ms. Laudunensi.
Epistolam 27. ejusdem Papæ ad Episcopos Concilii Duodecimi cum Ms. Rhemensi.
Epistolam Cleri Populique Senonensis ad hujus Provinciæ Episcopos de Electione Ansegisii ann. 871. cum Ms. S. Remi Rhemensis.
Epistolam, qua absolvitur Robertus Episcopus Cenomanorum ann. 873. cum Ms. Leodiensi.
Ex Epistolis Joannis VIII. Papæ nonnullæ collatæ fuerunt cum Ms. S. Petri Bellovacensis, quædam cum Ms. S. Remi Rhemensis, aliæ tandem cum Ms. Verodunensi.
Privilegium a Martino I. Papa Cænobio S. Petri Apolliniaci ann. 882. concessum cum ejusdem originali.
Concilium Cabillonense ann. 887. cum Chronico Monasterii de Beze, & cum Charta Monasterii de Charlieu.
Epistolam Hermani Archiepiscopi Coloniensis ad Richerum ann. 921. & Joannis X. ad Carolum III. cum Ms. Verodunensi.
Concilium Rhemense ann. 923. cum Ms. S. Remi Rhemensis.
Decretum Adalberonis Episcopi Metensis de Monachis ann. 942. cum Charta S. Arnuli.
Concilium Rhemense ann. 975. cum antiquo Libro, unde deductum est ab Andræa Duchesne.
Ex Ms. Bibliothecæ Thuanæ addita sunt in Regia Conciliorum editione, quæ deerant Concilio Lemovicensi habito ann. 1034. sub Benedicto IX. Papa. *MSS. consulta ab Editoribus Conciliorum Reg.*
A P. Labbæo. P. Labbæus ad suæ Collectionis perfectionem usus est Mss. omnibus, quæ quidem sibi nota erant, tum monumentis & commentariis apud de Marca Archiepiscopum Tolosanum, & Bosquet Episcopum Montempessulanum inventis, denique iis, quæ prolata fuerunt a de Valois, a Balutio, a P. Combesis, & a P. Ludovico Jacobo a S. Carolo. Concilium quartum Generale contulit cum Mss. Parisiensi, & Divionensi; quintum Generale cum Ms. Joly Ecclesiæ Parisiensis Cantoris, ut eum ipse appellat. In Concilium Constantiense Appendicem dedit ex ejusdem Concilio Ms. deductam; item Acta Concilii Basileensis, juxta originalia Exemplaria, quæ in Actorum Supremæ Curiæ Commentariis habentur. *Conc. tom. 5.* *Ibid. tom. 12. col. 1434.*
A Balutio. Balutius vehementi, quo erat, in antiquitatem studio & amore nihil prætermisit eorum, quæ in Conciliorum tractatione sibi scitu digna visa sunt. In hoc ego numero antiquam pono Concilii Ephesini versionem, qua alias usu in Occidente obtinebat, collatam cum editione Antonii le Cointe, & cum quinque Mss. quorum primum erat ex Biblioth. Vaticana, alterum ex Antonii Augustini Bibliotheca, duo alia ex Bibliotheca Colberti, postremum tandem ad Cænobium S. Juliani Turonensis olim pertinebat. Admonet etiam, se usum fuisse alio Ms. Ecclesiæ Bellovacensis, quod a Nicolao le Febvre Bibliothecæ Thuanæ datum, mox una cum erroribus quibusdam suis in Colberti Bibliothecam pertransiit: Instructio Cælestini Papæ educta est ex antiquo Exemplari Bibliothecæ Colberti, item ex alio recentiore, quod in Vatic. Bibliotheca servatur. Sexta Concilii Ephesini Actio ex Marii Mercatoris versione reperta fuit in Ms. Ecclesiæ Bellovacensis, & in Ms. Vaticanæ. Subscriptiones eorum, qui fuerant a Quartodecimanis decepti, eductæ sunt ex Mss. Græcis Biblioth. Regiæ. Omnes Concilii quinti Generalis Canones fuerunt reperti in Bibliotheca Imperatoris a Lambecio, qui illorum meminit Tom. 8. Variæ Actorum Concilii quinti lectiones, eductæ sunt ex Ms. Joly, quo usus erat Labbæus, & ex Ms. Biblioth. Bellovacensis, a Canonico hujus Ecclesiæ dato. Decretum Vigilii Papæ tamdiu conquisitum descriptum est ex antiquissimo Ms. Bibliothecæ Colber-

ti. Baluzius dat varias Codicis Encyclii lectiones ex variis a se collatis Mss.

A P. Harduino. Mss. ex quibus Harduinus Opuscula nova desumpsit, sunt ex Bibliothecis Regia, Thuanæa, Colberti, Bigot, Ecclesiarum Parisiensis & Bellovacensis, Collegii Jesuitar. Parisiens. Augustinianorum Tolosæ, & Chronicon Ms. VVillelmi Bardin.

A Garsia Loaisa. Garsias Loaisa singillatim recensuit Mss. ex quibus Hispaniæ Concilia deduxit. Citat, quæ in Ecclesiæ Toletanæ Bibliotheca servantur; item quinque ex Monasterio Regis S. Laurentii, docetque, in quo ea secum ipsis conveniant, & in quo differant.

Ab Ab. Fleury. Tom. 11. l. 53. Quo diligentius Sapientes viri in hoc argumentum inquirent, eo plura ex Mss. sibi præsidia comparabunt. Hinc Abbas Fleury nos docet, integra Acta Concilii Constantinopolitani falsi octavi, quod a Photio coactum fuit ann. 879. nondum esse typis impressa; eorum fidele exemplar Romæ sibi delatum, ipso permittente, a Baluzio viro docto & antiquitatis studioso publicæ utilitatis gratia fuisse exscriptum. Et sane dubitandum non est, quin multa inde præsidia desumpserit ad continuandam Historiam, & ad Acta hujus Concilii perficienda, si quidem quæ publice edita sunt, conferantur cum iis, quæ de hoc Concilio habemus in Pandectis Beveregii, & in 8. & 9. Tom. Concilior. Labbæi, non secus ac in Leone Allatio. *Tom. 2. Lib. 2. de Syn. Photian.* Græci Concilium hoc pro vero octavo OEcumenico habent, eo prorsus rejecto; quod habitum est ann. 869. Plura hujusce rei alia exempla adduci possent, sed allata satis evincunt, ad Mss. necessario confugiendum esse. Non omnia certe singillatim esse enumeranda Opuscula, quæ inde exscripta fuerunt, neque omnia item Mss. quibus omnes Collectores usi sunt; siquidem de his sæpe dicendum erit.

MSS. et conferunt, ut Textus Græcus, si quando desit, reperiatur. Ex his, quæ hactenus diximus, illud etiam deprehendimus, numquam, si fieri possit, adducendam esse versionem latinam, sine Textu Græco, cum *plerumque sententia ex Græco, tanquam ex fonte, purius hauriatur*. Plura Conciliorum Opuscula, quæ Græce composita fuerunt, in nostris Collectionibus tantum Latina sunt. Si nota essent quæ desunt, planior esset ac facilior eorum investigatio & adductus est Baluzius, ut in præfatione ad Concilium Calcedonense id ipsum exequeretur. Ex. gr. dat Epistolam Nestorii ad Cælestinum Papam, quæ latine habetur in Labbæo inter Acta Concilii Ephesini; dat initio Actionis sextæ ejusdem Concilii, quæ græce procul dubio conscripta fuerant; subscriptiones octo Quartodecimanorum, quæ ad eandem Actionem pertinent, paucis solummodo abhinc annis græce repertæ fuerunt in duobus Mss. Bibliot. Regiæ. Græcæ subscriptiones, quæ ad ejusdem Actionis finem esse debent, nondum detectæ fuerunt. Postulata Schismaticorum, & septima Concilii Ephesini Actio, in qua habentur supplices Episcoporum Cypriorum libelli, latine sunt. Tandem Græce non habetur definitio Concilii adversus Messalianitas, neque supplex libellus, quem nonnulli Episcopi Concilio obtulerunt. Eodem modo in Concilio Calcedonensi Græcus multorum Opusculorum Textus non reperitur: ejusmodi sunt plures Interlocutiones, Epistolæ Concilii ad Marcianum, & Relatio Synodi ad Pulcheriam. Codicem Encyclium, & Acta Concilii quinti non habemus, nisi latine. Nihilo tamen minus certum, Opuscula hæc omnia, aliaque permulta initio Græce exarata fuisse.

Nov. Collect. Conc. col. 987. num. 34. Tom. 3. Conc. col. 349. Ibid. col. 672. Ibid. col. 687. Ibid. col. 689. Ibid. col. 727. & 787. Ibid. col. 809. Conc. Lab. to. 4. col. 257. 307. 425. &c. Ibid. col. 463.

Antonius Augustinus id consilii Surio dabat, ut, si exemplaria haberi potuissent, Græcum Textum latino e regione adjungeret. Collector hic, qui secundum Conciliorum editionem meditabatur, Augustino scripsit, *sibi valde difficilem editionem videri, in qua tot essent Græce edenda Coloniæ, quæ carebat Græcis figurarum notis, & ministris idoneis, qui Græca scirent*. His tamen non acquievit Augustinus, qui id tam necessarium esse existimavit, ut, *si ipsi sic indigeant, Græcos typos aliunde esse petendos rescripserit, sive ex Belgio, sive ex Gallia, sive Venetiis*. Videbatur fuisse contentus de Rovillio, quem elegerunt, Lugduni tum degente, ut græca excuderet, ab eoque edi jussit græce & latine Synodos, quæ paulo ante, vel post Concilium Nicænum celebratæ fuerunt.

II.

De cura, qua Collector inter se conferre debet MSS. Magna Mss. facta congerie, tum Collectoris officium est, ea inter se conferre, tum ut eorum convenientiam deprehendat, tum ut, si quod inter lectiones discrimen est, optimam eligat, vel eam exhibeat, quæ accomodatior videtur, ubi nulla earum, quæ in exemplaribus sunt, cum proposito argumento conveniat.

Nicolinus ad Concilium Ephesinum, quod cum Actis omnibus dedit a Theodoro Peltan Jesuita ante ipsum collectis, & ab ipso explicatis, ostendit, quanto ipse studio in hanc editionem incubuerit. Cardinalis Sirletus Græcum Bavariæ Ms. contulerat cum Ms. Vaticanæ, pluresque inde locos emendaverat una cum Græco recognito & retractato. Collata est etiam Patris Peltan Latina versio: sed illud laboriosissimum, quod Capita in Ms. græco nullo fere ordine disposita erant: plura igitur conquirenda fuerunt exemplaria Græca, præter illud, quod ad Fuggerum pertinuerat. Contii Liber, licet imperfectus, multæ tamen utilitatis fuit, cum ex græco ad verbum a Contio translatus fuerit; ex quo conjici potuit, quid esset in Exemplari Græco, quo usus fuerat Contius. Cum hæc Exemplaria, alia ab aliis, aliquibus in locis differant, Nicolinus dicit, se sequutum, quod optimum visum est, & exempli loco Capitulum affert, in quo differentias omnes ostendit, quæ inter hæc Mss. & lectionem, quam ipse sequitur, tanquam meliorem, intercedunt. Ex his apparet, *non satis esse*, ut ipse ait, *unum aliquod exemplar obiter descriptum ad manum habere, sed operæ pretium esse, ut multa hinc inde conquirat, conquisitaque per se vel per alios idoneos accurate diligenterque inter se conferat*.

Labbæus ostendit, quantum debeatur iis, qui antiquas pergamenas chartas in Bibliothecis positas non sine ingenti labore versant, & expendunt, & inter se conferunt. Sit exempli loco Epistola Mansueti Episcopi Mediolanensis ad Imperatorem Constantinum. Quam multas Collector hic ad marginem notas apposuit? Eæ deductæ fuit ex duabus vel tribus chartulis, quas ipsi Ms. Bibliothecæ Jesuitarum suppeditarunt. Multa etiam inde desumpsit ad explicationem eorum, quæ huc usque visa sunt comprehendi non posse. Sic autem legebatur: *Nos autem omnes qui sub felicissimos & Christianissimos a Deo custodiendos principes dominos nostros per excellentissimos reges Christianæ legis amatores, una cum* &c. Labbæus ad marginem attulit veram lectionem; *Nos autem omnes, qui sub felicissimis & Christianissimis, & a Deo custodiendis principibus nostris dominis Perethurit & Cunebert præcellentissimis regibus christianæ religionis amatoribus una cum* &c. Hæc vero sententiam perfecte illustrant, omnemque prorsus removent difficultatem, adjectis iis, quæ Paulus Diaconus Aquilejensis habet de his Longobardiæ Regibus in sua Longobardorum Historia. *Conc. Lab. tom. 6. col. 603.*

Hæc nimirum a sapientibus viris cura & provisio adhibebatur, ne Amanuensium erroribus deciperentur. Exemplaria cum originalibus conferebant. Hinc ad Librorum finem ea sæpissime nota, *contuli & emendavi*; qua demonstrabant, se exemplaria sua cum originali, & antiquioribus Mss. contulisse. Rusticus Ecclesiæ Romanæ Diaconus, qui medio fere sæculo sexto floruit, insigne hujusce rei exemplum dat. Cum illud sibi proposuisset, ut emendatiorem daret antiquam Concilii Calcedonensis versionem, plura undique Græca Latinaque Mss. conquisivit. Hæc inter se contulit accurate, eo consilio, ut quæ vitiosa viderentur, corrigeret; varias lectiones notavit ad marginem; & quicquid ad illustrandam historiam aptum & accommodatum esse censuit. Ad cujusque Actionis finem habetur admonitio, *contuli*, aut aliquid simile ita post multa monumenta, quibus prima Concilii pars constat, leguntur hæc: *Rusticus ex Latinis & Græcis exempl. maxime Acœmit: Monast. emen-*

emendavi. Ad primæ partis finem; *Cognitionis legi, legimus completum est .... finivimus emendantes & conf. ... Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctæ Ecclesiæ Rom. contuli, annotavi, distinxi*. Hujus Rustici Operis Exemplaria habentur in pluribus Bibliothecis, veluti Corbiensi, Bouhier, aliisque.

Sed ecce aliud ejusdem rei luculentissimum exemplum. Quod de Colloquio Carthaginiensi habemus in Collectionibus usque ad Balutium, non est, nisi imperfecta quædam Epitome eorum, quæ coram Marcellino Notario conscripta fuerunt. Le Masson, & Pithou, reperto feliciter Ms. quo Colloquium continebatur, suam quisque ejusdem editionem dederunt, sed infinitis prope erroribus deturpatam. Balutius in nova sua Collectione non solum eos corrigendos suscepit ex eodem Ms. quod in Colberti Bibliotheca servatur, sed opiniones etiam sapientum virorum, quos consuluit, antiquorum scriptorum auctoritatem, & aliquando conjecturas etiam suas sequutus est. Quæ desunt ex tertio die, ea supplet ex Fragmento *Breviculi* S. Augustini, unde erant, ut observat Masson, desumenda; Episcoporum utriusque partis nomina, quæ primo die recitata fuerunt, adjecta sunt sermonibus, quos S. Augustinus ante & post Colloquium habuit. Finem faciunt nonnullæ Imperatoris Honorii Constitutiones, quæ paulo post promulgatæ fuerunt, & ad ea, quæ transacta sunt, aliqua ex parte referebantur.

Ita Conciliorum Collector non id tantum curare debet, ut Conciliorum Acta congerat, sicut Merlinus; sed & secum ipsis conferre, & vitiosos locos corrigere, & infinitam prope amputare errorum segetem, quæ in Mss. luxuriatur. Atque hoc nimirum sibi in prima editione proponebat Crabbe. Errores isti in peculiaribus Conciliorum editionibus reperiebantur; id quidem non dissimulavit Merlinus, qui in sua Præfatione futurum dicit, ut Lector in perversas interpretationes incurrat; sed se ipsum excusat ex eo, quod neque Mss. a corruptione & vitiis aliena sunt, ea præsertim, quæ latinas versiones continent ex Græcis exemplaribus ab anonymis scriptoribus confectas.

Quamvis porro Crabbe affirmet, *non minorem præcedentium, & suorum nunc recens editorum codicum, quam noctis ac diei esse differentiam*, multa tamen adhuc corrigenda supersunt, ut observat Surius hac adductus ratione, quod hoc opus nequaquam aggredi recte potest destitutus tum necessario exemplarium antiquorum præsidio, tum consilio doctissimorum probatissimorumque Doctorum, qui laboranti aliquando suppetias ferant. Cum Mss. ita sunt depravata, ut emendari nullo modo possint, vel cum sensus ita est obscurus, ut percipi non possit, tum vera lectio ex melioribus quibusque Mss. eruenda est. Si utroque præsidio Collector careat, tunc tales afferat locos, quales invenit. Id se sæpius præstitisse testatur Crabbe. Cum Mss. varias lectiones habent, eas vel ad marginem citat, vel minoribus notis distinguit in Textu; *copiosiorem etiam lectionis varietatem adjecisse, modo id cuipiam profuturum credidisset*: Surius *non ambiguis argumentis docere se posse* affirmat, *in toto hoc Conciliorum & Decretalium Epistolarum opere aliquot locorum millia, ad vetustissimorum manuscriptorum Codicum fidem diligenter collata, emendasse, plurima etiam illustrasse, & suæ integritati restituisse*.

Et sane, ubi omnem curam & diligentiam in parandis seligendisque MSS. collocaveris, nunc continuo certus sis, præter ea, vel nulla alia, vel his saltem perfectiora non esse? Nonnulla ex iis, quæ Surius consuluerant, erant illa quidem cujusdem *admirandæ vetustatis*: inventum tamen in iis est, quod correctione indigebat; sequutique Collectores, melioribus MSS. inter se jam summo studio collatis, tum eos, qui antecesserunt, reformandos putarunt, senseruntque, plurima adhuc superesse, in quibus posterorum sese exerceret industria. Binius dat Collectionem suam, in quam, cum multa ex ea menda tollenda essent, multos se insumpsisse labores ait; nihilo tamen minus Editio Regia, quæ Binii Editionem sequuta est, innumera propemodum in eadem menda deprehendit. Collectores, alter alterius opibus, locupletati sunt: nemo tamen illorum asserit; se ejusmodi Collectionem dedisse, quæ nulla vel emendatione, vel additione indigeret. Aliæ semper supererunt antiquæ Chartæ detegendæ, & eruendæ ex Bibliothecarum tenebris, ex Ecclesiarum Cænobiorumque Tabulariis, ex armariis privatorum, ex obscuris ignotisque locis, in quibus delitescunt. Quæ hactenus acutiorum oculorum aciem effugerunt, fortasse continget, ut *in apricum proferat ætas*.

Accedit huc, quod studium hoc in primis jucundum & delectabile est. *Ut si quis*, inquit Antonius Augustinus, *aliquid medicamenti attulit desperato jam & morienti ægroto voluptatem magnam capiat necesse est, sic qui jam deploratis mendosis locis Scriptorum medicinam tulit, suavissimos capit laboris sui fructus .... qua ratione si quis quærat fontes singulorum Capitum in editis Conciliis, & conferat eorum verba, multum juvatur, quod hæc ab illis manaverint, ita etiam non editis eveniet*. De Emendat. Græc. dial. 1. lib. 2.

Exemplarium Collectorem in veram Monumentorum sententiam introducit; eique verba suppeditat, quæ exprimendæ sententiæ accommodata sunt, ab ipso etiam Auctore usurpata. Hac via & ratione Acta ad perfectionis fastigium pertingunt: sunt tamen nonnulla, quæ Collectores Conciliorum Romæ impressorum observanda præscribunt his verbis: *Sæpe, ubi corrupti Codices Græci sunt, conjecturæ non spernendæ ad oram adscribantur, vel ex interpretatione Latina vetere, vel ex similibus locis depromptæ; ac vicissim, si quod in vetere interpretatione ex Græco visum erit emendandum, id ad marginem quoque adscribetur, ut exemplarium fides servetur, neque in contextum quicquam admittatur, quod non sit in Codicibus MSS.*

Crabbe neque *tutum, neque parvi ponderis rem esse censet, ex conjectura sola Textum immutare*. Addit etiam, se aliquando Textum data opera talem reliquisse, qualem invenerat, ut sequuturi Collectores suum & ipsi possent in hoc ingenium experiri, & meliorum Exemplarium ope restituere, quod vitiosum videretur. Surius vero profitetur, *sibi religionem fuisse pro arbitratu quidquam uspiam temere immutare, adeo ut hac in parte propemodum superstitiosus fuerit*.

Garsias Loaisa cum probe intelligeret, *emendationem omnem Auctorum difficilem esse, inanemque, si nudis conjecturis fiat, in decretis, institutisque patrum periculosius esse existimavit, si ex proprio sensu, sine auctoritate aliquid adderet vel jugularet; unde Codicum Manuscriptorum lectionem etiam cum Gothicismis ad verbum religiose sequutus est, ut venerandam illorum temporum antiquitatem hac scrupulosa observantia coleret*.

Crabbe affirmat, se *non sine sincero studio id egisse, ut librorum, qui sibi ad manus pervenerunt, in veris sententiis & diversitas & numerositas agnosceretur, licet plerisque in locis eadem esse sententia videatur*. Hinc Petrus Aurelius inquit, varias hasce omnes lectiones non alia de causa fuisse a Crabbe congestas, nisi *ut Codicum suorum copiam & varietatem ostenderet*; siquidem certum est, non omnes lectiones, licet varias, esse semper necessarias, neque certas esse omnes, quasdam etiam falsissimas in antiquioribus MSS. reperiri. Balutius inquit, *magno quidem usui esse veteres libros ad emendandos Auctores Antiquos; sed tamen multo judicio hic opus esse, multo sale, multo diligentia, & plurimo istarum rerum usu; diversas lectiones esse negligendas, si inutiles sint, vel in notas rejiciendas, si ambiguæ videantur*, ut præstitit P. Sirmondus.

Qui tantam lectionum vim in marginem congesserunt, debuerant eodem tempore indicare etiam MSS. unde illas deduxerant, easdemque distinguere a suismet conjecturis; quæ non ejusdem sunt auctoritatis: quod sane utile admodum fuisset; lectiones enim, quæ quodam tempore probari non potuerunt, possunt alio videri meliores, si quæ processu temporis meliores rationes accesserint, ut observat Balutius: Veteres Librarii, inquit ille, errores frequenter committere consueverunt: modo Nov. Collect. Conc. Præfat. num. 1. & 2.
posuerunt *Julianus*, vel *Juvenalius* pro *Julius*, Ibid.

modo

modo *Renatus* in Conciliabulo Ephesino constituerunt. Cavendum autem est, ne istiusmodi errores pro totidem variis lectionibus accipiantur; hinc se adactum Harduinus dicit, ut „ necessarias emendationes in ipso textu reponeret, ubi „ sic juberent Codices. Quæ sunt autem ex mo„ ta conjectura, eæ sunt in margine positæ, præ„ missa vocula, *forte* vel *lege*. Multas similiter „ ex MSS. fide in margine inscripsit, prætermissis „ tamen illis, quas amanuensium negligentia in „ eos Codices invexit. „

Præfat. in Conc. Calced. num. 28.

Variæ istæ lectiones seu veræ, seu falsæ, seu quæ levis; seu quæ magni videntur esse momenti, usui Balutio fuerunt, *ut ostenderet, quænam esset* Concilii Calcedonensis *vetus interpretatio, sane, quæ erat in vulgatis Editionibus Conciliorum, an alia quæpiam. Ac præterea illæ eidem viam aperuerunt ad inveniendam versionem, qua Romana & cæteræ Ecclesiæ Occidentales utebantur.* Harduinus, qui *pristinas Editiones vetustosque Codices quam licuit accurate repræsentat, seu restituit, Isidori lectionem ubique fere alteri cuilibet esse præferendam putat, in ipsis etiam Episcoporum subscriptionibus.* Idem pollicetur, se *alias Deo dante indagaturum causam discriminis*, quod inter Græcum, & antiquam versionem intercedere deprehenditur. Tandem *Conciliorum pauciora quam cæterorum librorum in Bibliothecis exemplaria manuscripta sunt; quæ causa est cur pauciores in his, quam in illis, expectandæ lectiones variæ sint.*

Conc. Hardui. Præfat. p. 12.

III.

Quinam a Conciliorum Collectore fieri debeat impressorum usus?

Diligenti Manuscriptorum perquisitioni addendum est Impressorum subsidium. Cum enim alicujus Peculiaris Concilii, aut aliorum Opusculorum, quæ ad Concilia referuntur, Editiones identidem conficiantur, debet Conciliorum Collector ad ea, quæ recens impressa sunt, animum advertere, & ex variis Operibus, quæ ad hanc materiam pertinent, ea sibi seligere, quæ magis ad rem suam illustrandam faciunt.

In locum earum rerum, quas Crabbe ex Tripartita Cassiodori Historia deduxerat, Surius ea sufficit, quæ extant in Historia Ecclesiastica Nicephori Calixti, cujus etiam adhibet interpretationem Latinam, eleganter confectam.

Sic Nicolinus dedit Acta omnia Concilii Nicæni, ejusdemque Canones viginti, cum interpretatione, quam Alphonsus Pisanus fecerat ex MS. Græco Vaticanæ; publicavitque 80. Canones ex versione, quam P. Turrianus fecerat ex MS. Arabico Alexandria delato: quæ de Concilio Ephesino inedita dedit, ea pariter ex Theodori Peltan editione deduxit. Consuluit etiam Editiones Codicis Justinianæi, volumen inscriptum *Orthodoxographa*, & Ecclesiasticam Angliæ Historiam, Auctore Beda.

Binius pariter usus est, quicquid rei suæ accommodatum reperiit in Editione Epistolarum Pontificum Romæ tribus voluminibus facta, in Baronii Annalibus, pluribusque aliis Operibus. Sibi idem vindicavit, quæ de Hispaniæ Conciliis Garsias Loaisa typis ediderat. In secunda Editione addidit id, quod de Conciliis habent Historia Ecclesiæ Remensis a Flodoardo, & Chronicon Camaracense impressum a Colvenerio Doctore, & Duaci Professore; tum id, quod alicujus momenti continet Editio Conciliorum Generalium Romæ facta; præterea id, quod Joannes du-Tillet Episcopus Meldensis Græce dederat de primis Conciliis; denique id, quod de Germaniæ Conciliis acceperat a Patre Gretsero, pluresque insuper Animadversiones, quas Cardinalibus Baronio & Bellarmino, Patribusque Possevino & Serrario se debere fatetur. Hæc operi suo Collector inseruit, ut quodammodo ab interitu vindicaret *plurimorum Œcumenicorum Conciliorum Acta* & Monumenta, *quæ injuria temporis, magno Reip. Christianæ damno interciderunt.* Hortatur etiam eo *viros doctos, ut si antiqua monumenta huc pertinentia suis aliorumque Bibliothecis addita detineant, eadem ad honorem & Ecclesiæ utilitatem communicare non graventur.*

Editio Conciliorum Gallicorum, P. Sirmondo, Conciliorum Anglicorum, Henrico Spelman Auctore, aliæque plures Regiam Conciliorum Collectionem magnopere locupletarunt.

Ita P. Labbæus in rem suam transtulit, quidquid typis impressum fuerat vel a Bail, & Patribus Sirmondo, Cellot, d'Achery, aliisque, vel inter Annales Eutichii Patriarchæ Alexandrini, vel in Chronicis Veroduni, Malleacæ, aliisque Collectionibus.

Balutius in nova sua Collectione Conciliorum *edidit eas veterum Conciliorum reliquias, quas nancisci potuit in libris editis, & in Codicibus antiquis.* Hic omnium primus Conciliorum Collectionibus inseruit antiquam Concilii Ephesini versionem in lucem datam ab Antonio Contio, & Synodicon contra Tragœdiam Irenæi in Flandria impressam a Christiano Lupo Augustiniano.

P. Harduinus, qui paulo post nova Conciliorum omnium edita Collectione claruit, plura in eandem intulit Monumenta, quæ ex impressis Libris eduxit, scilicet ex nova Balutii Collectione, ex *Monastico Anglicano*, ex *Synodico* Montis-Cassini, ex Operibus P. Garnerii, Holstenii, Leunclavii, Lambecii, de Marca, Cotelerii, Cardinalis d'Aguirre, P. Pommeraye, ex *Collectanea* Patris Martenne, ex Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ex Ughello, Cardinali Ursino, Beveregio, & ex Annalibus Bzovii.

IV.

De delectu Conciliorum a Collectore habendo.

Non tribuere Concilii nomen, nisi Ecclesiasticis Comitiis, quæ vere Concilia sunt; ex his tot solummodo admittere, quot celebrata fuerunt; supposititia a veris distinguere; supplere, quæ in præcedentibus Editionibus desunt; aut in ipsis Opusculis restituere dictiones & vocabula, quæ vitio aliquo laborant; lacunas explere, quibus identidem intersecantur: hæc aliaque similia ad Criticem pertinentia semper eruditorum ingenia torserunt, & in posterum etiam torquebunt. Quædam ex his illustravi; reliqua modo illustrare conabor.

Cod. Theodos. Lib. 16. tit. 2. de Episcop. leg. 4.

Imperator Constantinus Ecclesiam vocat *Sanctissimum Catholicæ Ecclesiæ Concilium*: quibus verbis Alciatus putat significari *Synodum Ecclesiasticam*: sed Gothofredus egregie animadvertit, pro Ecclesia accipienda esse. Verba *Concilium*, *Synodus Conventiculum*, *Conciliabolum* varias habent significationes: licet enim plerumque significent Synodos & Concilia, alios tamen etiam aliquando Conventus designant, præsertim vero Conventus Christianorum pro Dei cultu congregatorum, & Ecclesias etiam, in quibus congregabantur.

Lib. 6. c. 12.

Verba illa *βουλὴ τυανῶν* non sunt pro Concilio Tyanæ accipienda; in Epistola Sancti Basilii ad hunc Conventum conscripta, de qua Sozomenus loquitur, non habetur Conventus Ecclesiasticus, sed quidam veluti Senatus, qui in Nummismatibus dicitur *βουλή*. Eodem modo *Comitia Legionensia*, sive *Cortes*, quas docti afferunt ad ann. 1101. a Roderico Toletano, & a Luca, cui cognomentum de Tuy perperam confusa fuerunt cum Concilio Legionis habito ann. 1091. Illud etiam animadvertam, verbum Concilii non semper accipi pro Conventu Ecclesiastico. Legimus enim in Chron. de Moissy, Imperatorem Carolum *Concilium magnum habuisse*; cum revera fuerit non Synodus Ecclesiastica, sed politicus tantum Conventus, in quo *disposuit regnum filiis suis*. Habitus est ann. 859. Savonieres Episcoporum Regnique Principum virorum Conventus ad Reges conciliandos; hic item Conventus politicus est. Sic in Epistola S. Aviti Episcopi Viennensis ad Clodoveum legimus, Episcopos magna frequentia coactos fuisse pro sui baptismatis cæremonia, quæ Remis peracta est ann. 496. nec id quidem de Concilio intelligendum est. Sed neque in Synodorum Ecclesiasticarum numerum referendi sunt Conventus, quos Imperator Fridericus I. habuit ann. 1157. ducta jam in matrimonium Beatrice Renaldi Burgundiæ Comitis filia, & ann. 1161. & 1162. Tunc enim primum cœpit abalienari ab Ecclesia, deinde id unice studuit, ut novos asseclas adjun-

geret

geret Victori Antipapæ, quem Alexandro III. opposuerat. Vid. Continuat. Othonis Frisingensis, Ligurinum, seu Auctorem Poematis, quod Cardinalis Baronius tribuit Gonthario, & Alberto Krantz.

In Conciliorum falsorum numerum refero plura Concilia, quæ Apostolorum tempore habita fuisse putantur. Ejusmodi est illud, in quo Cardinalis Sfondratus Immaculatam Mariæ Conceptionem fuisse definitam contendit; ejusmodi illa, in quibus alii putant, Apostolos composuisse Symbolum, Canones, & Constitutiones, aut simul fuisse congregatos, ut Virgini parentarent. Ejusmodi Antiochenum illud, cujus Franciscus Turrianus dedit Canones novem, tanquam inventos a Martyre Pamphylo in Origenis Bibliotheca. Idem dicendum de Concilio Illiberitano, in quo Flavius Dexter contendit *nonnullos S. Jacobi discipulos fuisse flammis exustos sub Alotto Neronis judice ann.* 57. & de Concilio Cherronesi, in quo idem contigisse fabulatur.

Innocent. vindic.

Theoph. Raynaud. tom. 7.

P. Quesnellius falsam esse demonstravit Appendicem Concilii primi Toletani primum ab Ambrosio Morales, deinde a Garsia Loaisa typis excusam. Idem Morales in lucem dedit Epistolam Turibii Episcopi Asturiæ ad Idacium & Ceponium, & Decretum Regis Gundemari de Ecclesiæ Toletanæ dignitate. Licet possit excusari Morales, qui ista deduxit ex antiquis MSS. in quibus est & S. Æmiliani Exemplar, nihilominus gratia est habenda iis, qui supposititia esse demonstrarunt tum Superius allata, tum duo Toletana Concilia, quorum alterum ann. 597. sub Rege Recaredo, alterum ann. 610. sub Gundemaro Rege celebratum fuit. Et sane de eorum falsitate vix dubitaveris, ubi legeris, quequæ iis habet Joannes Baptista Perezius in Præfatione secunda Conciliorum, quam Romam misit, ut Balutius refert.

Collect. nov. Praef. n. 13.

Sed ferendus nullo modo est Laurentius Ramirez de Prado, qui ad finem Operum Luitprandi inter Opuscula eidem falso attributa Antuerpiæ ann. 1640. Summa impudentia typis commisit Acta, & Decreta duorum Conciliorum, quæ feruntur habita Toleti & Valentiæ in Hispania ann. circiter 540. Id, inquiunt, ab eo factum est, ut inde ostenderet, Episcopos Toletanos primum semper habuisse locum in Conciliis supra Episcopos Bracarenses. Sed contrarium evincitur ex Actis Concilii Bracarensis ann. 411. habiti, initio hujus sæculi a Bernardo Brito Lusitano dati, in quo Pancratianus Episcopus Bracaræ dicitur primæ Sedis Episcopus. Ex quo potissimum adductus est P. Labbæus, ut in suam Collectionem inferret hoc Concilium tanquam primum Bracaræ habitum, & deinde collocaret alia duo, quæ usque ad id tempus primum & secundum locum tenuerant.

Conc. tom. 3. col. 1507.

Ughellus ad Titianum tertium Episcopum Tarvisi in Italia mentionem facit de Concilio Carthaginiensi contra Arianos. Quodnam id sit, ignoramus: nam Concilia, quæ exeunte Sæculo IV. Carthagine celebrata sunt, ad Donatistarum Schisma, sive ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinuerunt; & inter Episcopos, qui in iis subscripserunt, nullus est, qui Florentii, & Vindemialis, aut aliquod simile nomen præseferat, ut habet Ughellus.

Cavendum est, ne Conciliorum numerus præter veritatem augeatur. Ann. circiter 243. habitum est in Arabia Concilium contra Beryllum, quem, referente Eusebio, Origenes ab errore revocavit. Id appellatur *Bostrenum*, quod a Collectore Libri Synodici per Pappum & Justellum editi dividitur in duo, *Bostrenum* & *Arabicum*. Eodem modo D. Hieronymus, loquens de Novato, & de Concilio Romæ habito sub Cornelio Papa contra eundem hæreticum, *Synodum Italicam* a Concilio Romano distinguit: in quo Harduinus observat, nullam Hieronymo fuisse causam, cur illa distingueret.

Lib. 8. c. 33.

De Vir. Illust. cap. 66.

Alii ad ann. 679. attulerunt Concilium in Gallia habitum, eo quod in subscriptionibus Synodi Romanæ sub Agathone legissent, *Felix minimus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Arelatensis Legatus venerandæ Synodi quæ in regione Gallorum constituta est*; & pervetse accepissent Subscriptiones Adeodati Episcopi Tullensis, & Taurini Diaconi Ecclesiæ Tullensis. Potest tamen aliquid interesse discriminis inter Synodum Episcoporum *per Galliarum Provincias constitutam*, & Synodum Episcoporum in aliquo Galliæ loco coactam. Binius Concilium Londinense ann. 1102. in duo dividit; & Londinensis Collectionis Editores in eundem errorem prolapsi sunt. Auctor Libri, qui inscribitur Fasciculus temporum, pluresque alii Scriptores ex Tolosano ann. 1119. & ex alio posito anno 1120. aut 1124. duo itidem Concilia faciunt.

Conc. Harduini tom. 3. in indice.

Sed neque delenda sunt e numero Conciliorum, quæ vere Concilia sunt. Ex hoc autem Conciliorum Generalium numero Concilium Basileense, quod Antonius Augustinus inter Generalia recensuerat, ut manifestum: siquidem post verbum *Constantiense sub Martino*, in corruptis editionibus habetur *Florentinum sub eodem*; quod sane ridiculum est, cum Florentinum Concilium sub Martino V. nequaquam habitum fuerit, atque id demonstrat, in præcedentibus post Constantiense fuisse *Basileense sub Eugenio IV.* ac deinde *Florentinum sub eodem*. In Epistola Synodi Cresiniacæ ad Ludovicum Germaniæ Regem fit mentio de Concilio *Liptinensi* ann. 756. Labbæus putat, duo Concilia Liptinensia fuisse inter se confusa. Plurima Concilia sunt, de quibus fit mentio in Decreto, Decretalibus, & alibi, parum cognita, ut apparet ex historica Synopsi Labbæi.

Vocabulum Synodi in antiquis Monumentis aliquando significat, Episcopos alicujus Provinciæ vel Regni, licet non simul in eundem locum coactos, in eandem tamen rem communi conspiratione consensisse. Ex. gr. In Chronico Adonis ad ann. 814. legimus Agobardum ordinatum fuisse Episcopum Lugdunensem consensu Imperatoris, totiusque Synodi Episcoporum Galliæ; inde tamen non sequitur, Episcopos fuisse coactos Lugduni, neque Imperatorem illic perrexisse.

Actorum nomen non semper tribuendum est iis omnibus, quæ de aliquo Concilio referuntur. Ughellus post antiquum MS. dat ea, quæ contigerunt in Concilio Arianorum Mediolani habito. Narrationem hanc Balutius appellat *Gesta Concilii*, sed Harduinus id videtur reprehendere his verbis: *Non sunt ipsa illius Concilii Acta, sed, est historica narratio ex vetusto codice*. Addit deinde: *Pars actorum in Consistorio habitorum apud Constantium Imper. sive colloquium Liberii Papæ & Constantii peti debet ex Theodoreto lib. 2. cap. 14.*

Tom. 4. Ital. sac.

Nova collect. Tom. 1. in indice.

Quidquid nomen Actorum habet, non continuo Concilium notat: ita cum in Evagrio dicitur ἐμφέρονται τοῖς τε πεπραγμένοις: *in iisdem actis leguntur*, non agitur de Concilio, licet Christophorson hunc locum verterit, *extant præterea in actis ejusdem Concilii* &c. Nam Evagrius eo loco non mentionem facit de aliquo Concilio, sed loquitur de Collectione Epistolarum, quæ ad Acacii causam pertinebant. Acta igitur simpliciter appellantur, quæcunque transacta sunt alicujus negotii causa, licet neque Concilium, neque judicium ullum intercesserit.

Qui Conciliorum omnium Collectionem aggressi sunt, id, tanquam normam, sibi proposuerunt, ut darent, quicquid Synodorum habere potuissent. Atqui id est, quod præstitit Crabbe, Surio referente. Collectores omnes usque ad Labbæum, se rem litterariæ Reip. gratam facturos esse putarunt, si in suis Collectionibus Concilia, quæ in præcedentibus deerant, attulissent. Sed eodem tempore, quo Labbæus Collectionem suam pluribus Conciliis antehac ignotis locupletavit, delectum etiam quemdam in hoc adhibuit. Non omnia indiscriminatim adduxit Concilia Diœcesana & Provincialia. Nullum affert eorum, quæ ab Episcopis in suis Diœcesibus habita fuerunt post ann. 1300. siquidem, fluente Sæculo XIV. eorum numerus est longe major, quam antea, neque amplius, ut inquit, mores & disciplinam antiquam ob oculos ponunt: præterea quemadmodum pleraque horum Conciliorum easdem regulas iisdem verbis præscribunt, ita eadem sæpius in Collectionibus repetita, nulla utilitate, volumina nimis amplificarent. Ita Synodi Provinciales post Tridentinum Concilium celebratæ tam multæ sunt,

earum-

earumque Decreta tam similia, ut posteriora a prioribus exscripta esse videantur. Nihilo tamen minus hic animadvertam, si omittantur Acta & Canones Conciliorum Dioecesanorum post annum 1300. & Provincialium post Concilium Tridentinum, cum rem non inutilem facturum, qui eorum saltem nomina exhibeat in Synopsi Conciliorum omnium chronologico ordine distributa, vel in Corpus Collectionis immittat, quidquid alicujus momenti ponderisque haberi potest.

V.

De Opusculis Conciliorum Collectioni inserendis. Quod ad delectum attinet earum rerum, quibus Conciliorum Collectio constare debet, plures quaestiones institui possunt. Ac primum, utrum in Collectionibus locum habere debeant Concilia Apostolorum. *Concilia Apostolorum.* Ea excluduntur ab Antonio Augustino, *quia ex Sacris Libris tantum sumpta sunt: Collectoris autem labor ad ea, quae post sacros Libros acta sunt, refertur*. Non tamen prorsus rejiciendum est Concilium, de quo fit mentio Actorum cap. 15. eo quod consequutorum Conciliorum veluti norma & exemplar extiterit.

Concilium S. Cypriani. Quaeritur etiam, utrum aliis annumerandum Concilium Africae, seu *martyris Cypriani, quod egit baptizare haereticos poenitentes*. Id etiam Graecum habebat Antonius Augustinus: *sed ut verum fateatur, neque Graecum neque Latinum extare maluisset; nisi quod in eo accepit Novatum & alios haereticos damnatos, quae pars sola obtinuit vim suam.*

Constitutiones Apostolicae. Quod ad Constitutiones attinet tributas Apostolis, monet Cotelerius, nonnulla harum Constitutionum capita repetiri initio trium Collectionum Canonum, quae MSS. in Bibliotheca Regia servantur. *Not. in Const. Apost.* Intelligit autem Collectionem Arabicam, & alias duas Graecas. Addit, apud Orientales in more positum, ut initio Conciliorum haec eadem Capita apponerentur; ut observavit Abraham Echellensis in Notis ad Catalogum Hebedjesu. *Pag. 187.*

Epistolae Decretales Pontificum. Quaestio hic haberi potest de Decretalibus Pontificum Epistolis, utrum eae jure recteque Conciliorum Collectionibus inserendae sint. Quam antequam dirimimus, non erit abs re primum perpendere, quid hac de re Collectores senserint. Merlinus, qui suam Collectionem inscribit *Tomus Conciliorum & Decretorum Pontificum*, eidem inseruit Acta Conciliorum & Pontificum, ut ipse ait ad finem Tomi primi. Cum enim publice dare proposuisset, *quae ex Graecorum Latinorumque promptuariis in unum recollegerat volumen Isidorus Hispalensis*, simul conjunxit, quidquid in hac Collectione reperiit, scilicet Acta Conciliorum, & Pontificum Epistolas: his adjecit Epistolas Pontificum Martini I. Vitaliani, Gregorii II. Gregorii III. & S. Zachariae, quae primo volumine continentur. Crabbe satis habuit in hoc Merlinum sequi, addiditque quasdam Pontificum Epistolas, veluti nonnullas Liberii, fragmentum Epistolae Caelestini ad Concilium Ephesinum, Epistolam Symmachi ad Dardaniae Episcopos, Illyrii, & Daciae; Epistolam Vigilii ad Theodorum Episcopum, alteram Pelagii II. quae Gelasio attribuitur in Decreto *de consecr. dist.* 1. Fragmentum Epistolae Decretalis Deusdedit ad Episcopum Gordianum dictum; viginti Canones Concilii Lateranensis contra Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrum, & Paulum, quibus Papa Martinus subscripsit; insignem Nicolai I. Epistolam ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, ejusdem Papae Decreta, Constitutionem Gregorii VII. ex Mariano Scoto desumptam, Bullam Innocentii III. pro Crucis militia, & Decretum Eugenii IV. Nullam fecerat mentionem de Decretalibus in titulo duabus Conciliorum suis editionibus apposito: id tamen non praetermisit Surius in titulo, quo suam inscripsit. Joverius separatim Decretales dedit. Nicolinus his Epistolis adjecit Epistolas Julii Papae ad Orientales, quas eduxit ex secunda Apologia Sancti Athanasii; Epistolam Joannis Papae ad Imperatorem Justinianum ex hujus Imperatoris Codice desumptam, Epistolas Vitaliani & Honorii, Responsum Nicolai I. ad Bulgarorum Consultationes, ejusdemque Decretales sexdecim in facto Rothaldi Episcopi Suessionensis, ex Patrum Bibliotheca deductas.

Antequam Binius primam Conciliorum editionem suam daret, Romae ann. 1591. jam prodierant Epistolae Pontificum tribus volum. Cardinalis Antonius Caraffa, cum exeunte Saeculo XVI. omnia Vaticanae, aliarumque multarum Bibliothecarum MSS. evolvi, & pervolutari jussisset, Collectionem inde confecit, quae Pontificum Epistolas continebat a S. Clemente usque ad Gregorium VII. Antonius Aquinas Gregorii XIV. jussu, hujus Cardinalis Collectionem absolvit, typisque edidit. Editor hic in hujus Collectionis supplementum magnum coegerat Opusculorum numerum: sed morte praeventus, quod susceperat, non absolvit. Cardinalis Baronius in suis Annalibus edidit, quae ab illo sibi communicata fuerant, numquam antea cognita. Binius in Editione anno 1606. has omnes Epistolas dedit, easque praeterea, quas Baronius ex Vaticana, aliisque Bibliothecis eduxerat.

Quod ad Epistolas spectat Urbano II. ejusque Successoribus scriptas, Binius tantum Auctores citat, qui de iis loquuntur; eas tamen non affert, quae Fidem Moresque afficiunt. Plures dat, quae sibi communicatae fuerant a Joanne Pistorio, a P. Frontone du Duc, a Joanne Picardo Canonico S. Victoris, a Georgio Colvenerio Duaci Theologiae Doctore, a Christophoro Hamerer ex Coenobio Constantiensi, Joanne des Cordes Canonico Lemoviocensi, a Marco Velser, aliisque. Mirandum est, eum praetermisisse plures Epistolas S. Leonis, & S. Gregorii, quae in Editione Epistolarum Pontificum Romae edita continebantur. Eas dat etiam Collectio Regia una cum Vigilii Papae Constitutione, quam Binius non nisi imperfectam ac dimidiam dederat: habentur hic quoque Epistolae plurium Pontificum ex variis Auctoribus sumptae. Labbaeus non attulit Innocentii III. Epistolas, quae Balutii opera prodire brevi debebant. Omisit etiam magna ex parte Epistolas Pontificum, qui Innocentium exceperunt; siquidem eae reperiri possunt in Bullario, & in Annalibus Baronii, Raynaldi, aliorumque Ecclesiasticorum Historicorum, collectaeque extra modum Voluminum numerum adauxissent. Hinc ex iis Epistolis eas tantum adducit, quae in Binii Collectione sunt; quibusdam exceptis, quae ad Concilia & dogmata referuntur.

Caeterum Collectores, qui in suis Conciliorum Collectionibus Pontificum Epistolas indiscriminatim commiscuerunt, tacite damnantur a Dionysio Exiguo, qui antiquum Codicem dispescuit in duos. Initio enim confecit Codicem Canonum, quem etiam vertit; deinde Codicem alium Epistolarum Decretalium Pontificum a Siricio usque ad Anastasium Papam, h. e. ab ann. 385. usque ad annum 496. Videtur igitur rerum ordinem perturbare, qui Pontificum Epistolas Conciliis miscet: hinc P. Coustant Benedictinus ex S. Mauri Congregatione Epistolas separatim dedit. Praestantis hujus Collectoris non habemus, nisi volumen unum. P. Mopinot persequitur hanc Collectionem, quae Epistolas Pontificum easque ad Innocentium III. continebit. „Caeterum Epistolas Pontificum praesertim longiores, quaeve lectorem „aut fatigant, aut avertunt ab ipsa Conciliorum „lectione, facta paucis verbis earum mentione „ad marginem, sive in subjecto scholio, refer„rem in Tomos Epistolarum Decretalium, quem„admodum & plerasque alias ex Annalibus Car„dinalis Baronii quae antea ignorabantur. Decre„ta ipsorum Pontificum quae ad Concilia specta„rent, quaeve jam ab Ecclesia recepta fuere, suo „ordine inter ipsa Concilia essent ponenda.„ Ita admonet Possevinus. *Apparat. sac. pag. 378.*

Antonius Augustinus observat, non haberi secundam S. Clementis Papae Epistolam, de cujus veritate dubitandum esse Hieronymus ait: & sane nihil ex ea superest, nisi fragmentum a Vindelino Latine, & a Patricio Junio graece datum. *Epist. ad Sur. tom. 4. Conc. Hisp. pag. 649.* Addit, „eas extare, quae a Rufino, parum fido Inter„prete, versae dicuntur. Has & caeteras, quae se„quuntur, inveni in Collectione Isidori pecca-

„ toris

„ toris certum est . . . . notavimus varias quasdam lectiones in ipsis Epistolis, (*ex collatione* „ *Burchardi, Ivonis, & Gratiani*) alia quædam „ (*Epistolas Cornelii Papæ*) a S. Cypriano mutari oportet, & lectoribus proponere, ut statum Romanæ Ecclesiæ partim a Gentibus, partim a Novato & ab aliis Schismaticis atque „ hæreticis divexatum agnoscant. „

Collectio Epistolarum Pontificum, Auctore P. Coustant.

Ex ipso Operis titulo cognoscitur nova Epistolarum Pontificum Collectio, quam P. Coustant Benedictinus in lucem dedit ann. 1721. in fol. Ea continet Epistolas seu Fragmenta Epistolarum, quas Papæ scripserunt, sibique ab aliis scriptas acceperunt. In fronte hujus Collectionis extat Præfatio generalis, quæ agit de Pontificum auctoritate, de variis eorundem Epistolarum Collectionibus, de ea præsertim, quæ Romæ prodiit, & de authenticis Epistolis, quæ in hac nova Collectione continentur. Conjunxit Editor Originalia cum antiquis versionibus, ut, quæ Auctoris Interpretisve sunt, Lector inspiceret. Ubi Originale deficit, antiquas tantum versiones dat. Ubi vero hæ vel erroribus refertæ, vel difficilis correctionis visæ sunt, usus est versionibus a viris doctis nostra hac ætate confectis, iisdem tamen prius cum Textu Græco collatis, emendatisque, ubi oportuit. Tandem idem ipse vertit quædam Opuscula, quorum non habebantur versiones, nisi parum correctæ vel infidæ: & Epistolæ cujusque fronti præposuit admonitiones, ex quibus earumdem argumenta, tempus, auctoresque innotescunt. Epistolæ hæ ordine temporum collocatæ illustrantur Criticis Notis, quibus authenticæ probantur contra eos, qui id negant. Deinde Editor notat, quosnam ad Codices recognitæ sint, & qua via ad nos usque pervenerint. In aliis Notis dat varias lectiones, quas Manuscripta, & impressa exhibent; in aliis item, quæ historiam, dogmata, ac disciplinam explicant; quarum rerum cognitione qui destituuntur, in Conciliis legendis sæpe hærere coguntur.

Idem Editor, prætermissis Pontificum Vitis, notat, quo quisque Pontificatus tempore inceperit, ac desierit, breviterque cujusque spatio considerato, peculiares de variis rebus Dissertationes dat, quarum prima de primis S. Petri Successoribus est. Reliquæ, quæ præcipuæ longioresque habentur, sunt de Hæreticis, qui tempore Hygini Papæ Romam accesserunt, de modo, quo se Anicetus gesserit erga Polycarpum, de disputatione Pascha afficiente, de zelo Zephyrini contra eos hæreticos, qui Jesum Christum tanquam purum hominem considerabant, de condemnatione Originis, de pœnitentia eorum, qui sunt in Sacris Ordinibus tribus prioribus sæculis, de sententia S. Stephani quoad Hæreticos recipiendos, de Idololatria Marcellini, de Papæ Marcelli studio & contentione pro antiqua pœnitentiæ disciplina conservanda, de facto Cæciliani, & judicio Melchiadis, & de Schismate Bonifacii I. tempore exorto.

Pontificum Epistolis eas adjunxit, quæ ab aliis ad Pontifices missæ fuerunt, ut alteræ alteris lucem præberent, conjunctæque unum quasi historiæ Corpus efficerent. Omnes ordines temporum dispositæ fuerunt, in finem rejectæ, quæ *incerti temporis* sunt.

Plures Epistolæ, quas suæ Collectioni inseruit, vel ex toto, vel ex parte in antiquis Ecclesiasticis Auctoribus referuntur. De quibusdam fit tantum mentio. Pontificum Decreta, quæ Gratianus attulit, hic post eorundem Epistolas collocantur, una cum Criticis observationibus, quæ legitimos ipsarum Auctores patefaciunt.

Primo huic Volumini finem imponit Appendix, quæ continet Scripta supposititia, vel Pontificibus falso attributa, vel inscitia, vel dolo malo, vel ipsius styli similitudine. Ea vero sunt prima S. Clementis Epistola ad S. Jacobum, prout affertur a Cotelerio; duæ Epistolæ Pii I. ad Justum Episcopum Viennensem; duæ Victoris, ad Didierium Episcopum Viennensem, & ad Episcopum Paracodam; Rescriptum Eleutherii ad Lucium Angliæ Regem; duæ Cornelii Epistolæ ad Lupicinum Viennensem, & ad S. Cyprianum; Acta Synodi Sinuessanæ, quæ Marcellinum afficiunt; Epistola Sylvestri Papæ ad omnes Galliarum Episcopos; Canon seu Constitutio Sylvestri ad Constantinum; Epistola Concilii Nicæni ad eundem Papam; Rescriptum ejusdem Papæ ad Concilium Nicænum; Epistola vel Concilium a Sylvestro celebratum coram Imp. Constantino; Epistola Julii Papæ ad Dionysium Alexandrinum, Græce & Latine, prout datur a Muratorio; antiqua ejusdem Epistolæ versio; Epistola Julii Papæ ad Prosdocium Græce & Latine ex antiquo Angliæ MS. deducta, & hic primum data; tres ejusdem fragmenti versiones antiquæ; fragmentum Epistolæ ejusdem Papæ, quod inter ipsius sermones habetur afficiens τὸ ὁμόιον Græce & Latine; fragmentum alterum ex quadam ipsius epistola eductum, & tertium ejusdem; pars Epistolarum S. Cyrilli ad Julium, & Julii ad Sanctum Cyrillum de Nativitate Domini; hujus Papæ Epistola ad omnes Orientis Episcopos; Epistolæ duæ Liberii ad S. Athanasium & S. Athanasii ad Liberium Græce & Latine; Symbolum Damasi; quatuor sequentes Epistolæ, sive earum fragmenta, h. e. una Innocentii ad Arcadium Græce & Latine, duæ hujus Imperatoris ad Innocentium, item alia ejusdem Papæ ad eundem Imperatorem; Epistola Zozimi ad Simplicium; tandem Acta, quæ continent defensionem Sixti III. & accusationem Polichronii Episcopi Hierosolymitani.

Pleraque hæc Opuscula antecedit Admonitio, Censura sive Observatio in ea, quæ continent; Notæ sequuntur. In his Notis, aliisve Observationibus Coustant causas affert, cur hæc Opuscula rejicienda putaverit; notat, quinam horum Auctor sit, quo tempore, quove consilio confecta fuerint; juxta Editorem; nullum horum apocryphorum Opusculorum est, cujus lectio non possit esse intelligentibus utilis. Initio quidem nulla videtur posse percipi utilitas ex Actis fictitiis Concilii Sinuessani sub Marcellino, & Romani sub Sylvestro, ex Actis Liberii & Sixti III. quæ sunt fabulis plena. Verum, ubi scias, hæc confecta esse tempore Symmachi, aut non multo post ejusdem Pontificatum, illud etiam simul intelligis, quo tempore, & qua occasione incæperint peculiares quædam de Pontificum auctoritate opiniones disseminari. Ecce tibi aliud ejusdem rei exemplum. Edita fuit Papæ Zozimi nomine Epistola ad Simplicium Viennensem Episcopum: in hac, quæ brevis admodum est, is est Auctoris finis, ut nescio quæ Privilegia ab Ecclesia Viennensi jactata probet atque confirmet. At epistola, inquit, Privilegia hæc ad ea esse conformanda, quibus Ecclesia Arelatensis gaudet: latet igitur hic fraus, quia non Ecclesiæ Viennensis, sed Arelatensis jura stabiliuntur. Si enim postremæ hujus Ecclesiæ Privilegia suspecta fuissent, non is, tanquam exemplo, usus fuisset Epistolæ Auctor ad ea confirmanda, quæ Ecclesiæ Viennensi concedi volebat. Atque ita sæpe fit, inquit Coustant, ut error suis se armis confodiens veritatem prodat.

Epistolarum Pontificum ordo in Editione Patris Coustant non idem est, ac qui habetur in Labbæi Collectione: id ex eo fortasse contingit, quod Benedictinus in suum locum intulit Epistolas, quæ a Labbæo illatæ fuerant in Acta Conciliorum, quibuscum arctissimo vinculo conjunctæ sunt. Hujus rei veritas innotescit ex duabus Epistolis Concilii Arelatensis ad Sylvestrum Papam, ex epistola Synodi Sardicensis ad Julium I. Papam, & ex Epistola Concilii Aquilejensis ad Imperatorem Gratianum Damasi Papæ tempore.

P. Coustant in suam Collectionem contulit quædam Opuscula, quæ nondum in Conciliorum Collectione ulla fuerant, sed quæ tamen alibi impressa reperiebantur. Ita fragmenta Epistolæ Dionysii Alexandrini ad Dionysium Papam desumpta sunt ex S. Athanasio; Epistola Marcelli Ancyrani ad Julium I. ex Operibus S. Epiphanii: Epistola Valentis & Ursacii ad eundem Papam græce & latine ex S. Hilario. Ex S. pariter Athanasio deductus est sermo a Liberio Papa habitus ad Eunuchum Eusebium, qui sancti hominis ab eo volebat condemnationem subscribi, Græce & Latine; ex Socrate Epistola hujus Papæ ad Legatos, qui Synodo Lampsacenæ præerant; ex Codice Theodosiano Constitutio ab Imperatore Valentiniano ad Papam Damasum missa; ex Operibus S. Basilii Episcopi Cæsarcensis ejusdem Epistola ad Damasum

Epist. Roman. Pontif. col. 280.

Col. 431.

Lib. 16. tit. 2. Leg. 20. Epist. RR. Pont. col. 473.

Ibid. sum Græce & Latine; ex Rom. Holstenii Collectione Epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum, *Col.* 516. juxta versionem a Labbæi versione diversam. Hu- *Col.* 517. jus Epistolæ græcæ continuatio deducta est ex Theodoreto cum Interpretatione latina Epiphanii, & Isidori Mercatoris. Notat hic Merlinum & Crabbe omisisse partem Professoris Fidei, quam laudatus Papa ad Paulinum misit. Ex eodem Holstenio *Col.* 535. & 539. idem Coustant extraxit duas Epistolas Damasi ad *Col.* 545. & 550. Acholium; ex Operibus S. Hieronymi Epistolam hujus Patris ad Damasum de tribus Hypostasibus; Epistolam 145. S. Hieronymi ad eundem Papam, in qua vocabulum *Osanna* explicat; Responsum *Col.* 574. S. Hieronymi ad eundem de quinque quæstioni- *Col.* 580. bus ad S. Scripturam pertinentibus; ex Codice Theodosiano & ex nova S. Ambrosii Editione *Col.* 551. Epistolam Concilii Aquilejensis; ex Theodoreto *Col.* 571. Synodicam Damasi; ex Baronio Epistolam Impe- *Col.* 539. ratoris Valentiniani ad Pinianum; ex S. Hierony- *Col.* 715. mo primam Epistolam sive Apologiam Rufini ad *Col.* 739. Anastasium; ex Holstenio primam Epistolam In- *Ibid.* nocentii I. ad Anysium, & Epistolam ejusdem Pa- *Col.* 815. pæ ad Rufum; duas Epistolas Sixti III. ad S. Cyrillum, aliosque Episcopos dedit Græce & Latine *Col.* 1231. & 1237. Cotelerius Tom. I. Monum. Eccl. Græcæ, & inseruit Baluzius suæ Concilior. novæ Collectioni. Aliam Labbæus affert, quæ ita incipit: *Gratias* *Conc. tom.* 3. *col.* 1263. *vestræ referimus*; sed hæc tanquam suspectæ fidei omittitur a P. Coustant. Quod attinet ad Epistolam Julii ad Prosdocium, cujus fragmentum extat in Concilio Ephesino, eam Coustant affert in Ap- *Col.* 73. pendice, sibi datam a P. Lequien, qui eam ex MS. Anglico integram exscripserat. Dat pariter *Col.* 81. & 82. fragmentum Epistolæ Julii eductum ex Sermone, quem Photius S. Ephrem tribuit; fragmentum alterius ejusdem Papæ Epistolæ, eductum ex MS. Arabico Regiæ Biblioth. & ex Arabico Tractatu Isæ, qui decessit ann. 1007. & latine translatum ab Abbate Renaudot; fragmentum aliud ex eodem Biblioth. Regiæ MS. & ab eodem Interprete *Col.* 105. translatum; Epistolam Innocentii Papæ ad Imper. *Lib.* 3. *c.* 33. Arcadium, eductam ex Nicephoro Calixto; aliam Imperat. Arcadii ad eundem Papam, item aliam ejusdem Papæ ad eundem Imperatorem ex Annalibus Glycas extractas; aliam ejusdem Imperatoris ad Innocentium I. quæ ad nos Latina tantum pervenit, & a Baronio educta fuit ex MS. Vatican. Biblioth.

Vita Pontificum. Quæritur etiam, utrum Vitæ Pontificum Conciliorum Collectioni inserendæ sint. Res sequentibus observationibus clarior fiet. Merlinus Collectioni suæ non inseruit. Crabbe eas dedit, quas Damaso attribuit, h. e. Vitas Pontificum usque ad ætatem suam. Ex reliquis Pontificibus, quorum Decreta habentur, iisdemque regnantibus Concilia celebrata sunt, eorum Vitas dedit, quarum Platina Auctor est; *in quarum rerum assignatione multa lectu ac scitu jucunda & digna lectorem offensurum* pollicetur. Binius *reliquorum* post Damasum *Pontificum Vitas ex Scriptoribus eorum temporum, quibus vixerunt, summatim descripsit*. Labbæus se *certioribus calculis ætatem eorum defi-* *In Synopsi omn. Concil. seu prima Delineatione Collectionis.* *nisse dicit*. Utrum vero id præstiterit, ex iis, quæ deinceps dicam, apparebit. Is typis edidit Librum Pontificalem, qui Pontificum Vitas continet a S. Petro jam defuncto usque ad Nicolai I. tempora, variis distinctum articulis, quorum unumquemque cujusque Pontificatus tempore, exemplo Binii, affert, adjiciens, ut Binius, quæ ex Luitprando, aliisque colligere potuit. Antonius Augustinus in Epistola ad Surium hunc ipsum hortabatur, ut viam hanc & rationem sequeretur: *nihil enim in Latinis litteris certius habemus Pontificum historia*, h. e. Libro Pontificali, cujus pollicetur se plures lectiones daturum ex antiquo Exemplari depromptas.

Historia, quæ antiquorum Pontificum Vitas continet usque ad Nicolaum I. hoc titulo *Liber Pontificalis*, seu *Gesta Pontificum*, perperam Anastasii Bibliothecarii nomen præfesert in Editione Germanica per Marcum Velserum, & in Gallica per Fabrottum; cum is unius tantum vere Auctor sit, scilicet Nicolai I. Liber hic Pontificalis in pluribus habetur Collectionibus; Crabbe, Binii, Labbæi, & Harduini. Baronius in Annales Ecclesiasticos eundem contulit. Onuphrius Panvinius in suis Comment. ad Fastos Consulares, Fabrotus in *Anastasii Bibliothecarii Historia Ecclesiastica, sive Chronographia tripartita*, Holstenius, & Schelstratus hujusce libri varias lectiones dederunt ex antiquorum MSS. collatione deductas. Prima ejus editio Moguntiæ ann. 1602. elaborata fuit ad MS. Bibliothecæ Velseri. Carolus Annibal Fabrottus Jurisconsultus Parisiis ann. 1649. dedit secundam una cum variis lectionibus deductis ex Conciliorum Collectionibus Crabbe & Binii, ex Baronii Ecclesiasticis Annalibus, ex MS. Biblioth. Vaticanæ, Regiæ, Freheri, Cardinalis Mazarini, & Thuani. Post id temporis Holstenius & Schelstratus ampliorem instruxerunt harum Variantium Collectionem ex variis confectam MSS. Vatican. Florent. Montis-Cassini, Regis, Colberti, Imperatoris, Reginæ Svecorum, & Farnesii.

Benedictus Millinus, Reginæ Svecorum Bibliothecarius Librum hunc edidit Romæ ann. 1718. apud Joannem Marium Salvioni, & in varias sectiones divisit; Franciscus vero Blanchinius Veronensis ornavit Præfatione eudita, & Indice admodum copioso, unde multa erui possunt ad institutionem, dotem, & incrementum Ecclesiarum pertinentia. Variantes hic ad Textus latera habentur: inter alias, quas Franciscus Penna Hispanus, & Rotæ Auditor collegit ex Cavæ MS. a Baronio citato. Secundo volumini reservat observationes & annotationes, quæ colligentur ex impressis Operibus Alteserræ, Binii, Ciaconii, Labbæi, aliorumque Ecclesiasticæ Historiæ Scriptorum. Tomo tertio se daturum pollicetur Observationes quasdam in Chronologiam.

Joannes Ciampini Brevium Apostolicorum Breviator Romæ ann. 1688. Dissertationem in hunc Pontificalem edidit; quæ orta est, crevitque ex variis Criticorum opinionibus. Nam Ptolemæus Lucensis, ex Ordine S. Dominici, aliique nonnulli putant, Libri Pontificalis initium a S. Petro usque ad Damasum, hunc eundem Papam Auctorem habere, reliqua usque ad Nicolaum I. ab Anastasio Bibliothecario fuisse conscripta. Prima Pars Damaso tributa est, eo quod iisdem concepta sit verbis eodemque dicendi genere, ac quæ habentur in duobus Catologis, quorum primus ætatem Liberii Papæ, cui Damasus successit, alter Felicis tempus notabat. Prioris titulus habet: *Sub Liberio conditus circa annum* 354. Posterioris vero: *Sub Felice circa* 530. Horum Catologorum primus datus fuit a P. Bucherio, sed emendatior a Schelstrato. Cardinalis Baronius putat, Vitas & *Lib.* 2. *n.* 1. Acta Pontificum usque ad Liberium incogniti Scriptoris esse; in quo eum Labbæus sequitur. Tortelius arbitratur, omnes hasce Vitas fuisse scriptas a Guilhelmo Bibliothecario, qui medio Sæc. XII. vivebat. Onuphrius omnes Anastasio tribuit. Patres Henschenius & Papebrochius referunt, Anastasium ad scribendas Pontificum Vitas tribus Ca- *Vita Sanctor. Tom.* 1. *Aprilis Dissert. prælim.* talogis usum fuisse; Lucam Holstenium, dum Romæ erat, iis communicasse antiquum Catalogum, qui Vitas Pontificum continet a S. Petro usque ad Stephanum III. Bibliothecam Svecorum Reginæ suppeditasse alium, qui Felicis III. tempus non excedebat, Tertium habebant ex Bibliotheca Imperatoris, qui in Liberii Pontificatum desinebat. Alia præterea testantur se habuisse MSS. in quibus Vitæ Pontificum usque ad Stephanum III. ampliores accuratioresque erant, quam quæ continentur tribus hisce Catalogis, quorum duos typis ediderunt, prætermisso Vaticano, qui cum multis refertus esset erroribus, exiguæ videbatur posse esse utilitatis. Primum horum Catologorum, scilicet Biblioth. Imperatoris, Bollandistæ putant, quoad primam partem a S. Petro usque ad S. Urbanum Papam & Martyrem, fuisse compositum a S. Antero, qui ante Pontificatum suum Martyrum Acta summo studio collegerat; quoad alteram vero partem, a S. Julio, qui Liberium excepit. Catalogus autem ex Biblioth. Svecorum Reginæ videtur confectus fuisse, ineunte fere Sæculo VI.

Lambecius Imperatoris Bibliothecarius, tantum abest, ut Anastasium Auctorem putet Vitarum omnium, quæ ejus nomen præfeserunt, ut imo illarum plures Damaso ipso antiquiores esse demonstret,

ftret. Ea autem eft hæc de re ejus opinio, ut putet, Ecclefiæ initio Notarios Pontificum eorumdem Vitarum confeciffe compendium, quod eorum nomen, patriam, parentes, promotionis tempus, ordinationes, quas fecerant, mortem denique continebat; tum Conftantini Magni tempore, quo, ceffante perfequutione, bona acquirere Ecclefia Romana cæpit, Catalogum Pontificum deveniffe ampliorem, & comprehendiffe Ecclefias, quas erexerant, cum effent Pontifices, earum vafa & ornamenta, donationes Clericis factas, & inftitutiones. Ita fe habebat Pontificum Catalogus tum, cum illum Damafus Papa ex Tabulariis eductum ad S. Hieronymum mifit; fiquidem Lambecius putat effe veras duas in hanc rem S. Hieronymi & Damafi Epiftolas; optaretque, ut Pontificalem etiam haberemus eo ftatu, quo erat Damafi tempore, neque Amanuenfium infcitia corruptus depravatufque fuiffet. Juxta eundem Lambecium, S. Sedis Bibliothecarii Catalogum hunc continuarunt, inter quos eminet Anaftafius, qui ufque ad Joannis VIII. tempora vixit. Schelftratus expendit tres hofce Pontificum Catalogos, de quibus hactenus dixi juxta Henfchenii & Papebrochii opinionem. Contendit Auctor hic præftantiffimus, licet veræ effent Epiftolæ S. Hieronymi ad Damafum, & Damafi ad S. Hieronymum, quas fictitias arbitratur, adhuc tamen primum Catalogum non eum effe poffe, quem Damafus S. Hieronymo miferat. Quoad Catologum vero Sveco-rum Reginæ, obfervat, hunc a primo vehementer differre annorum cujufque Pontificatus enumeratione; Auctorem ex primo Catalogo defumpfiffe nomina eorum, qui Confules fuere poft S. Petrum ufque ad Liberium, atque inde etiam errores exfcripfiffe. Concludit, Anaftafium ad Vitas Pontificum exarandas tribus hifce Catalogis ufum effe; ex primo accepiffe nomina Confulum; ex fecundo Pontificum Acta poft S. Petrum ufque ad Felicem III. ex tertio cujufque Pontificatus annos. Floravantius Martinelli, vir eruditus, qui diu in Vaticana Bibliotheca defudavit, argumentum hoc retractavit in Libro, qui infcribitur: *Rome devenüe Sainte de Profane & de Payenne qu' elle etoit*. Hujus opinio eft, Librum de Pontificum Vitis, juffu Damafi, confectum fuiffe ex tribus Catalogis, de quibus diximus; eundem pluribus in locis fuiffe corruptum amanuenfium ignorantia; a variis Auctoribus deinde continuatum.

Antiq. illuft. Differt. præv.

Ex variis hifce opinionibus Ciampini conflavit fuam, quæ duo præcipue refpicit: primum, quod Vitæ Anaftafio tributæ non unius, fed plurium Auctorum funt; id ex eo luculenter evincitur, quod quidam eos coævos faciunt Pontificibus ipfis, quorum facta celebrarunt; alterum, quod inter omnes Pontificum Vitas, Vitæ tantum Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. ab Anaftafio confcriptæ fuerunt. Secunda hæc ejus affertio nititur ftyli fimilitudine, quæ inter Vitam Nicolai I. & alia ejus fcripta intercedit. Quemadmodum enim in duabus Anaftafii Epiftolis, quæ in comparationem veniunt, adjectiva plerumque disjunguntur a fubftantivis, interpofito vel verbo, vel adverbio, vel relativo, adverbia vero fæpiffime in periodi finem conjiciuntur: ita id ipfum etiam in Nicolai I. Vita ab eo factum deprehenditur; ex quo cogit, eam, non fecus ac memoratas Epiftolas, probabiliter ad Anaftafium pertinere. Eadem ftyli fimilitudo, ut ipfe putat, apparet in Vita Benedicti III. quæ a Vitis Adriani II. & Stephani VI. procul abeft. Huc adde, quod ab ejus modeftia alienæ funt eæ laudes, quibus fe ipfum exornat in Vita Adriani II. Cur vero Anaftafius neque potuerit, licet ufque ad Joannem VIII. vixerit, duorum laudatorum Pontificum Vitas confcribere, caufa in promptu eft. Fuit enim ille, Adriano II. Pontifice, a Ludovico Pio Conftantinopolim miffus, ut intereffet octavo Concilio, cujus Acta latine vertit; mox feptimi etiam Concilii Acta tranftulit. His aliifque graviffimis diftentus curis, præterea infirma fæpe valetudine affectus, non potuit profecto in Adriani II. & Stephani VI. Vitas incumbere. Nam Auctorem quidem Vitæ Adriani Papæ, Onuphrius putavit effe Guilhelmum Bibliothecarium. Ciampini vero conjicit, cum effe Zachariam Anagniæ Epifcopum, qui a Nicolao I. ann. 860. fuit una cum Epifcopo Portuenfi Conftantinopolim miffus, quique ignave admodum una cum eodem in Ignatii depofitionem confenfit, illud affequutus, ut mox & ipfe, qui cum Photio communicaverat, deponeretur. Verum quidem eft in Adriani II. Vita mentionem fieri de horum Legatorum depofitione, quam Zachariæ intererat filentio præterire. Sed refpondet Ciampini, non potuiffe a Zacharia prætermitti depofitionem fuam, quæ occultari non poterat; eam omnibus fuiffe cognitam; præterea deletam omnem depofitionis infamiam, facta mox ejufdem reftitutione, de qua pariter mentionem facit. Hæ Ciampini rationes fatis probant, Librum de Vitis Pontificum Anaftafio tributum non unius Anaftafii effe. Inter cætera id affert, quod Auctor Vitæ S. Leonis II. dicit: *Hic fufcepit Sanctam Sextam Synodum quæ per Dei providentiam nuper in Regia urbe celebrata eft*. Ex quo apparet, Scriptorem hunc fuiffe huic Papæ coævum, propterea que non potuiffe fequentes Vitas defcribere; fiquidem 180. circiter anni ab eo tempore intercefluxerunt ufque ad mortem Nicolai I. in quem definit Hiftoria hæc fub Anaftafii nomine publice edita.

Salmon Conſil.

Blanchini in nova Hiftoriæ de Pontificum Vitis editione pollicetur Schelftrati Differtationem in antiquos Pontificum Catalogos multo ante Hyftoriam Anaftafio tributam confectos. Ea Differtatio in novem Capita diftributa eft. Vitarum harum Auctores funt fine nomine; non tamen fine auctoritate, cum ex his Catalogis eduxerint, quæ adducunt, ut Blanchinius probat; in his Catalogis habentur nomina Pontificum, eorumque Parentum, tum locus, in quo nati funt, præterea anni, menfes, & dies cujufque Pontificatus. Oftenditur illud moris in Ecclefia Romana obtinuiffe, ut in Pontificum fepulchris infculperent diem, quo ordinati funt, eorum Decreta, annum, diemque, quo obierunt, & Confules. Harum rerum omnium Notitiæ nonnullæ extant in Actis Martyrum, & in vafis per Damafum ære cælatis, non fecus ac in marmoreis Chriftianorum tumulis. In quodam Libro Romæ ann. 1654. impreffo, infcriptoque: *Infcriptions anciennes de l' Eglife de S. Paul.* habentur 82. & amplius confulatus: Donationes pariter notabantur. Baronius reprehendit Anaftafium Bibliothecarium, quod loquens de Gregorio IV. Papa ann. 843. minuta plura nulliufque fere momenti referat, veluti pallas, veftiaria, Altaris ornamenta, aliaque hujufcemodi ab eo variis Urbis Ecclefiis dono data; cum interim ad ann. 847. omittat, quæ in Vita Sergii II. Papæ graviffima contigerunt. Eodem modo fe geffit ad ann. 869. ratione VIII. Concilii OEcumenici, in quo Photius Patriarcha Conftantinopolitanus damnatus fuit, & ab hac fede dejectus tam infandis turpibufque de caufis, ut illius Concilii Patres, referente Niceta ejufdem ætatis Auctore, *non atramento, fed rubramento fubfcriptionem fuam actis Synodalibus appofitam expreſſerint*. Sed Nicetas idem teftatur, Anaftafium, qui hujus Concilii a Secretis erat, fuiffe Photio amicitia conjunctum. Obfervat P. Pagius, cognofci certo non poffe dies vel menfes, quibus primi Pontifices ufque ad Alexandrum I. S. Sedem occupaverint; fiquidem, excepto S. Petro, neque dies certo cognofcitur, quo decefferint. Quo ignorato, neceffe eft ignorari etiam tempus, quo eorum quifque Pontificatum ceperit. Conftat quidem inter Auctores, S. Clementem IX. Kal. Decembris paffum fuiffe; fed, cum ante Pontificatum abdicaffet, nihil ejus morte antiquorum Pontificum Chronologia illuftratur. Nihilo certior eft dies Ordinationis & mortis eorum, qui Alexandrum exceperunt; fiquidem incertum eft tempus, quod ab unius morte ufque ad alterius electionem interfluxit. Verum quidem eft, id notari tum in Libro Pontificali, tum in antiquorum Pontificum Chronico. Sed duorum horum Librorum Auctores inter fe non conveniunt, neque vacationis tempus fatis certis monumentis tuentur: Liber enim Pontificalis inquit, S. Sedem poft Alexandri martyrium 25. dies vacaffe: Chronici vero Auctor dies 37. quemnam horum errare dicemus? Omnino ve-

Conc. Labbè tom. 10. col. 9.

Ibid. col. 47.

Ad ann. 878.

Critic. in ann. Baron. tom. 1.

no verisimile est, utrumque ignorasse tempus, quod inter antecessoris mortem successorisque electionem interfluxit.

Neque vero Notis, quas Crabbe dedit, tollitur sententiarum varietas, quæ apud Auctores de Pontificum annis passim offenditur. Surius in hoc præcedentium Collectorum vestigiis institit. Labbæus videtur Binio inhærere, neque argumentum hoc magnopere illustravit. Harduinus tantum absfuit, ut Pontificalem Librum distraheret, ut imo integrum continuumque attulerit, non multis adjectis observationibus. Sed, omissa tandem quæstione, utrum scilicet intersit, Pontificum Vitas Conciliorum Collectionibus inserere, illud ultimo loco utilius esse contendam, si in fronte Conciliorum Collectionis præmittatur Dissertatio de die, & anno, quo quilibet Pontificatus & inceperit, & desiit, ut ordo Actorum rerumque, quæ continentur, clarius nitidiusque Lectorum oculis subjiciatur; appositis interim cujusque paginæ Conciliorum initio Papæ Imperatorisque nominibus, additoque Concilii anno. Quod si aliquando alicujus Pontificatus epocha, vel ætas firmari certo non potest, tum afferendæ sunt probabiliores conjecturæ, vel Auctorum opiniones, ubi inter se dissident, & aliæ aliis videntur esse firmiores.

Canones, seu Decreta Pontificum. Canones etiam Pontificibus attribui Conciliorum Collectiones ingrediuntur. Crabbe omnium primus horum Decretorum permulta extraxit ex Gratiano, Ivone, aliisque Juris Canonici Collectoribus, *cuisi vel pro Conciliorum aut Decretalium Epistolarum Pontificum suppletione*: idem tamen non expendit, utrum huic, vel illi Papæ jure meriteque tribuantur; id enim, ut ait, nimis longum & laboriosum esset. At si hæc Decreta nullius Papæ, nullius Concilii sunt, supplementum hoc erit admodum imperfectum. Nicolinus contendit, *se plura Decreta ex Decreto Gratiani vel Decretalibus vel omnino addidisse quæ aberant, vel suis restituisse auctoribus, quæ alienis fuerant attributa*. Binius Decreta hæc intacta edidit, *nullasque notas his addendas esse putavit; tum quod hoc muneris docte satis & copiose præstitum fuerit ab iis, qui jussu Gregorii XIII. Decretum Gratiani recognoverunt notisque illustrarunt: tum etiam quod eorumdem plurima Epistolis Decretalibus explicata habentur*.

Labbæus Nicolini opibus rem suam auxisse videtur. Numerum enim Conciliorum & Canonum magnopere amplificavit; in quod & Harduinus operam suam contulit. Optandum esset, ut Decreta omnia, quæ certi alicujus Papæ esse feruntur, quæque in Collectionibus post epistolas Pontificum continentur, ad Criticorum trutinam revocata fuissent. Pater quidem Constant se id præstiturum pollicitus fuerat in nova Epistolarum Pontificum editione, quæ contineret *censuram Decretorum, quæ Pontificis nomine circumferuntur; singula vel auctoribus suis, vel suæ saltem ætati ut plurimum restitueret; adderet quoque censuræ rationes*. Idque etiam præstitit in primo volumine, cui finem imposuit S. Sixtus III. sed, si ad examen Decreta hæc redigas, facile perspicias, ut ait Antonius Augustinus, *ea nulla publica fuisse collecta auctoritate, sed ex Yvonis Panormia, ex Gratiano, & aliis incerti nominis libris privato consilio Collectorem posuisse ut lectores juvaret; ne quid desideraretur, quod alicubi illius Concilii vel Pontificis nomine scriptum esse appareret*. *Lib. 1. de emend. Gratian. Dial. 13.* Et sane, quamnam habere possunt auctoritatem isthæc Decretorum volumina, quæ in Coloniensi sequentibusque editionibus appellantur *quinque & sexdecim librorum*? Licet etiam hæc essent Burchardi, Yvonis, aliorumve fragmenta, num idcirco plus auctoritatis haberent, quam Gratianus, aliique Collectores, qui tot Decreta & Canones congesserunt, nullo fere ex proprio fonte deductos? Verum est, horum fragmentorum permulta in Burchardo reperiri; quin etiam numeri ipsi, qui Operis *sexdecim librorum* inscripti varios articulos constituunt, optime cum numeris Burchardi conveniunt. Antonius Augustinus plura hujusce rei exempla dat ad finem Dialogi 13. jam citati.

Tractatus peculiares. Collectores in suam quisque Conciliorum Collectionem peculiares quosdam Tractatus pro cujusque proposito intulerunt. Merlinus cum Isidori Collectionem sibi repræsentandam proposuisset, initio statim hujus Auctoris præfationem dedit. Antonius Augustinus in epistola ad Surium observat, Prologum Isidori, qui duplex est, necessarium esse in Conciliorum Collectione, cumque in antiquis omnibus contineri; ejus partem afferri ab Yvone Carnotensi, & Gratiano; collatis inter se Prologis, tum qui in Mss. Ecclesiæ Toletanæ, & in Mss. Regis Hispani sub Isidori nomine habetur, tum qui in recentibus Conciliorum Collectionibus excusus est, nullam amplius dubitationem relinqui, quin inter se valde differant, cum secum ipsis pugnantia contineant: ex. gr. in Canonibus Apostolorum, quos unus omni veneratione dignos, alter vero apocryphos & ab Hæreticis corruptos censet; Prologum antiquum, qui manuscriptus est, viginti tantum Canones Nicæno Concilio tribuere; in impresso aliquid ad finem additum; in antiquo nullum fieri mentionem de Constitutionibus primorum Pontificum Clementis, Anacleti, aliorumque, de quibus sermo est in impresso. *Prologus Isidori.* Putat etiam, ex duabus Conciliorum & Epistolarum Pontificum Collectionibus, quæ antiquitus habebantur, alteram neque Canones Apostolorum continere, neque Epistolas Pontificum, qui Damasum antecesserunt, neque Canones Nicænos, de quibus fit mentio in Epistola Julii ad Episcopos Orientales; quæ omnia Opuscula in altera continentur. Merlinus ante Pontificum Conciliorumque Decreta epitomen dat Regularum Ecclesiasticarum, quæ a S. Petro statutæ, & ab Isidoro Codicis instar collectæ fuerunt. Idem, allato Isidori Prologo, observat, quo tempore inceperint celebrari Concilia, Conciliorumque Generalium & Particularium compendium exhibet. Dat item integras Aurelii ad Damasum, Damasique ad Aurelium Epistolas. Antonius Augustinus *censet, non esse omittendas duas hasce Epistolas, quando ita reperiantur in Isidori Mercatoris Collectione, præsertim cum iis mentio fieri videatur alicujus antiquæ Collectionis Conciliorum & Epistolarum Pontificiarum*.

Tractatus de Primatu Papæ. Crabbe omnium primus in Conciliorum Collectione Tractatum dedit *de Primatu Papæ*. Quod quidem omittere potuisset, aut saltem, quæ Vendelini sunt, sejungere debuisset, incipiens a verbis istis: *sufficerent ista quidem* &c. Primus iisdem inseruit Tractatum S. Basilii Episcopi Cæsariensis in Cappadocia adversus Eunomium, Interim Caroli V. & Orationem Bessarionis in Concilio Florentino.

Secunda Crabbe editio, restituto Tractatu de Origine Conciliorum Generalium & Particularium, quem in præcedenti omiserat, licet eundem Merlinus suæ Collectionis initio dedisset, addit Epitomen Constitutionum Apostolicarum, quæ non multo post repertæ fuerant in Creta insula; Opusculum appellatum Tripartitum, h. e. in tres partes divisum, in quo agitur de Saracenis, de Schismate Græcorum, de abusibus, qui in Ecclesia Latina sunt; Tractatum, quo decem continentur theologiæ rationes, quæ probant, Prælatum manifeste fornicationis reum nullo modo ferendum esse; Opusculum Joannis Patriarchæ Antiocheni de potestate Concilii supra Pontificem, & Synodicas plurium Episcoporum Constitutiones.

Consilium Cardinalium ann. 1538. *Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente conscriptum & exhibitum*, quod est in editione Conciliorum a Crabbe facta, ann. 1551. Romæ excusum fuerat apud Antonium Bladi ann. 1538. in 4. Cardinales isti, aliique summi viri a Paulo III. reformandæ Ecclesiæ destinati erant Caspar Contarenus, Joannes Petrus Theatinus, Jacobus Sadoleus, Federicus Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Brundusii Archiepiscopus, Joannes Matthæus Episcopus Veronensis, Gregorius S. Gregorii Abbas, & Thomas Badia sacri Palatii Magister. Heretici, viso hoc scripto, victoriam cecinerunt. Supponit illud quidem, & probat, quasdam esse in Ecclesia Romana consuetudines reformandas: in hoc Catholici semper omnes convenerunt, & a Concilio Constantiensi enixe, impensius etiam a Basileensi reformationem hanc efflagitarunt. Eam Paulus III. vehe-

nienter tum exoptavit, cum consuluit, utrum Concilium Tridentinum cogendum esset. Laudatus Pontifex in id sedulo incubuit: habitum Concilium est; in quo tamen neque fides Catholica petita est, neque dogma unitatis Ecclesiæ, neque auctoritas Papæ, cui obedientia debetur. Atque hos Articulos cum præcipue impeterent Novatores, & dextrui vellent sæculo XVI. illico Concilium hoc Argentinæ typis ediderunt ann. 1538. in 4. una cum Epistola Sturmii ad Cardinalem Contarenum conviciis, dicteriisque refertissima. VVilhelmus Crashuv Anglus in sua hujus Concilii editione conqueritur, id fuisse *injuste suppressum*. Sed quænam hac querela iniquior? Extabat enim in editione Crabbe ann. 1551. quod si ex posterioribus Conciliorum editionibus sublatum fuit, id eo factum est, quod hujusmodi Concilia neque vim legis habent, neque digna sunt, quæ Conciliorum Actis inferantur. Inanis est igitur omnis Hæreticorum triumphus. Possevinus tamen, *incommode eos fecisse* dicit, *qui ex editione Veneta ann.* 1585. *sustulerunt aliquot Opuscula, inter quæ erat reformatio quædam tempore Pauli III. Pontif. max. quæ in alia editione fuerat, quæque alibi non reperiuntur. Valent enim ad veritatem & ingenuitatem S. Apostolicæ Sedis indicandam; & ad rationem, remediaque cadenti disciplinæ Ecclesiasticæ adhibenda.* Sed Conciliorum Collectiones prope in infinitum excrescerent, si Opuscula omnia, quæ alicujus utilitatis sunt, in eas congerantur.

Appar. Sacr. p. 375.

Opuscula, quæ in Surii Collectione continentur.

Surius omnium primus suæ Collectionis initio dedit excerpta ex epistola Photii Patriarchæ Constantinopolitani ad Michaelem Bulgariæ Regem de septem Conciliis OEcumenicis; octo Libros Constitutionum Apostolicarum cum Præfatione & Scholiis Joannis Caroli Bovii; Afrorum opiniones tempore S. Cypriani, sed allato earumdem remedio, quod ex quibusdam S. Hieronymi, & Vincentii Lerinensis locis desumit; præterea Sermonem a Patribus Concilii *in Trullo* ad Imperat. Justinianum habitum.

In Veneta.

Nicolinus dedit Constitutiones Apostolicas juxta Turriani editionem. Loco Scholiorum & observationum, quas ad recentiores hæreticos confutandos Jesuita confecerat, attulit tantum Notas, quibus obscuriores locos illustrat. Habetur item in ejus Collectione Apologia Symmachi Papæ, qua respondet libello contra ipsum ab Imperat. Anastasio edito, Epistola Justiniani ad Joannem II. Papam, ubi fidem suam profitetur de Trinitate & Incarnatione, perfidiamque arguit Nestorii hæresum; tandem Responsum Nicolai I. ad Bulgarorum consultationes.

In 1. Binii.

Binius in sua Conciliorum Collectione attulit Opusculum inscriptum: *Exhortatio ad Principem; alias Via Regia*, quod est in Collectione Garsiæ Loaisæ.

In Collectione Romana.

Collectio Romana in Concilio Ephesino, præter illustriorum Episcoporum epistolas, addit quinque Libros S. Cyrilli adversus Nestorium, duas ejusdem Patris Epistolas ad Successum, & Epistolam Procli Patriarchæ Constantinopolitani ad Armenos, ob argumenti similitudinem adjunctam.

In 2. Binii.

Editio Binii ann. 1618. affert Dionysii Exigui Præfationem ad primam Canonum Collectionem, & Acta Colloquii Carthaginiensis ex editione Papirii Masson, & Pithou. Græcum plurium Conciliorum ubique simile est græco, quod habemus in editione Romana.

In 3. Binii.

Ejusdem editio ann. 1636. emendatior quidem est, sed nihil novi affert.

In Collectione Regia.

Editio Regia continet disputationem Maximi cum Pyrrho Monothelita græce & latine, Librum Apologeticum Eunodii pro quarta Synodo Romana ann. 502. & Constitutionem Vigilii ampliorem, quam in præcedentibus editionibus.

In Collectione PP. Labbæi & Cossartii.

Labbæus addit secundam Dionysii Exigui Præfationem ad Collectionem Decretorum Pontificum, primam S. Clementis Epistolam ad Corinthios, quæ impressa fuerat Oxonii cum Præfatione & Notis Patricii le Jon; partem epistolæ secundæ; Tractatum contra Rebaptizantes, quem Sirmondus eduxerat ex Ms. Rhemensi, Nicolaus vero Rigaltius ediderat cum Notis inter S. Cypriani Notas; tres Libros Ferdinandi de Mendoza, quibus a Papa Clemente VIII. Concilii Illiberitani confirmationem exposuit cum epistola ad Philippum II. plura Opuscula in Proditores, h. e. in eos, qui ignavia & socordia Ethnicis Sacros Libros tradebant; Dissertationes aliquot Sirmondi, de Marca, & Petavii; Epistolam Trifolii; Fragmenta Seldeni; Notas Binii, Labbæi, Cossartii, & Sirmondi, tum antiquas, tum posthumas; Notas Holstenii & Albaspinæi; Græcum plurium Opusculorum, quæ in præcedentibus Collectionibus latine tantum habebantur; Professionem fidei, & Anathemata contra plures hæreses educta ex epistola, quam Damasus ad Paulinum Antiochenum scripsit; Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ; plures Epistolas & edicta Imperatorum græce & latine, veluti Honorii, Arcadii, Theodosii, Constantii & Volusiani; Epistolam Aurelii Episcopi Carthaginiensis; Instructionem Marii Mercatoris; retractationem Leporii, Epistolas S. Athanasii, S. Basilii; S. Gregorii Nysseni, Timothei, Theophyli Alexandrini; ejus Admonitionem; tria Opuscula S. Cyrilli; Epistolam Leontii Episcopi Arelatensis ad Hilarium Papam; Decreta Hunnerici, & Professionem fidei Eugenii Episcopi Carthaginiensis; Tractatum contra Elurum & Moggum, Epistolam Ruricii; aliam Sedati; Professionem fidei Cælii Joannis Ecclesiæ Rom. Diaconi; Legem Theodorici; Capitula S. Augustini Romam missa, quæque sunt in Ms. S. Maximini Trevirensis; Tractatum Garsiæ Loaisæ de Ecclesiæ Toletanæ in universa Hispania Primatu; Dissertationem Balurii de *Egara* antiqua urbe Episcopali; narrationem eorum, quæ Rom. Legati egerant Constantinopoli; Epistolam Anastasii ad Joannem Diaconum pro Honorio; Epistolam Regis Dagoberti ad Sulpicium, & Sigiberti ad Didierium Episcopum Cadurci; Institutionem Cænobii Corbiensis ann. circiter 670. Adeodati Papæ tempore; Formulas Marculphi; Admonitionem Agathonis Diaconi, & Chartarum Custodis in Ecclesia Constantinopolitana, quæ ad finem extat Actorum Concilii 6. generalis; Epistolam Joannis Archiepiscopi Constantinopolitani ad Constantinum Papam, Privilegia Abbati Fulrado concessa a Papa Stephano II. Expeditionem Caroli Magni Regis in Italiam, ejus Itinera varia, Consecrationem, & quasdam epistolas; Confessionem Fidei Felicis ex Orgelio; Epistolam Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani ad Leonem III. ex interpretatione Patris Peltani, & quosdam ejusdem Patriarchæ Canones; Capitulare Hattonis Episcopi Basileensis; Apologiam Ebbonis; Dissertationem Binii, in qua quærit, utrum fœmina Rom. Sedem occupaverit, & Opus Labbæi inscriptum *Cenotaphium* ad eandem Papissam pertinens; Privilegia Cænobio S. Dionysii concessa; Epistolam Anastasii Bibliothecarii ad Adonem de morte Nicolai I. scriptum Serrati Lupi ad hunc Papam de Herimano Episcopo Nivernensi; 24. Capitula Vauterii Episcopi Aurelianensis cum Notis P. Celot; monumenta Concilii Aquisgranensis ann. 862. confirmationem Privilegiorum, S. Martini Turonensis Cænobio concessorum; Opuscula Hincmari, plures ejusdem epistolas; Opuscula Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntini; exempla antiquarum Epistolarum Canonicarum formatarum; Institutionem Odonis Episcopi Bellovacensis; Privilegia Abbatiæ de Charlien; Opuscula, quæ res afficiunt Canonicorum S. Vincentii a Matycone, & Monachorum Abbatiæ S. Eugendi, (hodie dicitur Fanum S. Claudii in Comitatu Burgundiæ) Erectionem in Metropolim Ecclesiæ Magdeburgensis in Concilio Ravennatensi ann. 967. seu potius confirmationem eorum, quæ Romæ ad hunc finem acta fuerant ann. 962. Epistolam Pilegrim Archiepiscopi Coloniensis ad Benedictum VII. abdicationem Arnoldi, & Gerberti electionem, & nonnullas hac occasione scriptas epistolas; Epistolam, quam VVilhelmus S. Benigni Divionensis Abbas scripsit adversus Græcos ad Papam Joannem XVIII. ac plura alia opuscula, quorum nimis longa esset enumeratio.

Constitutiones peculiares Episcoporum.

Viri docti illustrium Episcoporum Constitutiones putaverunt edendas esse in tomis Conciliorum; horum exemplo & auctoritate Balutius ait, *se statuta Guidonis Falcodii Narbonensis Archiepiscopi edidisse inter Concilia Galliæ Narbonensis*. Præterea fuere Episcopi ita doctrina & virtute præstantes,

res, ut eorumdem operum collectio in magnam Ecclesiæ utilitatem cedat. Hinc Labbæus & Cossartius plura in editiones suas contulerunt: plura Martene contulit in volumen quartum suorum Anecdotorum.

Quinam fieri debeat Observationum Collectarum usus.

Quidam Collectores sunt, qui Conciliorum Actis eas addiderunt observationes, quæ sibi necessariæ visæ sunt. Cum omnes omnino in Conciliorum Collectionem inferre, immensi prope operis negotiique esset, Possevinus *eas tantum admitti* vellet, *quæ firmiorem habent auctoritatem*; quoad reliquas vero, *Lectorem remitti* ad opera ipsa, veluti ad Librum *Alphonsi Pisani de Canonibus & Dyatiposibus Concilii Niceni*; *quæque Peltanus de Concilii Ephesini Actis ubere traditione contexuit, breviorem in narrationem redigi*. Idem etiam auctor suasorque est, ut *singulo Concilio, si quid ab Hæreticis vel Schismaticis objectum fuit, ut minutis distinctum characteribus quam brevissime refutetur, aut, ubi refutatum est, indicetur. Operæ quoque pretium esset*, inquit ille, *OEcumenicis Conciliis brevem Præfationem præponere: qua nempe rerum ejus sæculi status, occasio & causæ celebrati cujusque Concilii in oculos incurrerent. Locorum sive civitatum nomina, situs, sive positio, Provincia quoque in qua singula Concilia celebrata sunt, unicuique Concilio præponantur. Orationes habita in Synodis non videt cur ponendæ sint. Sed hæc & reliqua acta ad tomum alium rejiciantur*. Tandem *si quis esset, cui Canones aliquos olim colligenti non esset præstanda omnis fides, paucis id exponi posset, quemadmodum de Isidori Collectione Canonum, a quibus propterea Nicolaus Papa visus est consulto abstinuisse*. Hæc usque Possevinus.

ARTICULUS II.

De Conciliorum Collectionis forma.

ANtequam definiatur, quænam esse debeat Collectionum Conciliorum forma, ea est examinanda, quam hactenus habuere. Generatim igitur consideranda sunt, tum methodus, quam Collectores observarunt; tum ordo, quo Acta quæque, & Opuscula nobis dederunt.

I.

De generali Collectorum Conciliorum methodo.

PRimæ Collectiones, quæ duobus, aut ad summum tribus tomis absolvuntur, pauca admodum Concilia continent, pauciora etiam opuscula & monumenta, quam sequentibus Collectionibus comprehendantur.

Methodus Merlini.

Merlinus simplicem omnino Collectioni suæ formam indidit. Ejus enim mens erat, ut afferret, *quæcumque acta tam Conciliorum, quam Pontificum ex Græcorum & Latinorum promptuariis in unum recollegit volumen Isidorus Hispalensis*. Id præstat tomo primo, qui comprehendit quatuor priora Concilia generalia, 47. Concilia Provincialia, & Decreta sexaginta novem Pontificum post S. Petrum usque ad Zachariam I. Tomus secundus continet quintum & sextum generale, Concilium Constantiense, & Decreta Basileensis, una cum Bulla Nicolai V. qua probantur. Ait, afferre se Concilia præsertim generalia *cum plerisque actis Synodalibus*. Latinam tantum dat versionem Actorum sex priorum Conciliorum generalium, & sex Provincialium apud Græcos habitorum, sc. Ancyrani, Neocæsarensis, Gangrensis, Sardicensis, Antiocheni, & Laodiceni. Cujusque paginæ initio legitur nomen Concilii vel Pontificis, cujus habentur monumenta, Epistolæ, vel Decreta quædam.

Methodus Crabbe.

Crabbe non solum auxit numerum Decretorum Pontificum, & Conciliorum, sed adjunxit etiam versiones, Notas, & lectiones: hinc ejus Collectio diversam a prima formam induit. Canones Apostolorum, qui græce sunt, Concilia Ancyranum, Neocæsareense, Gangrense, Antiochenum, Sardicense, Laodicenum, & Constantinopolitanum cum duabus diversis versionibus hic habentur. Notæ ad marginem positæ non solum indicant Sacræ Scripturæ loca in Canonibus citata, sed etiam Decreta Conciliorum, & Pontificum, ea præsertim, quæ allata sunt ab Yvone, Gratiano, aliisque Canonum Collectoribus. Cujusque paginæ, opusculi, & Concilii initio habetur nomen Papæ, cujus tempore adduci possunt. Præter lectiones ex variis deductas exemplaribus & in margine collocatas, aliæ præterea Textui inseruntur parenthesi clausæ. Crabbe notas confecit, quibus diversas Auctorum de Pontificum annis opiniones inter se componere nititur: inter cæteras affert opiniones Mariani Scoti, Gregorii Haloandri, & Cassiodori de Consulum annis. Ex Ecclesiasticis Eusebii & Theodoreti Historiis multa adducit ad Conciliorum Historiam illustrandam.

Secundam Crabbe editionem novæ lectiones exornant: præterea duas qualibet pagina columnas erexit, suasque adnotationes minutiore charactere distinxit.

Methodus Joverii.

Joverius hoc proprii habet, quod in tres classes distribuit Concilia Generalia, Particularia, & Decreta Pontificum, *quæ omnia fuere hactenus permixta*.

Methodus Surii.

Quamvis Surius secundam Crabbe editionem secutus esse videatur, tamen in conficienda Pontificum Historia notat annos Christi juxta communiorem sententiam, innititur magnopere Ecclesiastica Nicephori Calixti Historia, nihil attulit ex Mariano Scoto, neque ex Haloandro, neque ex Tripartita Cassiodori Historia; novas easque gravissimas notas in margine adjunxit, quas antiquis aliquando substituit: ex. gr. in Concilio Basileensi; & adduxit varias lectiones secundi Canonis Concilii Arausicani, & Acta Liberii Papæ.

Methodus Collectionis Venetæ.

Methodus Collectionis Conciliorum Nicolini eadem est, ac quam observavimus in Collectionibus Crabbe & Surii. Collector Onuphrium sequitur quoad Chronologiam Conciliorum, & dat Pontificum Vitas, quæ a præcedentibus editionibus aberant. Ex notis aliæ explicant diversas Auctorum sententias de variis Critices argumentis, & verborum sensum; aliæ ad mores pertinent.

Methodus Binii.

Collectio Binii, non secus ac Surii, in quatuor tomos distributa, paginarum initio indicat, quid quæque continet, sive epistolam, sive Concilium: initio cujusque Concilii, habentur tituli vel compendia Canonum, & nomina tum Pontificum, sub quibus habita, vel a quibus approbata fuerunt, tum Episcoporum, qui Conciliis interfuerunt. Ante unumquemque Canonem habetur argumentum & summarium italicis litteris; *Notæ*, quæ Textum comitantur, obscuriora nonnihil illustrant. Explent etiam deficientia Acta Conciliorum, quorum Editor non potuit afferre nisi nomina, aut pauca admodum adjuncta, quibus etiam suas addidit observationes. Loci, qui citantur, sunt charactere Romano.

Methodus Collectionis Conciliorum Romanæ.

Editio Conciliorum Generalium ann. 1608. Romæ impressa, ita est distributa, ut Concilii Historia ejusdem Actis semper antecedat. In hac explicantur causæ; propter quas coactum fuerit, tum tempus, & locus, quo fuerit celebratum; præterea scis, quinam interfuerint, & quidnam in eo actum sit. Duæ quacumque paginæ columnæ sunt, quarum una Græcum (ubi opuscula græca sunt) altera latinam versionem sustinet. Pleraque opuscula, quæ Græce nondum data fuerant, hic prodeunt recognita ad Græca latinaque Mss. Præter variantes ad marginem positas, habentur Italicis litteris Notæ, quarum aliæ citata S. Scripturæ loca indicant, aliæ tuentur sententias Episcoporum, qui in Conciliis verba fecerunt, aliæ infirma adversariorum argumenta convellunt.

Methodus secundæ editionis Binii.

Collectio Binii ann. 1618. similis omnino est Collectioni ann. 1606. In hac addidit opuscula omnia, quæ græce latineque habentur in Romana, cum Notis omnibus. Concilia vero Particularia, quæ non græce extant in Rom. editione, veluti Ancyranum, Neocæsarense, Laodicenum, & Gangrense, dedit juxta editionem Græcam Joannis du-Tillet Episcopi Meldensis. Concilium Antiochenum sub Julio Papa, secundum & tertium Carthaginiense hic habentur juxta editionem Parisiis confectam.

Ter-

Methodus tertia Binii. Tertiam editionem Parisiensem non commemoro; est enim eadem atque secunda Coloniensis, teste Labbæo. Eandem etiam Chronologiam sequutus ubique est.

Methodus Editionis Regiæ. Editor Collectionis Regiæ Conciliorum ad cujusque paginæ marginem, & ad cujusque Opusculi initium dedit annos Christi, ad quos refertur. Ad Græcum una tantum sedet versio. Si quæ sunt aliæ, eæ cum Binii notis collocatæ sunt. *Perpetua per universum opus excurrit Chronographia cum serie Pontificum, & Imperatorum. Singulis Pontificum Epistolis singula argumenta & tituli præfixa sunt.* Interius in margine habentur variæ lectiones, quas Garsias Loaisa in suis Hispaniæ Conciliis dederat, a Binio aliisque Collectoribus prætermissas.

Methodus Collectionis Labbæi. Collectio Labbæi omnia in se commoda conjunctim continet, quæ in aliis sejuncta reperiuntur. In hac enim habentur Opuscula eadem sub duabus columnis collocata. Columnam internam Græcum occupat, externam Latinum. Habentur cujusque paginæ initio Jesu-Christi: ad frontem titulus Epistolæ, vel Concilii, ad latera Pontificis, & Imperatoris nomina. Notæ in margine, vel quæ sequuntur Opuscula, sunt minutiore charactere. Hæ referuntur ad locos alphabeti litteris notatos. Quodlibet Capitulum, vel Articulus suum titulum habet italicis litteris. Citationes Scripturæ, Patrum, vel Canonum ad marginem jacent; variæ lectiones nota aliqua signantur. Criticæ etiam observationes habentur in insigniora quædam facta, sive in propositiones dignissimas, quæ observentur & memoria retineantur.

I. I.

De mutationibus in Collectionibus factis, quoad Ordinem Opusculorum.

IN collocandis Opusculis, quibus Conciliorum Collectiones constant, non eum semper ordinem subsequuti Collectores tenuerunt, quem præcedentes tenuerant. Cum mutationes, quæcumque acciderunt, singillatim omnes recensere prope immensum sit, satis erit adnotare præcipuas insigniores que, easque primum, quæ respiciunt Decreta Cornelio Papæ tributa, ejus Epistolas, Epistolas S. Cypriani, Romanique Cleri ad hunc Sanctissimum Episcopum.

Merlinus in Collectionem suam duas tantum intulit Cornelii Papæ Epistolas Decretales, prout eæ extant in Isidori Collectione. Sed eædem fictitiæ sunt, falsoque huic Papæ attributæ. Harum prima est de translatione Corporum SS. Petri & Pauli, & de nonnullis Hæreticis. Altera ad Episcopum Orientalem conscripta eo spectat, ut probet, Presbyteros neque jurare, neque ad jurandum compelli debere.

Primus Collector nihil ex S. Cypriano affert; sed Crabbe dat Cleri Romani ad memoratum Doctorem epistolam, eamque collocat ante Decreta Cornelii Papæ, atque inde ostendit, Romanam Cathedram vacasse sex & amplius dies; quod est contra id, quod aperte dicit Auctor Pontificalis, *& cessavit Episcopatus dies sex*. Sed ex D. Cypriani epistola, quæ est decima sexta juxta Pamelii editionem, habemus, Rom. Ecclesiam duodecim, vel etiam sexdecim, & amplius menses sine capite fuisse. Cornelii Decreta in Crabbe editione excipiunt quatuordecim Epistolæ D. Cypriani ad Cornelium Papam, aliosque, quæ tamen non omnes hujus Pontificatus tempus afficiunt. Tandem, hoc Pontifice, affert Concilium Carthaginiense, ab Ecclesia Catholica improbatum & rejectum, quod absurdam de baptismate Hæreticorum sententiam pronunciaverit.

Surius, mutato ordine, quo præcedentes Collectores D. Cypriani Epistolas collocaverant, in hoc aliisque non paucis sequutus est doctissimum Pamelium Canonicum Burgensem, adeo ut decem priores Epistolæ a Surio allatæ sint in Crabbe 9. 8. 7. 14. 10. 6. 3. 1. 2. 11. h. e. nona Crabbe sit prima Surii, atque ita deinceps.

Ubi Surius post epistolam S. Cypriani affert epistolam Cleri Rom. ad eundem Episcopum, quæ ejus de Lapsis sententiam confirmat quæque sola, vacante Sede, affertur; Binius alias interjicit, veluti epistolam Cleri Romani de S. Cypriani secessu, item aliam ejusdem Episcopi de eodem secessu suo; ejusdem præterea duas, de Schismate Luciani, & de Lapsis, qui falso contendebant, pacem sibi dandam esse ex S. Pauli Martyris præscripto; item duas Cleri Romani, ad S. Cypriani de Lapsis sententiam confirmandam. Binius non dat, nisi Epistolam Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum. Surius vero etiam quæ Eusebius habet de hoc Episcopo, cui plus æquo Novatianus favebat, Decretisque Cornelii addidit suppostitiam hujus Papæ Epistolam ad Lupicinum Episcopum Viennensem. Binius Surii ordinem sequitur, quoad octo priores Epistolas D. Cypriani, & nono loco dat Epistolam ad Antonianum, in qua luculentum S. Cornelii elogium conficit. Affert, Pontifice Stephano, epistolam ad Fidum de Baptismate, quod pueris denegari non poterat, licet octavum vitæ diem nondum attigissent; præterea Epistolam ad Clerum Populumque Furnarum de injecta prohibitione, ne quis Ecclesiasticus cujuspiam Tutor Curatorve nominaretur. Duæ item novæ sub eodem Pontificatu habentur epistolæ; tum quæ ad Rogatianum conscripta est de superbo quodam Diacono (hæc vero in Surio desideratur) tum epistola Concilii 28. Episcoporum, S. Cypriano præside, quo statutum est, Basilidem & Martialem non esse in numero Episcoporum habendos, neque cum iis communicandum. Post aliquot in Concilium Iconiense notas, affert epistolam a Firmiliano ad S. Cyprianum conscriptam adversus Epistolam Stephani Papæ; deinde Epistolam Synodicam primi Concilii ad hoc coacti, ut responderet Januario, aliisque Numidiæ Episcopis, quærentibus, utrum essent rebaptizandi Hæretici, ut apud ipsos mos erat, præterea epistolam S. Cypriani ad Stephanum Papam de secundo Concilio, a quo, non secus atque a primo definitum fuerat, eos esse rebaptizandos; tandem epistolam ejusdem ad Episcopum Pompejum, contra ejusdem Papæ responsionem.

Harum Epistolarum ordo idem est apud Labbæum, ac apud Binium. Secunda S. Cypriani Epistola ad Papam Lucium, quæ incipit *Exultantibus nobis ac lætantibus*, quæque in duabus Crabbe editionibus extat, prætermissa fuit a Surio & Labbæo, & a Collectoribus mediis inter Surium & Labbæum. Licet hic Collectorum errores detegendi non sint, hujus tamen occasione epistolæ animadvertam, errorem Subesse titulo a Crabbe apposito, *Ad eundem & ad alios cum illo existentes ejusdem epistola secunda*, cum sententia videatur requirere, *Ad eundem Cypriani & aliorum cum illo existentium Epistola*; sic enim epistola incipit: *Cyprianus fratri & collegæ Lucio, & qui cum eo sunt fratres omnes in Deo salutem. Exultantibus nobis & lætantibus, &c.* Hæc per transennam observandum est, Binio duas hoc loco adduxisse fere similes epistolas in cujusdam Papæ mortem: qui utrum Fabianus, an Cornelius, an Lucius esset, cum Crabbe ignoraret, harum Epistolarum unam iis, quæ sunt ad Lucium conscriptæ, annumeravit. Hanc Surius affert post Fabiani mortem ante Cornelium, quemadmodum & Binius, reliquique post Binium Collectores.

I. I. I.

De Collectionum differentia, quoad Concilia Generalia.

CUM maxime arduum, ac pœne ἀδύνατον sit, discrimina omnia indicare, quæ inter multiplices Collectiones intercedunt; satis erit id observare quoad præcipua monumenta, quibus constant, h. e. quoad Concilia Generalia perspectis iis, quæ ab unoquoque Collectore afferuntur, perspiciemus etiam viam rationemque, qua tam multa adhuc latentia extulerunt; tum opuscula, quæ tanquam necessaria attulerunt, quæque vel omiserunt, vel amputarunt; præterea ordinem, quo collocata sunt; quo demum pacto coaluit crevitque totum hoc historiæ corpus, cujus luce ac splendore tantopere Concilia illustrantur.

Pri-

De primo Concilio generali.

Primum Opusculum, quod Merlinus ad Concilium Nicænum affert, est Præfatio ita incipiens: *Beatissimo Sylvestro in Urbe Roma Apostolicæ Sedis Antistite, Constantino Augusto & Licinio Cæsare* &c. Ea breviter continet, quæ ad hoc Concilium spectant; tum tempus, quo habitum fuit; prætérea promissa, quæ Christus Dominus Ecclesiæ suæ, Sedique Romanæ fecit; reliqua sunt excerpta ex decimo Rufini libro, hoc est, ex primo duorum Librorum Historiæ Ecclesiasticæ, quos Aquilejensis Presbyter translatis Eusebii Libris adjunxit. Crebbe, qui Præfationem hanc in prima Editione pariter dedit, eam iisdem fere verbis attulit, addiditque tantum quasdam lineas ex eodem Rufini Libro deductas.

Præfatio isthæc longe amplior est in secunda Crabbe Collectione, ubi inter cætera habetur elogium Paphnutii & Serapionis, ex eodem Rufini Libro extractum. Collectio hæc continet Opuscula plura, quam Merlini Collectio, scilicet secundum procemium in Concilium Nicænum, fragmentum Historiæ Tripartitæ Cassiodori ad ea pertinens, quæ in eo Conventu tractata sunt. Epistolam Alexandri Episcopi Alexandrini ad omnes Episcopos ex Socrate ductam, aliam ejusdem ad Alexandrum Constantinopolitanum deductam ex Tripartita Cassiodori Historia, & ex Ecclesiastica Historia Theodoreti, Epistolam Arii ad Eusebium Nicomediensem ab iisdem Auctoribus sumptam, aliam Eusebii Nicomediensis ad Paulinum, aliam Constantini ad Alexandrum Alexandrinum & ad Arium ex Socrate desumptam, quæ de hoc Concilio habent Sozomenus & Theodoretus, & subscriptiones Episcoporum. Canones in duas columnas hic distribuuntur, juxta duas versiones, Dionysii Exigui, & Isidori: post Concilium plures adducit Epistolas Imperatorum & Episcoporum, quæ ad Concilium referuntur.

Collectio Veneta omnium prima protulit latine Historiam Actorum hujus Concilii, quæ Alphonsus Pisanus partim ex MS. Gelasii Cyziceni, quod in Biblioth. Vaticana servatur, partim deduxit ex aliis Ecclesiasticis Scriptoribus, scilicet Eusebio, Theodoreto, Socrate, & S. Epiphanio. Hæc Historia in quatuor Libros divisa prodiit Dilingæ ann. 1572. ac deinde auctior Coloniæ ann. 581. & 591. Liber primus comprehendit, quæ Concilium hoc antecesserunt. Secundus Acta Concilii ex græco educta, h. e. Disputationes ab Episcopis Catholicis habitas cum Philosophis, qui Ario favebant. Tertius Decreta Concilii, h. e. 80. Canones ex Arabico Exemplari translatos, & Constitutiones Ecclesiasticas ex Græco. Quartus Opuscula, quæ Decretis a Concilio latis adjicienda sunt. Etiam in Editione Nicolini habentur 80. Canones, a P. Turriano Jesuita ex Arabico in Latinum versos. Constat, Acta Concilii Nicæni a Gelasio Cyziceno in tres Libros digesta fuisse Græce edita cum interpretatione Roberti Balforei in 8. Parisiis ann. 1599. per Federicum Morellum, & Edelbergæ ann. 1604. per Commelinum in fol. Hæ duæ versiones verbis discrepantes, sententiis valde inter se conveniunt, exceptis *pluribus; quæ Pisanus ex Eusebio, Epiphanio & aliis attexuit, quæque Balforeus non habet*, juxta Nicolinum & Binium.

Binius, qui Nicolini Editionem sequutus est, dedit pariter Historiam Actorum Concilii Nicæni, ab Alphonso Pisano acceptam.

Romani Editores, in hoc relicto Binio, dederunt solummodo Commentarium Gelasii Cyziceni in tres Libros divisum, & a Balforeo translatum. Licet hæc Acta contineant falsa nonnulla, pluraque facta, quæ non conveniunt cum iis, quæ a Scriptoribus huic Concilio coævis referuntur, ea tamen in suam Collectionem inferre non dubitarunt, nixi Photii testimonio, qui asserit, titulo MS. in quo ea vidit, Gelasii Cyziceni nomen exhiberi; sed hæc Acta dant, nihil adjicientes ex MS. Vaticani, quod Binius ita citat, ex Græco Vaticano. Atque hæc videtur fuisse sententia verbis Labbæi, qui *Gelasium G. & L. loquentem duntaxat a Romanis publicatum* dicit.

Editio Romana insuper, quam præcedentes, habet Historiam hujus Concilii, pluresque Epistolas, quarum Crabbe latinam tantum versionem dederat.

Regius Conciliorum Editor, & Labbæus editionem Rom. sequuti sunt; sed hic postremus insuper dedit 20. Canones juxta interpretationem Gentiani Herveti, cum pluribus titulis, tum quos reperit in fronte horum Canonum ex Isidori versione, tum qui extabant in MS. Hardi; præterea fragmentum Græcum subscriptionum a Seldeno impressum; expositionem fidei Nicænæ cum Canonibus ex Ecclesiastica Rufini Historia deductis; novam versionem variorum Canonum ejusdem Concilii, h. e. Canonum 84. Decretorum 16. ad Monachos & Anachoretas pertinentium, 19. aliarum Ecclesiasticarum Constitutionum, & 25. Capitulorum sive statutorum, quæ Fidei professio antecedit; omnia ex Arabico in latinum translata ab Abramo Echellensi, una cum ejusdem Concilii Præfatione. Notis, quas Binius in hoc Concilium dedit, addit eas, quas Laubespinæus Aurelianensis Episcopus confecit in horum Canonum quatuor, scilicet primum, decimum secundum, decimum tertium, & decimum nonum. Peculiaria quædam observat etiam in sextum.

P. Harduinus, qui horum Opusculorum plura rejecit, adjecit tantum transitum Eneæ Episcopi Parisiensis, qui refertur septimo Spicilegii Tomo.

De primo Concilio Constantinopolitano.

Merlinus septem tantummodo refert parva Capitula secundi Concilii Generalis, una pagina comprehensa.

Auget id & amplificat Crabbe, allatis Historiæ Tripartitæ Cassiodori compendiis, & Ecclesiasticis Historiis Theodoreti, Sozomeni, & Socratis; addit etiam Epistolam Concilii Constantinopolitani ad Damasum Papam Episcoposque Romæ coactos, ductam ex Libro quinto Theodoreti, & Epistolam Damasi ad Episcopos Orientales; septem Capitulis, quæ hic leguntur juxta Isidori versionem, & quorum titulos exhibet, tres præterea adjicit ex Interpretatione Dionysii Exigui, una cum subscriptionibus.

Collectio Romana pro more suo Latine addit Historiam Concilii, Sermonemque, quem habuit S. Gregorius Nazianzenus, Græce & Latine.

Labbæus dat 7. Canonum versionem a Gentiano Herveto confectam, cum Epistola Synodica ad Theodosium, græce & latine, juxta varias interpretationes.

Harduinus Arabicam Canonum Paraphrasim adjungit.

De tertio Concilio Generali.

Merlinus pro Concilio Ephesino nihil aliud affert, nisi Epistolam S. Cyrilli, & Concilii Alexandrini ad Nestorium, qua continetur expositio Symboli Nicæni, cum duodecim Anathematismis in tredecim Capita distributis. In eo tamen errat, quod hanc Epistolam Concilio Ephesino tribuit.

Crabbe id auget ex iis, quæ sibi Cassiodorus, Theodoretus, & Socrates suppeditare potuerunt; sed hujus Synodi Acta usque eo imperfecte remanserant, donec a Nicolino eodem ordine, quo Theodorus Peltan publicaverat, integra data fuerunt.

Romana Editio addit Epistolas plurium Episcoporum, & quinque Libros S. Cyrilli adversus Nestorium, qui reperti sunt ad finem MSS. Græcorum, quibus hujus Concilii Acta continentur. Antonius Agellius Acerni Episcopus eos latine vertit ex pluribus collatis MSS.

Labbæus supra præcedentes Collectores putat se exhibere Epistolam S. Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ ad Nestorium, cum duodecim Anathematismis ex Dionysii Exigui versione; sed in ejus Collectione nihil novi est, præter Præfationem hujus Interpretis ad Petrum Episcopum.

Balutius latinam dedit Concilii Ephesini versionem; ut etiam quarti, septimi, & octavi Conciliorum Generalium versiones datæ fuerant. Versio hæc fuerat jam doctorum virorum elogiis nobilitata, scilicet Theodori Peltan, Hieronymi Commelini, Antonii Possevini, & Cardinalis Baronii, qui jussu Papæ in Gratiani Editionem incubuerant. Sed Balutii versio, plurium antiquorum Exemplarium præsidio, emendatior evasit. Dedit hic Actionem sextam, quam Marius Mercator publica-

blicaverat, cum quibusdam epistolis Nestorii factum afficientibus, & a P. Garnerio jam in lucem editis; his addit quædam fragmenta græca, recens educta ex Regia Bibliotheca, & ex parte a Cotelerio data in suis Ecclesiæ Grecæ Monumentis. Idem Balutius publicavit Instructionem, quam S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus dedit Possidonio Diacono, Romam misso, cum de Nestorio ageretur. Valde insigne est hoc Opusculum, de quo jam superius dixi, non secus ac de Instructione a Cœlestino Legatis in Orientem missis data, & de subscriptionibus eorum, qui a Quartodecimanis decepti fuerant.

Harduinus in Collectionem suam non intulit nisi Opuscula, quæ magni esse momenti judicavit. Num aliis in hoc Sapientior fuerit, aliorum judicium sit.

De quarto Concilio Generali. In prima Collectione, quæ Merlinum Auctorem habet, Concilii Calcedonensis non habemus, nisi orationem Imperatoris Marciani ante Concilium habitam; acclamationes Episcoporum; Symbola Nicænum & Constantinopolitanum; hæreses, quarum occasione duo isthæc Symbola condita sunt; & Epistolæ S. Cyrilli, Epistola S. Leonis Papæ, & Concilii Calcedonensis definitio; præterea Decreta & Canones numero 27. subscriptiones, & conclusionem Concilii; edictum Marciani pro ejusdem confirmatione, & Valentiniani Marcianique Edictum pro eadem re, & contra Hæreticos; tandem Epistolam Marciani contra eosdem Hæreticos, & Attici scriptum de ratione formatas Epistolas componendi.

Crabbe apud Cruciferos Aquisgrani repperit hujus Concilii Exemplar in 16. Actiones divisum, idque jam antea a viris doctis recognitum suæ Collectioni inseruit. Addidit præterea, quæ invenit in MS. Græco, quod appellat *Acumicensium*. Hic ante Actionem primam habetur collectio Epistolarum, quæ Concilium Ephesinum & Calcedonense afficiunt. Prima hæc Actio magnum affert numerum Actorum Concilii primi Ephesini, Conciliabuli hujus nominis, & duorum Conciliorum Constantinopolitanorum, quorum unum sub Flaviano ann. 448. alterum habitum fuit ann. 449. Hujus Concilii Acta, ut Collector admonet, non erant satis cognita, cum ea dedit hæc Editio. Actio secunda continet Acta Synodi Beryti habiti in causa Ibæ Edessæ Episcopi: decima quarta affert Concilium Antiochenum diversum ab eo, quod sub Papa Julio celebratum fuit. In decima quinta habentur 27. Canones ex duplici versione, scilicet Dionysii Exigui, & Isidori. Actiones hæ continent etiam magni momenti Epistolas, veluti Epistolam S. Cyrilli Episcopi Alexandrini ad Joannem Antiochenum, juxta binas interpretationes, Epistolas ejusdem Patris ad Nestorium, Tractatum duodecim Capitulorum, quatuor versiones definitionis fidei, quæ est in quinta Actione, quatuor versiones alterius fidei expositionis factæ ab Episcopis, qui eidem Actioni interfuerant. Hujus tertiam Merlinus versionem dederat. Tandem Epistolam Paschasini ex Lilibæo ad Dioscori condemnationem pertinentem. Inter Opuscula, quæ Concilium Calcedonense sequuntur, Crabbe nihil novi affert, præter Orationem Concilii ad Marcianum, narrationem de Dioscori perversitate, & formulam fidei inscriptam *Fides Romanorum*. Illud tamen Crabbe objici potest, quod quibusdam locis obscurioribus plura claritatis causa adjecit ex penu suo, a Romanis Conciliorum Editoribus jure mox rejecta, eo quod illa neque in textu Græco, neque in antiquis MSS. invenirentur.

Laurentius Surius quasdam tantum addidit emendationes, & Concilii Canones ex versione Herveti. In generali Collectionis suæ Præfatione inquit, Codicem, quem ipse primus edit, constare ex variis Synodicis Epistolis a totius fere orbis Episcopis conscriptis, & jussu Imperatoris Leonis Marciani Successoris collectis. Epistolæ hæ, quæ in hoc fere omnes conveniunt, ut approbent Concilium Calcedonense, in quod invehebantur Alexandrini excitatis seditionibus noti, quæque excommunicationem dicunt in Timotheum Elurum, qui, Proterio, viro Sanctissimo, crudeliter morti dato, Sedem Alexandrinam invaserat; hæ, inquam, epistolæ, tanti ponderis momentique sunt, ut, Cassiodoro teste, hujus Concilii inde maxime auctoritas pendeat. Balutius in sua ad hunc Codicem Præfatione Surium reprehendit, quod *Interpretis nullam mentionem* fecerit. Et sane a Collectore silentio prætermittitur in eo Collectionis loco, ubi hæc Epistolæ habentur: memoratur autem in Præfatione generali, cum ipsa Cassiodori verba attulisset. Sed & in eo eundem reprendit, quod *titulum mutaverit*; idque potiore jure, cum Surius huic codici titulum affigat: *Epistolæ illustrium personarum pro Concilio Calcedonensi.* *De div.lectionib.l.1.c.11.* *Nov. Collect. p. 1400.*

Editio Binii, Venetaque nihil pluris habent. Hæ afferunt adnotationes Rustici, quas Crabbe ed marginem posuerunt, tanquam suas, neque admonuerat, eas fuisse eductas ex antiquo Ms. quod ipse præ manibus habuit.

In Romana editione habetur textus Græcus ad versionem adjacens. Versionem hanc editores quodammodo deformarunt; cum enim eam admodum incultam & barbaram deprehendissent, ut nitidiorem elegantioremque efficerent, innumeros pœne in eadem locos mutarunt, amputaruntque notas marginales, quas Crabbe auctori tribuendas putarunt. Præterea versioni Latinæ, quæ deerant, addiderunt, sustuleruntque, quæ non satis cum græco Textu convenire videbantur. Id ipsum præstiterunt quoad Codicem, in quem plura, quæ aliena sunt, intulerunt; plura vero, quæ inde consequebantur, amputarunt. Ordinem etiam epistolarum immutarunt, contra id, quod intenderat Collector, qui eas interpretatus est.

Antiqua versio dijudicari potest ex iis, quæ de hoc Concilio Evagrius refert; tum ex iis, quæ habemus in antiquo Ms. Parisiensi. Cum superius differentiam judicarem, quæ inter antiquam & recentem versionem intercedit, dixi, Actionem primam excipi ab ea, in qua Dioscorus depositus fuit, quæ est tertia; post sextam descriptos esse viginti septem Canones, qui modo in decimaquinta habentur; Actionem septimam eam esse, quæ concordiam afficit inter Maximum Episcopum Antiochenum, & Juvenalem Jerosolymitanum inductam; Actionem, quæ nunc septima est, fuisse octavam, atque ita deinceps usque ad decimam sextam Actionem. Quod contigit circa Concilii Calcedonensis Acta, aperte demonstrat, periculosum esse, quidquam addere vel immutare in antiquorum Scriptis, præsertim ubi de rebus agitur ad Religionem pertinentibus. Romani Editores, qui antiquam Concilii Calcedonensis versionem emendare dum vellent, eandem corruperunt, in fine Actionis quartæ eam addiderunt, quæ Carosum & Dorotheum afficit; item Actionem, quæ ad Photium Tyri, & ad Eustathium Beryti Episcopum pertinet. Ex una parte textum Græcum, ex alia novam latinam versionem italico charactere attulerunt. Quid Binius in editione sua græca & latina? Is vero retinuit easdem Actiones & additiones, quæ sunt in editione Romana, versionemque antiquam a recenti distinxit tantum appositis verbis his: *ex versione nova*. Scripsit italico charactere tantum nomina & qualitates eorum, qui interfuerant, h. e. additiones 11. & 14. Actionibus factas: reliqua romano charactere, quo ejus Collectio fere tota conscripta est. Quid deinceps Collectionis Regiæ Editores sibi faciendum putarunt? Omnia uno eodemque charactere scripta emiserunt, ne editionis suæ nitori quidquam officerent. Præterea, quemadmodum Romana editio romano charactere dedit additiones, quæ in decimatertia Actione, totoque Opere sunt, Binius vero, Editoresque Regii diverso easdem charactere nequaquam distinguendas putarunt; ita Collectores mox consequuti postremos hosce imitati sunt. Hinc fit, ut, qui novas Conciliorum editiones habent, neque eas possunt cum antiquis conferre, eo facile adducantur, ut putent, additiones esse ex antiquo interprete, nisi notam animadvertant in margine positam, *ex nova versione*: præsertim ubi charactero non distinguuntur ab iis, quæ antecedunt, quæque sequuntur. Harduinus differentiam hanc indicavit, ampliore ad marginem apposita nota.

Labbæus nonnisi paucissimas dedit hujus Con-

cilii lectiones eductas ex Mss. Parisiensi & Divionensi, quæ consuluit, Balutio in hoc longe inferior; nam hic, præterquamquod Concilium hoc ad plura antiqua Mss. emendavit, restituit etiam antiquam versionem latinam, quam Rusticus alias cum antiquis Mss. contulerat, quaque Romana Ecclesia, totusque Occidens usus est a Vigilii Papæ tempore usque ad Carolum Calvum. Contulit secum ipsis Mss. Corbiense, Divionense, & Colberti, eaque præterea cum omnibus Concilii Calcedonensis editionibus, quæ inventis typis, prodierunt.

Idem Balutius dedit excerpta ex antiquissimo Ms. Vaticano, sibi a Cardinali Casanata dato; ea vero sunt quintæ Actionis Acta. In his magni momenti monumenta habentur, veluti Anathematismi Damasi Papæ ad Paulinum Antiochenum Episcopum missi, antiqua interpretatio expositionis fidei hujus Concilii, compendium Actionis nonæ, in qua Dioscorus damnatus fuit, Actio, in qua adfuit Imperator Marcianus, deinde Acta, qua inducta inter Maximum & Juvenalem Concordia confirmatur; tandem Actio, in qua agitur de Domno Antiocheno.

Quod ad Codicem Encyclium attinet, Harduinus non hæc omnia observanda putavit; nam Canones confert in Actionem decimam quintam, Græcum inter versionem Isidori, & versionem Dionysii exigui, & Paraphrasim Arabicam Canonum a Josepho Ægyptio confectam, prout ea habetur in Beveregio. Ex reliquis ea more suo sibi selegit, quæ ad rem suam se magis accomodant.

De quinto Concilio generali. Merlinus hunc Concilii quinti generalis titulum affert: *Practica Sanctæ quintæ Synodi Constantinopolitanæ*. Præterea ait, *Synodum hanc* non fuisse *aliarum more actionibus aut sessionibus distinctam ob difficultatem atque raritatem exemplarium*.

Et sane, post verba illa, *in secundo libro continentur quæ facta sunt contra Anthimum*, non subdit, *Actio prima*, neque deinceps *actio secunda*, *tertia*, *quarta*, &c.

Crabbe Concilium hoc Actionibus distinguit: quatuor priores habentur pag. 12. 40. 41. & 43. Pro quinta Actione adjicit 14. Capitula Concilii quinti habiti ann. 27. Imperatoris Justiniani.

Iis, quæ Crabbe dederat, Surius adjecit Acta Concilii quinti, quæ hactenus delituerant.

Editores Conciliorum Romæ impressorum addunt epistolam Vigilii Papæ, qua comprobata sunt, quæ Concilium quintum generale egit in facto trium Capitulorum, una cum versione latina, auctore de Marca: fatentur, se Surii editionem fuisse necessario secutos, eo quod non antiqua hujus Concilii Exemplaria invenire potuerint. Et sane, nullum Romæ repertum est, teste Cardinali Casanata. Cæterum imitati quidem sunt Surium, sed ita tamen, ut pluribus in locis, rejecta antiqua interpretatione, & aliquando etiam nulla auctoritate, conjecturas suas attulerint: ex. gr. verba hæc, *videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum*, quæ leguntur in Epistola S. Leonis ad Flavianum, colloquio sexto relata, non apparent in antiquis Libris, neque in editionibus, quæ Romanam antecesserunt; hujus additionis non alia fuisse videtur ratio, nisi quod in S. Luca, & in editionibus Epistolarum S. Leonis, adjecta hæc verba cum sequentibus conjuncta sunt. Animadvertere potuissent, verba hæc educta esse e Concilii Calcedonensis Actis, neque in græco hujus Epistolæ textu reperiri, quæ hic desunt in antiquis exemplaribus Mss. & in antiquis Concilii quinti editionibus. Sed illud multo licentius, quod Colloquio quinto ultimo loco attulerunt Epistolam Concilii Mopsuestani ad Justinianum, quæ primo loco erat in antiquis Mss. & Editionibus, eundem retinens ordinem, quem habebat in authographo, unde descripta est, & in quo Acta antecedebat. Romani Collectores hunc ordinem non immutassent, ut temporum ordinem sequerentur, si animadvertissent, qua quidam veteres ratione Conciliorum Acta collocarunt, in Collectionibus perpetuo retenta; ex. gr. in Concilio primo Arelatensi Epistola Synodica ad Sylvestrum Papam præcedit Canones, licet certum sit, post Canones fuisse conscriptam; idem dicendum de Synodica Epistola ad Clodovæum, quæ initio Concilii primi Aurelianensis habetur.

Labbæus varias Actorum hujus Concilii lectiones dat, ex antiquo Ms. Joli deductas, ita secum ipse reputans, Ms. non contineri, nisi quæ in vulgaris editionibus sunt, nonnullis lectionibus exceptis; satis esse duxit, quædam indicare variantes, ut, in quo sita esset differentia, dignosceretur. Nihilo tamen minus ad marginem paginæ 431. longi fragmenti habetur initium ab impresso valde diversum: quo uno satis admonebatur, ut examinaret, utrum editiones huic antiquo Ms. in sequentibus responderent. Jam vero compertisset, præter eas, quas ipse observavit, alias quoque variantes esse, eoque Ms. plura contineri alicujus pretii fragmenta, veluti fragmentum Decreti Vigilii, quod dicitur *Judicatum*, duæ ejusdem Papæ Epistolæ ad Justinianum & Imperatricem Theodoram, Juramentum, quo Vigilius Papa se tria Capitula damnaturum pollicebatur, præstitum coram Theodoro Episcopo Cæsareensi in Cappadocia, & Patricio Cethæo, & Epistolæ Justiniani contra Vigilium.

Balutius in sua nova Collectione, post idem Exemplar, longe plures, quam Labbæus, lectiones dedit; usus autem est Ms. Ecclesiæ Bellovacensis, quod omnino convenit cum illo, quod Surius consuluit. Qualibet Sessione hic nomina Episcoporum indicantur eodem modo, quo in antiquis editionibus extant: Collectiones vero Regia & Labbæi sessione secunda & sequentibus quorumdam tantum afferunt nomina Episcoporum, eorum sc, qui primi nominati fuerunt. Sed differentia, quæ inter istæc Mss. intercedit, emicat etiam ex numero subscriptionum, quæ sessione ultima habentur; siquidem Ms. Bellovacense omnes affert, Parisiense vero novem tantum priores adducit. Balutius idem una cum Concilii quinti Actis dedit Vigilii Papæ Decretum pro trium Capitulorum condemnatione, diversum ab ejusdem Papæ Epistola ad Eutychium a de Marca publice edita. Dedit etiam Epistolas, quibus Imperator Justinianus impedire volebat, ne Vigilii nomen in sacris Dypticis recitaretur, prout habentur in Coteleio. *Monum. Eccl. tom. 2.*

De Sexto Concilio generali. Merlinus Concilii tertii Constantinopolitani non dederat, nisi latinam versionem, in decem & octo Actiones divisam. Huic versioni Crabbe in sua prima editione addidit Episcoporum subscriptiones. Tandem Romani Editores Græcum dederunt ex quatuor Mss. duobus Vaticanis, altero Bibliothecæ Ducis d'Altaemps, quarto Antonii Augustini.

De Septimo Concilio generali. Secundum Concilium Nicænum neque in Merlino, neque in prima Crabbe editione habetur.

Secunda Conciliorum editio, auctore Crabbe, continet latinam hujus Concilii versionem, quam Labbæus, Balutius, & editio ejusdem Concilii Coloniensis ann. 1540. Gisberto Longolio adscribunt, ei fortasse, qui ann. 1534. Parisiis Plauti Comædias typis edidit in 4. Surius *Synodum hanc ex urbe expectabat summa fide conversam ab Anastasio Bibliothecario, sed id frustra fuit; ubi tamen id eum consolari potuit, quod etsi in Anastasio quædam habeantur, quæ in nova versione desunt, ea tamen, quæ habet, omnia cum Anastasio congruere, testatur vir insigniter doctus Franciscus Turrianus, Hispanus Theologus*.

Binius, Collectoresque Conciliorum Romæ impressorum, cum hujus Concilii Græcum darent, vulgatæ versioni Anastasii versionem adjunxerunt; quod fuit in causa, cur Binius primam Tomi tertii partem in duas sectiones divideret, ut ejus Collectio, Collectionem Surii imitata, non plura quatuor volumina contineret.

Sed in Collectione Regia mutatus est ordo, quem isti Collectores observarant, vulgatæque versionis editio collocata est ante Græcum, & Anastasii Bibliothecarii versionem.

Labbæus Binii ordinem restituit, tanquam justiorem, siquidem Græcum est originale, versionemque Anastasii alia longe antiquiorem putat. Hic observandum est, Actionem octavam, quæ Græce habetur, ex græcis Mss. educta, in nulla duarum harum Latinarum versionum reperiri; hinc Collectio Romana, & sequentes ejus loco suffecerunt aliam versionem, quæ tribuitur Agellio, vel eo-

rum alicui, qui Romanam Conciliorum editionem confecerunt.

De Octavo Concilio Generali.

Nullus ante Surium Collector octavum Concilium ediderat: Surius autem ipse admodum imperfecte. *Neque enim*, ut ipse admonet, *habuit exemplar integrum, sed ab illis mutuatus est, qui in Compendium & Epitomen ipsas actiones redigere voluerunt*. Ejus Collectio non continet nisi 27. hujus Concilii Canones, historicum decem ejusdem Actionum compendium, & Appendicem ex more ipsius Collectoris, in qua enarrantur, quæ peracta sunt tempore & jussu Imperatoris Basilii.

Binius in sua prima editione dat fragmentum hoc; ita enim jure illud appellat. Fallitur tamen in eo, quod ait fragmentum hoc in prioribus editionibus extare; cum hæc octavi Concilii pars non nisi a Surio primum data fuerit. Ea autem continet Canones, & nonnullas epistolas, quæ aberant ab editione Actorum hujus Concilii, quam Raderus publicaverat. Binius post fragmenta hæc Surio adjicit plura opuscula, quæ inscribit, *Acta Synodi VIII.* horum interpretem Matthæum Raderum silentio prætermittens. Hæc vero Acta sunt Vita S. Ignatii conscripta a Davide Niceta, qui dicitur Paphlagonius; Elogium ejusdem Sancti confectum ex compendiis a Michaele Syncelle deductis; Libellus supplex Nicolao I. Papæ oblatus a Theognoste Monacho, & Romæ Archimandrita, & Constantinopolis Exarcho, pro S. Ignatio; plures ejusdem Papæ Epistolæ in eandem rem; Epistola Epiphanii Cypri Episcopi ad Ignatium; decem integræ Concilii Actiones, & Actione decima quatuordecim Canones; Epistolæ plures; duæ Concilii, una circularis, alia ad Papam Adrianum II. tres Stephani V. Papæ, duæ Styliani Metropolitæ Neocæsareæ ad Euphratem sitæ; Collectio Æpistolarum a plurium Provinciarum Conciliis conscriptarum nomine Nicolai I. & Adriani II. cum Notis, & compendio octavi Concilii.

Romani editores, omissa historica Præfatione, quam in quodlibet Concilium dare consueverant, afferunt initio Præfationem Anastasii, qui huic Concilio interfuerat, ut ipse ait; &, quoniam Textus Græcus antiquus antiquam hujus Interpretis versionem longitudine non exæquat, interpretationem suam collocarunt ante græcam editionem, cui aliam adjecerunt versionem illi optime respondentem.

Raderus versionem hanc typis ediderat ann. 1604. Ingolstadii: quam Romani Editores cum non integram dedissent, editio Regia, & Collectio Labbæi, quæ desunt, supplent opuscula quædam afferentes, quæ sunt, scriptum de numero perjuriorum, quorum agebantur rei Photii sectatores, *σταυροπάται* dicti, quod suo ipsorum chirographo, cruce signato, adversati essent; epitome epistolarum synodicarum Nicolai, & Adriani Pontificum, compendium octavi Œcumenici, & excerpta ex historia Joannis, cui cognomentum Scylitza, ad Ignatii depositionem, & Photii occupationem pertinente.

De emend. Grat. l. 2. Dial. 6.

Atque hoc loco quæri necessario debet, quodnam pro octavo Concilio generali habendum sit. Antonius Augustinus tres in hanc rem opiniones affert; prima stat pro Concilio, quod habitum fuit Constantinopoli, Adriano II. Papa ann. 869. & 870. altera pro eo, quod paulo post, Joanne se. VIII. Papa, in eadem urbe coactum fuit contra S. Ignatium, & pro Photio. Marcum Ephesinum in hac secunda sententia fuisse ostendit tum ab eo data responsio, cum in Concilio Florentino ad præferenda octavi Concilii Acta invitaretur. Tertia demum Florentinum ipsum pro octavo Generali Concilio habet. Idem Antonius Augustinus observat, eos, qui secundam sententiam tenent, non posse facere, quin asserant, Concilium Constantinopolitanum pro S. Ignatio habitum esse octavum generale; cum enim pro certo habeant, Concilium Constantinopolitanum sub Adriano II. habitum abrogatum fuisse ab illo, quod Joannis VIII. tempore celebratum fuisse, necesse est, primum revera Generale fuisse, antequam abrogaretur. Sed & tertia opinio obnoxia est difficultati, quam sapiens Archiepiscopus diluere nequaquam potest; ea vero est, quod verba professionis fidei Pontificum allata in Decretis Ivonis & Gratiani, & in Concilio Constantiensi Concilium Constantinopoli habitum prorsus afficiunt.

Etiam primæ opinioni magna subest difficultas; ubi duo ponantur Concilia Constantinopolitana Generalia, & Papæ auctoritate celebrata. Quomodo enim primum, quod a secundo abrogatum fuit, haberi posset pro Generali? His tamen non obstantibus, laudatus Archiepiscopus primam harum sententiarum amplectitur, ex eo adductus, quod ad Græci Ms. finem, sibi ex Italia delati, plura invenit Acta a Pontificibus contra Photium instituta post duorum Conciliorum Constantinopolitanorum celebrationem; ex quo jure cogit, Joannem VIII. Papam non confirmasse Conciliorum horum postremum, cui pro Papa præfuerunt Petrus Cardinalis Presbyter, Paulus Episcopus Amonitanus, & Eugenius Ostiensis; Photium summa impudentia condidisse quædam Acta, in quibus Joannes VIII. ait, Acta Concilii primi non fuisse ab Adriano Papa approbata. Cæterum, rejecta Synodo Constantinopoli habita sub Adriano, viderentur approbari ea, quæ Photius egit contra Nicolaum Papam, & Ignatium Patriarcham. Antonius Augustinus testatur, ea, quæ facta scriptaque fuerunt a Pontificibus Nicolao, Adriano, & ante hos a Leone IV. & Benedicto III. auctoritate illa, quæ sibi ex prima Ecclesiæ cathedra obveniebat, contra Photium, & Gregorium, Syracusanum Episcopum, a quo fuerat consecratus, fuisse comprobata a Joanne VIII. ejusque Successoribus Martino, Adriano III. Stephano VI. & Formoso.

Quamquam Laurentius Surius in præfatiuncula quadam ad lectorem, falsam illam octavæ Synodi inscriptionem, a Bartholomæo Abramo Cretensi actis Synodalibus præfixam, metu nescio cujus temeritatis auferre & abolere noluerit, Binius tamen aliorum Virorum hortatu animatus, non tantum ex titulo, verum etiam ex ipsis actis Synodalibus pro voce octava, decimam sextam substituendam esse putavit. Post hæc, ecquis eum infidelitatis arguat, reprehendatque, quod pro ingenio Concilii Acta immutaverit, ut objicit Beveregius in suis Notis ad Canones primi & secundi Concilii?

Not. in Syn. hab. in templo S. Sophiæ.

Cum de Conciliis contra Photium sermo sit, non hic silentio prætermittam, ab eodem Anglo reprehendi Binium, quod *Pseudosynodum Photii* appellaverit Concilium in Ecclesia S. Sophiæ celebratum, *Tractatus hic*, inquit ille, *cui Binius hoc nomen indidit, non potuit confici, nisi ab Auctore recenti; siquidem Collector nullam mentionem facit de scriptore aliquo, qui eundem memoraverit, neque de Bibliotheca ulla, ex qua deduxerit. Præterea nunquam ejus Acta typis edidit, sed compendium tantum exscripsit, quod Baronius ex Bibliotheca Vaticana eductum in suos Annales contulit. Ac licet etiam certum esset, hujus Concilii Acta in ea Bibliotheca græce extare, ut putat Gratianus in suo Decreto Gregorii XIII. jussu edito, adhuc tamen fides non est habenda iis, quæ Binius affert. Jam vero quid est, cur summo studio omnia colligantur, quæ Ignatii causæ favere possunt, omittatur autem tum Concilium pro Photio habitum, tum Concilium post Ignatii mortem celebratum, licet facile inventu fuerit?* Ex his Beveregius suspectam habet editionem Conciliorum a Binio confectam. Et sane in his non parum ejus partium studium elucet.

De duobus primis Conciliis Lateranensibus.

Merlinus a sexto Generali Concilio transit ad Concilium Constantiense, nulla facta mentione neque de quatuor Conciliis Lateranensibus, neque de Concilio Viennensi sub Clemente V.

Crabbe nullum verbum de duobus primis Lateranensibus in prima sua Collectione.

Binius in editione prima de duobus primis Conciliis Lateranensibus ait, *Acta Concilii non extant*, & in Notis ad primum affert Epistolam Calixti II. Papæ ad Henricum Imperatorem.

Romani Conciliorum Editores, præter horum Conciliorum historiam, dant 22. Canones primi Concilii, Epistolam Calixti Papæ ad Episcopos Galliæ, Actum, quo Henricus Investituras restituit, & Jus eligendi a Pontifice eidem concessum. Opuscula hæc deducta sunt ex Ms. Vaticani, & ex Hi-

ex Historicis, veluti ex Abbate Urspergensi, & Guillelmo Maldunensi. Idem Collectores afferunt pariter triginta Canones Concilii secundi Lateranensis, una cum epistola Innocentii II. Papæ ad Archiepiscopos Remensem, & Senonensem, & ad S. Bernardum adversus Petrum Abailardum, & Arnoldum Brixianum. In Collectione Labbæi non habetur hæc epistola inter Acta secundi Concilii Lateranensis.

Labbæus Collectioni suæ Notas inseruit, quas Balutius dederat in nonnullos Canones Concilii primi Lateranensis. Idem appellat Acta, quæ Binius dederat tanquam Notas in hoc Concilium, & Monumentis, quæ supersunt, addit ea, quæ affert Chronicon Pandulphii a S. Paulo, qui Concilio interfuit. Partem Actorum secundi eduxit ex Chronico Morigni.

De tertio Concilio Lateranensi.

Secunda Crabbe editio, loco Actorum Concilii tertii Lateranensis, dat Indicem, seu summarium Regularum, quarum articuli variis pro rerum ordine titulis afferuntur; deinde Capitula seu Decreta numero viginti septem, & compendium Capitulorum ipsorum, quorum tituli tantum in Indice memorato afferuntur, & quorum collectio in quinquaginta partes distributa est. Autographum, ex quo ista deduxit, neque illud memorat, obscuris involutum figuris, quoad potuit clarius explicavit. Margines erant Notis referti, quibus tamen usus non est, ne illarum multitudo confusionem pareret.

Surius permultis locis mendas sustulit, quæ in Crabbe editionem irrepserant. Observandum est, Crabbem & Surium non eodem modo dividere quosdam Indicis articulos, de quibus supra dixi. Titulus ultimus, qui est *de alienibus secundo*, in Crabbe in 105. articulos divisus est, Surius dat quidem hos articulos ordine eodem, sed tres tantum in hunc articulum confert: quo confecto, incipit series aliorum viginti articulorum, quorum primus hanc ad marginem notam habet: *Hic incipit pars quadragesima, sed non habet titulum.* Hos excipiunt alii 67. articuli, cum hac Nota ad marginem: *Hic incipit pars quinquagesima, sed nec ipsa titulum habet.* Licet enim tantummodo adjecti sint numeri divisionibus hisce comprehensi, tenendum tamen est, a Surio nihil fuisse prætermissum eorum, quæ in Crabbe erant. Differentia omnis sita est in eo, quod Surius quatuor Crabbe articulos, h. c. 52. 53. 54. & 55. contulit in unum, qui est 29. quodque ex 56. & 57. trigesimum confecit. Notandum hoc loco est, non debuisse a Surio sequentibusque Collectoribus omitti Notam marginalem, quæ in Crabbe extat prope Capitulum ultimum Appendicis, quod ita incipit: *Sedes Apostolica consuevit* &c. Ea vero Nota ita se habet: *Hec sine titulo aliena manu adjecta archetypon, unde prababita descripsimus, claudebant.*

Binius & Labbæus sequuti sunt Surium in ordine Indicis & Appendicis. Sed hic postremus viginti septem Capitula ante Indicem ponit.

In Collectione Romana habentur tantum viginti septem Capitula Concilii tertii Lateranensis. Labbæus dat nomina Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ, qui Concilio interfuerunt. Tandem admonet, Appendicem hujus tertii Concilii constare ex Rescriptis Canonum, & Decretis Alexandri, exceptis paucis, quæ a recentioribus Pontificibus lata fuerunt, adjectaque huic Concilio, tanquam Appendix, eo quod Bartholomæus Laurentius, qui primus id edidit ann. 1551. eadem invenerit in Ms. suo post hoc Concilium; demum totum Concilium divisum esse in partes 47. quæ Canonibus Lateranensis, duabusque aliis partibus sine titulo adjunctæ, quinquaginta partes constituunt.

De quarto Concilio Lateranensi.

Prima Crabbe editio affert 70. Capitula Concilii quarti Lateranensis, & Decretum pro Terræ Sanctæ expeditione, a Binio notis illustratum.

Romani Collectores dederunt Epistolas, quibus Innocentius III. plures invitat ad hujus Concilii celebrationem, una cum duabus Orationibus ab eodem Papa in hoc Concilio habitis.

Labbæus Collectioni suæ Græce inseruit magnam Canonum partem, & Decretum Crucis militiam afficiens, quæ Græcorum gratia Romanæ Ecclesiæ reconciliatorum in hanc linguam translata fuerant. Idem Auctor alias etiam dedit additiones Concilio quarto Lateranensi factas, quibus continentur Epistolæ addictionis Comitis Tolosani ad Simonem de Montfort, Primatus Ecclesiæ Toletanæ, Episcopatus nova institutio Kym, Ecclesiæ Orientalis cum Romana unio, possessio Imperii, prætermisso Othone, Friderico confirmata, excommunicatio Optimatum Angliæ, eorumque omnium, qui regnum hoc usurpare volebant; Pactum inter Ecclesias Cypri; Ordo Crucigerorum, & S. Dominici, & Franciscanorum; Jonas Syrorum Patriarcha, & Simon de Alua Frater Laicus ex Ordine Cisterciensi, qui Propheta passim habebatur.

De primo Concilio Lugdunensi.

Binius in suam anni 1606. editionem intulit Matthæi Paris expositionem de Actis Concilii primi Lugdunensis ann. 1245. tum sententiam ab Innocentio IV. contra Fridericum Imperatorem latam; præterea prima verba quorumdam hujus Concilii Capitulorum, quæ sunt in Sexto, una cum Notis, quas Romani editores removendas putarunt.

Idem editores novam emiserunt hujus Concilii historiam, tum compendium eorum, quæ in Concilio contigerunt, præterea Epistolas Innocentii IV. Constitutiones hic plures habentur, quam in præcedentibus Collectionibus, eæque sunt in 17. Capitula distributæ.

Binius in suam secundam editionem contulit cum Notis Opuscula omnia, de quibus dixi.

Labbæus suæ Collectioni inseruit novem hujus Concilii Capitula, quæ Binius non ediderat, quæque ex sexto Decretalium Libro deducta sunt.

De secundo Concilio Lugdunensi.

In prima Binii Collectione habentur prima verba Capitulorum secundi Concilii Lugdunensis, quæ in sexto integra afferuntur, & Notæ, in quibus extant plures Epistolæ, sc. Epistola Michaelis Paleologi Græcorum Imperatoris, Epistolæ Episcoporum Orientalium, & expositio hujus Concilii ab Eberardo Ratisbonensi facta.

Romana Conciliorum Generalium editio affert tum hujus Concilii, tum præcedentium historiam, varias Gregorii X. Papæ Epistolas, brevem narrationem eorum, quæ peracta sunt; Epistolam Michaelis Paleologi græce & latine; quatuor ejusdem Papæ Epistolas, sc. ad laudatum Imperatorem, ad ejus filium Andronicum, ad plures Orientis Episcopos, & ad Abagham Tartarorum Regem, una cum triginta Constitutionibus, sive Capitulis. Regius Editor hæc divisit in 31. siquidem ex 30. confecit duo. Præter Notas, quas Binius in secundam editionem contulit, Labbæus addit duas Epistola Gregorii X. Papæ ad Græcorum Imperatorem, hujus Imperatoris responsum, & ejusdem Papæ epistolam ad Josephum Patriarcham Græcum, cum Imperatoris Juramento.

De Concilio Viennensi.

Trithemius, S. Antoninus, Guillelmus Tyrius, & quidam alii Historici, & Clementinæ Binio Notas suppeditarunt, quas ipse in sua prima editione dedit in Concilium Viennense.

Editio Romana addit hujus Concilii historiam, & Epistolas plures, quæ Templarios afficiunt.

In Labbæo habetur additio ducta ex Ms. anonymo, quod in Vaticana Bibliotheca servatur.

De Concilio Constantiensi.

Hieronymus de Croatia Juris Doctor ann. 1499. Actorum Concilii Constantiensis editionem suscepit. Ea ann. 1500. fuerunt *impressa in imperiali oppido Hagenavv, per industrium Henricum Gran inibi incolam expensis providi viri Joannis Rynnam.* Hic in epistola ad Conradum Summerhart, & Jacobum Locher fidem facit, ea diligenter exscripta fuisse ex emendato Ms.

Hæc ipsa Acta mox Parisiis impressa fuerunt an. 1506. curante Joanne Exiguo, Prodierunt autem die 12. mensis Maji una cum Acta Concilii Constantiensis, quo confirmantur Constitutiones Imperatoris Friderici secundi, & edictum Caroli IV. Carolina dictum. Id attulit, tanquam additionem, quæ decimam nonam hujus Concilii sessionem afficit.

Merlinus huic Concilio eumdem titulum dat, quem habet in editionibus, de quibus dixi.

Crabbe 45. Sessionibus, quæ sunt in Collectione Merlini, addit Appendicem, ex Libro eductam, quem

quem Henricus Bemel Juris Doctor, & SS. Apostolorum Coloniæ Canonicus legavit hujus Urbis Bibliothecæ ad usum Theologiæ Doctorum. Hæc Appendix ipsi serius communicata, quam ut quælibet pars suo loco poni potuerit (quod deinde in secunda editione præstitum est) a Collectore data est continenter in prima, indicatis Actorum locis, ad quos quælibet hujus supplementi pars pertinent.

Surius in hoc secundam Crabbe editionem sequitur, supplementumque affert italico charactere.

Binius plura addidit, tanquam Appendicem, quæ a suis Codicibus aberant, reperta in Concilii Constantiensis MS. sibi a Joanne Pistorio transmisso.

Labbæus in duodecimum Collectionis suæ volumen omnia contulit, quæ spectant ad Concilium Constantiense, h. e. Seriem Actorum cum additionibus litteris Italicis. Additiones hæ deductæ sunt ex narrationibus, quorum Auctores Concilii tempore vixisse videntur. Et sane plura continent, quæ nonnisi eo tempore percipi potuerunt. *Quæ sequuntur desumpta sunt ex Codice manuscripto Concilii Basileensis. Quæ vacant in impresso Felix Contelorius, insigni vir diligentia atque eruditione præstans, plurima describenda duobus tomis curavit, quos pro suo singulari erga historiam Ecclesiasticam amore transmisit Parisios Eminentissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Princeps Franciscus Cardinalis Barberinus Purpuratorum modo Patrum Decanus meritissimus.* Ita de illo sentiunt Labbæus, & Cossartius. Iidem ex hac Collectione desumpserunt Supplementum ad Concilii Constantiensis Acta.

Harduinus ex omnibus hujus Concilii editionibus ea desumit, quæ magis necessaria sibi esse videntur. Præfatio, qua incipit, est ex editione Hagenavv; ex eadem editione sumpsit Compendium Actorum hujus Concilii, & varias eorundem Actorum lectiones dedit deductas ex plurimis MSS. iis præsertim, quibus usus erat Surius, & MSS. Tulisurgii, Lipsiæ, & Volfenbutelæ, aliisque, & ex Opusculis paulo post impressis in Germania per Vonderhart. Idem Collector charactere Romano edidit, quidquid extat in editione Hagenavv: reliqua sunt italico, etiam ea, quæ deducta sunt ex MSS. quibus usus fuit Schelstratus. Adjecit Epistolam Concilii Constantiensis ad Vladislaum, Poloniæ Regem, prout extat in Annalibus Bzovii.

De Concilio Basileensi. Merlinus dedit Acta Concilii Basileensis cum Bulla, qua Nicolaus V. ea firmavit, & Confirmationem Constitutionum Imperatorum Friderici II. & Caroli IV. Magni fit Concilium hoc a laudato Doctore, qui, *horum Conciliorum vim atque conditionem si semel degustaverint auctoritates illa suprema Pontificum scilicet & Principum, ait Ecclesiasticam mox excitaturos esse potestatem, quæ dudum a Basiliensi Concilio toties commonita vires resumere non valuit. Excitata tandem brachium vibrabit, nec prius ab instituto manus revocabit, donec olim perditam drachmam, veritatem dico vitæ, doctrinæ, & justitiæ invenerit.*

Crabbe in sua prima editione adjungit Epistolas ab Angliæ Rege ad Papam & Concilii Patres conscriptas, Responsa Synodalia ejusdem Concilii, quæ deduxit ex MS. Bibliothecæ ad Facultatem Artium Universitatis Coloniensis spectantis, & Epistolam Imperatoris Sigismundi ad Concilium. In secunda Crabbe editione habetur nova Appendix, seu Collectio, quæ continet Epistolas, Actiones, Sententias, & Decreta hujus Concilii, cum orationibus in eodem habitis. Concilium hoc opusculorum multitudine & præstantia insigne est. Surius *in Concilio Basileensi ad marginem aliquot locis quædam annotavit, ne illa verborum acerbitas, qua utuntur Patres quidam, fortassis male persuasi ab Eugenii æmulis, in eum ipsum Pontificem, infirmis esset offendiculo. Feci id autem & in Epistolam Pii Secundi, qua damnat ea, quæ pero Basiliensibus contra Eugenium scripserat, quam tuto sequi poterant, sicut & alia quædam Catholicorum virorum scripta; neque enim quicquam annotavit ex proprio cerebro, sed vel ex Pii II. Epistola, vel ex aliis gravissimis Scriptoribus.* Si recentes Conciliorum Collectores his se finibus continuissent, eorum Collectiones non criminationibus & maledictis in hujus Concilii Patres redundarent.

Binius huic Concilio præmittit brevem expositionem rationis, qua Bohemi ad hoc Concilium vocati admissique sunt, petitionemque, quas fecerunt. Hæc educta sunt ex Collectione inscripta, *Fasciculus rerum expetendarum*, Collectore Orthuino Gratio. Illata est etiam in historiam Bohemorum a Pio II. conscriptam. Reperitur autem post 50. Capitulum in Editione Freheri Hannoveræ ann. 1602.

Labbæus ad finem Tomi 12. Collectionis suæ affert quatuor Orationes, quæ in Concilio recitatæ fuerunt a Joanne Parthenio, Ægidio Charlier, Henrico Kalteisen, & Joanne de Polemar. Eæ fuerunt jam impressæ in Tomo tertio Operis Henrici Canisii, cui titulus, *Antiquæ lectiones*. Idem Collector ad finem Voluminis 13. posuit summam Conciliorum Basiliensis, Lausoniensis, & Florentini, ab Augustino Patricio compositam. In hac nova Appendice dat Acta Basileensis ad Ordinem Præmonstratensium spectantia, Orationem Gregorii Corrarii Veneti ad Imperatorem Sigismundum pro eodem Concilio, quatuor petitiones Biturigibus ab Eugenii Legatis factas ann. 1438. Epistolam ejusdem Concilii ad Religiosos Cluniacenses, & Apologiam Eugenii IV. Auctore Joanne de Turrecremata.

De Concilio Florentino. Crabbe in suam primam editionem intulit Concilium Florentinum ex versione Bartholomæi Abrahami Cretensis. Huic Concilio adjecit Librum tertium S. Basilii contra Eunomium, interprete Georgio Trapezuntio; Orationem de unione per Bessationem, & Decretum unionis inter Græcos & Latinos Eugenii IV. nomen præseferens.

Binius in sua prima editione Concilii Florentini Græcum Textum nequaquam dedit; *omnia Græce uno volumine editurus, ubi Nicænum & Ephesinum cum illis OEcumenicis ex Vaticana Bibliotheca in lucem prodiissent.*

Licet Horatius Justinianus Concilium Florentinum ediderit multo ante primam Binii Conciliorum editionem; hic tamen Collector huic editioni non inseruit. Antequam Justiniani opus expendatur, operæ pretium est observare, in Collectione Labbæana duas haberi hujus Concilii editiones; quarum una Græca & Latina est, altera latine confecta fuit ab Horatio Justiniano in modum Historiæ. Concilii Acta in editione prima divisa sunt in 25. Sessiones; in altera vero secunda eorumdem Actorum pars in 22. Colloquia distributa est. Horatius Justinianus notavit, quænam sint primæ editionis Sessiones, quibus suæ Colloquia respondent; ex. gr. duo prima Colloquia continentur tribus primis Sessionibus; tertium Colloquium Sessione IV. V. Coll. Seff. V. & VI. Coll. VII. Seff. VII. & VIII. Coll. VIII. Seff. IX. Coll. IX. Seff. X. Coll. X. & XI. Seff. XI. & XII. Coll. XII. Seff. XIII. & XIV. Coll. XIII. & XIV. Seff. XV. XVI. & XVII. Coll. XV. Seff. XVIII. Coll. XVI. Seff. XIX. Collect. XVII. Seff. XX. Coll. XVIII. Seff. XXI. Coll. XIX. Seff. XXII. Coll. XX. Seff. XXIII. Coll. XXI. Seff. XXIV. Coll. XXII. Sessione XXIV. Ubi Justinianus inquit, *Sexta respondent septima & octava*, ibi necesse est posuisse verbum *sexta* pro *septima*; Neque enim Acta V. & VI. Colloquii separatim collecta fuerunt, neque inveniuntur. Omnis hujus Collectoris labor in eo situs est, quod collegit, quæcumque ad hoc Concilium pertinentia in Vaticani tabulariis & Historiis MSS. reperiit. Notas posuit ad Marginem, & ad finem Constitutionum & Colloquiorum, quibus loca obscura & difficilia illustrat. Notavit Patrum & Conciliorum locos, qui citantur. Addidit argumenta, quibus cujusque Colloquii materiam explicat. Collectio omnis in tres partes dividitur; prima continet quæ evenerunt ante Græcorum adventum: secunda, quæ post eorumdem adventum: tertia comprehendit Acta, illorum discessu posteriora.

Augustinus Patricius Canonicus Senensis hujus Concilii confecit Summam seu Compendium, quod Labbæus Collectioni suæ inseruit post Appendicem, quæ erat in editione Romana, quæque continet Ora-

Orationem Georgii Scholarii, Josephi Methonensis, & Apologiam Gregorii Protosyncellæ.

De quinto Concilio Lateranensi, Quamvis Jacobus Mazochius in lucem dederit ann. 1521. Acta Concilii quinti Lateranensis celebrati sub Julio II. & Leone X. hoc tamen Concilium in Collectionibus non prodiit, nisi ann. 1551. h. e. in secunda Crabbe editione. Editio Mazochii id peculiare habet, quod ornatur Pontificum Imaginibus, eorumque Sigillis, quodque in Compendio seu Summario Actorum ad cujusque Opusculi titulum notat Collectionis suæ folia, quibus requiri debet, cum sequentes editiones his ornamentis subsidiisque destitutæ sint.

Crabbe Mazochio non adjecit nisi quasdam Notas, quæ vel citatos Scripturæ locos signant, vel historica quædam facta continent, vel variantes quasdam lectiones comprehendunt.

Binius, qui ad finem Actorum hujus Concilii quasdam Notas, seu Observationes dedit, in sua prima editione Bullam non dedit, qua Leo X. Mazochio permittit, ut ea typis committat, neque fidem ab Antonio du-Mont S. Praxedis Cardinali huic Pontifici factam de cura & diligentia, qua idem Mazochius imprimenda curavit hæc Acta, quæ ex emendatissimis originalibus exemplaribus transcripsit.

Romani Editores, qui in Collectionem suam Leonis X. Bullam, & Antonii du-Mont Testificationem intulerunt, plures Crabbe marginales Notas omiserunt. Iidem supervacaneum esse putarunt, hujus Concilii historiam tradere; quæ enim interpretatione indiguissent, ea Julii II. epistolis satis explicabantur.

Qui sequuti sunt Editores, postremos hosce, qui impressa omnia secum invicem contulerant, in omnibus imitati sunt.

De Concilio Tridentino. Crabbe primus inter Conciliorum Collectores est, qui partem aliquam publicaverit Actorum Concilii Tridentini, cujus septem tantum priores Sessiones dat, cum quibusdam Orationibus recitatis a Dominico Soto, Antonio Marinier, Ambrosio Catharino, Petro Danis, Diego de Mendoza, & Francisco Toletano (duo hi postremi Imperatoris Caroli quinti Oratores erant) Et Epistolam Regis Portugalliæ ad Paulum III.

Præter septem priores Sessiones a Crabbe editas, Surius Collectioni suæ inseruit alias decem & octo, & Decretum a Concilii Patribus conditum de Immaculata SS. Virginis Conceptione. Postremus hic Collector non potuit Actiones Concilii Tridentini dare, quia nondum a Paulo Manutio impressæ fuerant; omisit etiam Orationes, de quibus dixi.

Labbæus addit plures Pii IV. Bullas, unam de Formula Professionis Fidei; alteram, qua laudatus Pontifex octo Cardinalibus inductæ reformationis observantiam commendat; aliam, qua revocat privilegia & immunitates hujus Concilii Decretis oppositas; denique Bullam & decem regulas de Indice Librorum prohibitorum, cum Præfatione Francisci Forerii Jacobitæ, & facta historica, quæ Concilium Tridentinum afficiunt, deducta ex Collectione impressa Lovanii ann. 1567. Collectioni suæ inseruit plura Opuscula, Bullas, Epistolas, Orationes, seu Tractatus Apologeticos, qui a Lovanii Collectione absunt, novumque confecit Indicem Chronologicum eorum, quæ ibi continentur.

Nihil ego dicam de Conciliis Particularibus: id enim esset prope infinitum, plerumque molestiæ. Illud certum est, in posterioribus editionibus plura contineri Concilia & Opuscula, quam in prioribus. Quænam Conciliorum Collectioni facta fuerit accessio, dignosci potest ex parvo numero, quem Merlini Collectio continet. Quadragintaseptem Provincialia Concilia, quæ publice edenda suscepit, in editione Labbæi usque fere ad sexcenta excreverunt.

CAPUT IV.

Quod difficile admodum est, Conciliorum Collectionem accurate dare.

AD rem hanc strenue conficiendam, non satis est in unum omnia cogere, quæcumque tantum tamque arduum Operis propositum requirit. Singulis enim fere gradibus tibi insistendum est, ubi regulas, quæ sequendæ essent, ad executionem exigere velis. Vis enim animum intendere in Manuscriptorum conquisitionem? At quam multa ex iis corrupta & depravata? quam multa, quibus indigeres, interierunt. Ea ipsa, quæ habemus, quam pauca comprehendunt? quam pauca sunt, quæ eadem Acta comprehendant? Vis veras ac genuinas lectiones invenire? At obstat tibi Manuscriptorum raritas & inopia. Ac, licet etiam omnia alicujus monumenti manuscripta eandem lectionem darent, num eam amplecti continuo tutum est? Sæpe id, quod in MSS. tanquam error habetur vacat. Quid tunc igitur tibi agendum est? Consulendane sunt typis impressa? At hæc aliquando differunt a MSS. Manuscripta vero ubi desunt, qui tum certus esse possis de impressis? Agiturne de exhibenda Græci Textus versione? Multiplex requiritur ac prope infinita omnigenarum rerum cognitio. Agitur de Opusculis in ordinem redigendis? Magna est tum in MSS. tum in impressis confusio & obscuritas. Aliquod Chronologiæ vel Geographiæ factum illustrandum est? Auctores inter se diffident, quorum sententiæ ad improbum examen singulæ tibi revocandæ sunt priusquam earum aliquam amplectaris. In lucem denique emittenda sunt, quæ collegisti? Boni Correctores tam rari sunt, quam necessarii, præterea tam multa præcaveri oportet, tam multa evitari, ut accurata Conciliorum Collectione nihil in litteraria Republica neque excellentius neque difficilius esse videatur.

I.

Conciliorum Collectionem suscipienti primum obstat exiguus Manuscriptorum numerus, quibus Decreta continentur. Plurium Conciliorum Acta ad nos usque nequaquam pervenere; quorum etiam nomina fortasse ignoraremus, nisi ab Historicis nobis conservata fuissent. Aliorum Acta in MSS. non nisi ex parte reperiuntur. Nonnullorum unum tantummodo superfuit Exemplar: hinc Collectores suis sæpe uti debent conjecturis, ad mendosa Textus loca restituenda. *De difficultate, quæ ex MSS. raritate oritur.*

P. Sirmondus Conciliorum Gallicorum occasione animadvertit, injuria temporum paucissima admodum superfuisse manuscripta, quibus Acta continerentur. Præterea pretiosæ hæ antiquitatis reliquiæ numero differunt ab Opusculis, quæ hodie habemus: habemus autem paucissima, quæ eadem monumenta comprehendant.

Plura Græca Latinaque conciliorum manuscripta fuerunt vel temporum diuturnitate consumpta, vel Hæreticorum malitia depravata, vel direpta incensaque a Barbaris, qui in terras, in quibus florebat christiana Fides, irrumpentes Sanctos Libros Patrumque Opera occupabant. Si fides Nicephoro habenda est, authenticum Actorum Concilii Calcedonensis MS. summa cura & diligentia in Patriarchæ Macedonii tabulariis servabatur, idem mox in frusta discerptum, & in ignem ab Imperatore Anastasio conjectum. S. Gregorius acerbe conqueritur, MSS. Conciliorum Ephesini & Calcedonensis fuisse corrupta, ac pluribus locis depravata. Ex sexti Concilii Actis deprehendimus, Monothelitas multa immutasse in Actis Concilii Constantinopolitani, & in scriptis S. Dionysii Areopagitæ, S. Athanasii, & Agathonis Papæ. Ariani ex Actis Nicæni Concilii expunxerunt subscriptiones suas, referente Sozomeno. Etiamsi vocabulum ὁμόιον non fuerit adulteratum (ut Rom. Editores volunt) saltem mutatum fuit in ὅμοιον, ut Theodoretus inquit. Præterea *pseudepigraphum heretici* *Lib. 16. c. 26.* *Epist. lib. 5. Epist. 14. Lib. 7. epist. 47.* *Action. 14.* *Lib. 2. c. 21.*

in

Lib. 2. c. 21. *in Thracia conventiculi Symbolum pro Nicæno suppositum, & alia id genus permulta*. Plurium Bibliothecarum direptione plura evanuerunt MSS. antiquitate sua pretiosissima.

Tenendum probabiliter cum Baronio est, non haberi integra Concilii quinti Generalis Acta in vetere latina versione, quæ extat. Et sane, Evagrius affirmate pronunciat, Origenem, Evagrium, *Histor. Eccl. l. 4. c. 38.* & Didymum in eo fuisse damnatos. Theophanes, & Chronicæ Alexandrinæ Auctor ajunt, id ab hoc Concilio sibi in primis fuisse propositum, ut Origenis, aliorumque nonnullorum errores condemnaret. Contendit Nicephorus; eos in secundo Colloquio fuisse damnatos. Quod si hujusmodi auctoritates non satis firmæ esse videantur, illud saltem dicendum erit cum Valesio in Notis ad Evagrium, quæcumque Nicephorus, Theophanes, & Cedrenus contendunt fuisse facta in quinto Concilio adversus Origenem ea nihil minus esse, quam hujus Concilii Decreta; hinc ejus Actis multa inserta fuisse prorsus aliena, quippe quæ multo iis recentiora; eodemque modo iisdem Actis fuisse adjecta Acta Concilii Constantinopolitani sub Mennade contra Anthimum & Zoaram, ut in Bibliotheca sua Photius asserit. Ex duobus hisce factis primum tueri videtur Evagrius, cum fatetur, Concilio quinto Generali plures attribui impietatis plenissimas Orationes, quæ ex Operibus Evagrii, Didymi, & Theodori Mopsuestani collectæ fuerunt.

I I.

De difficultate corrupta MSS. restituendi. Jam vero *rem tam divinam quasi funditus collapsam orbi restituere, latentia pervestigare, eruere retrusa, revocare extincta, sarcire mutila, emendare tot modis depravata*, *Erasmus*, *qui in id litteraturæ genus inter primos incubuit*, *Herculeum facinus*, *ac regio quodam animo dignum* esse jure arbitratur. *Adag. Chiliad. 2. Centuria 1.*

Inter Manuscripta, & Impressa multæ deprehenduntur differentiæ & diversitates, quarum causa & origo divinari vix potest. Impressa afferunt 80. Canones Concilii Vormatiæ habiti medio fere Sæculo IX. Antiquum MS. a Surio tractatum quadraginta tres solummodo continebat. Quænam hujus differentiæ ratio est? Certum est, Canones, qui in impressis quadragesimum tertium excipiunt, non esse ejusdem Concilii, siquidem plerique ad aliorum normam compositi videntur. Illud etiam certum est, eodem sæculo, decem annorum spatio, habita esse Vormatiæ duo Concilia, alterum ann. 868. Sed videndum superest, utrum hæc differentia ex eo oriatur, quod Decreta simul conjuncta fuerint in Impressis, an ex aliqua alia ratione.

Librariorum imperitia & temeritate, qui, cum errores corrigere vellent, eosdem multiplicarunt, *multa passim in Manuscriptis prætermissa*, *multa inversa*, *confusa temporum ratione*, extiterunt, ut testatur Crabbe in dedicatoria suæ Collectionis epistola. Bonorum Manuscriptorum inopia, & confusio, quæ inter Opuscula in iis comprehensa dominatur, non unius tantum nationis, vel Regni propria est. Ea late patet, & ad Italos etiam, Hispanos, aliosque æque pertinet. Quid igitur in tanta difficultatum strue agendum est?

I I I.

De difficultate veræ lectionis eligendæ. Sed nova exoritur difficultas allatis nihilo minor. Plures antiqui Scriptores, veluti Dionysius Exiguus, Isidorus, aliique omnia, quæcumque sibi in manus devenerunt, Conciliorum & Pontificum Acta collegerunt. Quæritur utrum ad veram firmandam alicujus monumenti lectionem standum sit Manuscriptis, quæ Collectiones hasce continent, ubi omnia eandem lectionem præseferant; siquidem centum reperiuntur Dionysianæ Collectionis Codices, in quibus mira ubique lectionum consensio deprehenditur. At id probat, Dionysium quidem sic legisse, non tamen sic esse legendum. Ne quis igitur in hoc error obrepat, conferendæ invicem summo studio sunt variæ Collectiones; quibus ad antiquiora & accuratiora MSS. expensis, si qua adhuc in lectionibus varietas fuerit, tum seligendæ sunt eæ, quas exhibent MSS. propiora Auctorum illorum ætati, quorum Opera in lucem emittenda sunt. Qui ante Patrem Coustant Pontificum litteras edendas susceperunt, duo hæc minus observasse videntur: atqui in seligendis lectionibus non tam quid varia ejusdem Collectionis exempla, quam quid variæ Collectionum species præseferant, ponderandum. Quod si lectio aliqua fortissimis clarissimisque rationibus innitatur, tunc ea Textui inseri potest, modo facta correctio nota aliqua indicetur; sin probabilibus tantum rationibus consistit, tum satis est eam ad marginem ponere, ne quis forte objiciat, alienum aliquid, vel incertum Textui fuisse adjectum; ubi vero corruptorum locorum emendatio neque certa, neque probabilis est, tunc satis est, ut quidam ait, ulcus detegere, & adhibendi remedii, h. e. veræ lectionis restituendæ difficultatem ostendere. Licet tamen adhuc conjecturas explicare suas de vero corruptorum locorum sensu.

Qui Conciliorum Gallicorum Collectionem a P. Sirmondo editam attenta consideratunt, non eam prorsus ab erroribus immunem esse putarunt. Quidam etiam Collectorem hunc publice accusarunt, quod pro ingenio suo, nulla auctoritate, plura emendaverit, vel potius corruperit loca, quæ, licet barbarismis plena, tamen sine temeritate contrectari non poterant. P. Doubler in lucem dederat edictum, quo Clodovæus junior Dagoberti I. filius confirmavit donationes a suis Prædecessoribus Monasterio S. Dionysii factas, & Privilegium a S. Landri Episcopo Parisiensi eidem Monasterio concessum. Sirmondus Diploma hoc intulit in Volumen primum Conciliorum Gallicorum cum correctionibus. Has optimas & justissimas novit Pater le Cointe, ac veluti credidisset, P. Doubletum hujus chartæ Textum data opera corrupisse, ut, specie quadam antiquitatis inducta, majorem illi fidem conciliaret, addidit in margine verba, quæ adjecta fuisse putavit. P. Mabillonius Lib. VI. Diplom. ostendit, ea, quæ a Patre le Cointe habentur tanquam errores in hujusce Privilegii Textu, non ex aliqua corruptione fuisse profecta, sed ex ipsius ingenio sæculi, quo conscriptum fuit; quod manifeste evincitur ex ejus similitudine cum Privilegio a Marculpho allato, cujus formulas ad pristinam integritatem redactas Balutius in lucem edidit. Sirmondus igitur, non Doubletus; Diploma hoc perperam emendarunt, ut ostendit mox Mabillonius, cum illud ex ipso autographo publicavit. Illud vero sane mirum est, quod Auctor historiæ Ecclesiæ Parisiensis ex ipso hujus Opusculi stylo suppositium esse suspicatus est. Sed nihil aliud cogi potest, nisi Scriptioni, stylo, & orthographiæ sæculi barbariem inesse.

I V.

Isidorus in suam Canonum Collectionem incumbens aliam quoque difficultatem offendit. Manuscripta tres, vel quatuor diversas continebant Conciliorum versiones, quorum Decreta Græce fuerant conscripta. Porro diversæ interpretationes varias sententias aliquando faciebant; ac licet unus sensus esset, sententiæ tamen aliæ longiores, aliæ breviores erant. Id vero Collectorem hunc magnopere conturbabat, ubi ex iis versionibus eam amplecti debebat, quæ aliis anteferenda esset. In quo nullam earum rationem habuit, quarum Auctores ignorabantur. Merlinus, qui Isidori Collectionem dedit, hac ratione utitur, ut, si fieri potest, manuscriptorum, quibus est, vitia & labes occultet. *De difficultate interpretandi.*

Abrahamus Cretensis in Præfatione ad Concilii Florentini Acta commonstrat, difficile admodum, rectam interpretationem exhibere. Cum enim, inquit, „ille, Concilium hoc permulta scientiarum genera complectatur, qui in his omnibus non sit saltem mediocriter versatus, nunquam poterit neque ipse percipere, neque Latinis hominibus explicare, quæ continet. Quis enim non videat, sublimem quamdam Theologiam contineri in his disputationibus, quæ agitantur; utrum scilicet Purgatorium extet, & quid illud sit; utrum Sanctorum animæ suis conjunctæ corporibus æterna felicita-

citate perfruantur; utrum posteriora Concilia OEcumenica possint aliquid vel addere, vel derogare prioribus; utrum Rom. Ecclesia, non ante coacto Concilio Generali, potuerit Symbolo adjicere particulam *filioque*? Quam magni porro momenti sunt quæstiones, quæ ibi discutiuntur? Utrum scilicet, Spiritus Sanctus a Patre solum, non etiam a Filio procedat, ut Græci volunt; aut utrum procedat æque a duobus, ut Romani contra Græcos asserunt; utrum Græcis permissa sit fermentati panis consecratio? De generatione vero Filii Dei, de distinctione personarum divinarum, de earumdem relatione & subsistentiis quis apte disserat, non ante Philosophiæ, & præsertim Metaphysicæ præceptis imbutus? Quis, Dialecticæ, Rhetoricæ præsidiis destitutus, poterit clare & distincte comprehendere vim rationum argumentorumque, quibus Cardinales Julianus, & Bessarion Rom. Ecclesiæ sensa acriter defenderunt? Intimum cujusque verbi sensum percipiat oportet, qui bene vertere velit: neque aliunde, nisi ex non intellecta Græcorum dicendi ratione profectum est, ut in Concilia vel alieni, vel etiam contrarii sensus inducerentur. Cur enim Concilii Francofordiensis Patres tam acriter invecti sunt in definitionem secundi Concilii Nicæni, quæ Sanctarum Imaginum cultum afficiebat? Quia nimirum vocabulum προσκύνησις pro adoratione Deo soli debita acceperunt, cum eo Græci longe diversam adorationem significent. In hunc eos errorem compulit Latinæ Actorum versionis Auctor, qui verbum hoc Græcum reddiderat verbo latino, cui diversa prorsus sententia subest. Si linguam Græcam calluissent, facile, quod in hoc exemplari vitiosum erat, emendassent, Textu originali inspecto, differentiaque detecta, quam Constantinus Episcopus Constantiensis in Cypro in monitis ad Concilium Nicænum constituit inter adorationem, quæ Imaginibus tribuitur, & eam, quæ tribuitur Deo; iidem novissent, septimi Concilii OEcumenici Patres verbum προσκυνέω accepisse potius pro simplici quadam veneratione, quam pro vera adoratione, in hoc imitatos Versionem LXX. qui differentiam hanc insigniter notant. Cum Græca lingua alicujus temporis spatio in Ecclesia Latina pæne extincta fuerit, hinc magna cognitionum confusio etiam inter præstantiores viros exorta est, quæ disciplinam quoque Theologicam occupasset, nisi Conciliorum Patres eandem posteris conservassent in iis dicendi modis, quos in tuenda confirmandaque Fidei veritate adhibuerunt.

Simon notat. ad Apolog. Eccl. Orient. Gabr. Phil.

Collector non potest solus aggredi interpretationem Monumentorum omnium Græcorum, quibus Conciliorum Collectio constare debet. Hinc cogitur aliquando cum aliorum versionibus adsciscere etiam errores, in quos prolapsi sunt, nisi eas primum summa attentione diligentiaque expendat. Romani Conciliorum Generalium Editores inter Concilii Nicæni Acta dederunt Græcam Epistolam Alexandri Episcopi Alexandrini, ex Socrate extractam, cum Versione Christophorsonis, quæ sane non est omnium accuratissima. Ex. gr. hic Interpres verba hæc, τρεπτῆς γὰρ φύσεως ἐστι γεννητὸς, καὶ τρεπτῆς ὑπάρχων, ita vertit: *Nam & mutabilis naturæ factus est & mutablis existit*: omne hujus versionis vitium in eo situm est, quod Christophorson post verbum γεννητὸς posuit comma, quod ante collocari debebat; ita ut græcorum verborum sensus sit, *quippe qui factus sive creatus, ac proinde mutabilis est*. Idem interpres perperam legit verba hæc: πῶς δύναται ἴσος εἶναι; ordo postulat, ut cum Gelasio Cyziceno, & Epiphanio Scholastico legatur πῶς δύναται εἷς εἶναι; quod significat, *quomodo potest unus esse*, & egregie convenit cum sequentibus, τῶν δὲ δι' αὐτοῦ γενομένων, *Horum quæ per ipsum nascuntur*; cum contra ἴσος cum his genitivis convenire non posset. Alterius ejusdem Alexandri Epistolæ versio, Christophorsone interprete, quæ habetur in Romana Conciliorum Generalium editione, & in Collectione Labbæi, non minus, quam prima, vitiis laborat. Non est necessarium notare hoc loco differentiam, quæ extat inter versionem verborum horum Græcorum ab hoc Interprete factam εἰς τὴν προκειμένην αὐτοῖς ἡδονὴν, *voluptates quæ forte se offerunt*, & versionem antiqui Interpretis, *propositam animo voluptatem*; illa enim notat voluptatem, quæ casu se offert, hæc vero voluptatem voluntate concupitam. Sensus horum verborum: μή τις αὐτῶν τολμήσῃ καὶ ταῖς ὑμετέραις παροικίαις ἐπιβῆναι, non: *Ne quis erroris sui vestigia Ecclesiis imprimere audeat*, sed ita potius accipiendus est: *Ne quis vestras quoque provincias invadere audeat*. Aliquando unius spiritus in græca lingua mutatio sensus diversos gignit: lecto αὐτῶν cum spiritu leni, antiquus Interpres hujus Epistolæ, quæ in Theodoreto est, de Arianis intellexit, quæ Episcopus Alexandrinus scribit de Gentilibus & Judæis, quorum laudes cantabant Ariani, concordi animo Jesu Christi divinitatem impetentes. Holstenius pariter contendit, verba hæc γυναικάρια ἄτακτα non esse accipienda pro fœminis effusæ libidinis, sed pro fœminis, quæ vocationis suæ regulas non observant, ut docet S. Paulus in Epist. 1. ad Timotheum; eas, quas Alexander vocat νεωτέρας, in editione Romana perperam dici *tenellas juvenculas*, & in versione Christophorsonis *tenellas meretricias*; verba hæc, ἀξιοῦντα ὑποκρινόμενοι, non significare *veniam petere, præseferre*, sed *animi sui mentem, quidque petant ac pertendant dissimulare*; tandem Verbum λόγος non semper accipi pro ratione fortissima, sed aliquando etiam pro Verbo Æterno, ideoque errasse Interpretem, cum inquit: *Nulla enim ratio vult, ut quod creat ejusdem sit cum creatis naturæ*; cum sensus sit: *Neque enim Verbum quod creat ejusdem cum creatis natura esse dicitur aut statuitur*.

Secunda ex Dissertationibus Holstenii a Valesio ad finem Operum Theodoreti allatis, est de differentia Verborum γενητῶν & γεννητῶν, & de propria eorumdem significatione (horum primum de creaturis, alterum de creatis omnibus intelligi debet) tum de versione verborum τὰ γενητὰ & τὸ ποιοῦν in hæc, *mortalium & gignens*; quo loco ait, cum omnis Arianorum calliditas in verborum confusione sita esset, adhibenda fuisse vocabula, *faciendi & factoris*, quæ magis usitata, magisque S. Scripturæ convenientia essent. Reprehendit etiam istiusmodi dicendi modos *Spiritu adoptionis assumpto, concilium malignantium*, siquidem verbum *assumpto* aliquam auctoritatem notat, & verbum *concilium* male ante verbum *malignantium* collocatum esse videtur. Verbum *accepto spiritu adoptionis* magis cum S. Scriptura convenit: aliud vero verti poterat per *turbam improborum*.

Locus, quo Alexander explicat doctrinam Catholicam adversus Arium, Holstenio videtur non posse prorsus intelligi, vel saltem admodum confusus tum in textu, tum in versione: ex quo putat, textum fuisse corruptum, & Interpretem male vertisse. En textum: οὐδὲ τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις μίαν εἶναι σαφηνίζων Interpretatio, quæ e regione est, ad verbum reddidit: *Neque duas secundum hypostasin naturas, unum esse declarans*. Jam vero videtur, articulus τὰς fuisse positus pro τὴν, sejunctusque fuisse ab adjectivo μίαν, unde sensus existebat probabilis & Catholicus: *Neque substantialiter duas naturas, quæ est una, declarans*. Hinc porro ostendit, verbum ὑπόστασις significare in hac Epistola *proprius subsistendi modus*. Neque solum vocabulum improprie acceptum, aut comma, vel accentus extra locum suum; sed adjectivum etiam adjectum substantivo, quocum non convenit, errores protulit in versione. Ita in hac: *Quandoquidem pater per ipsum, veluti per speculum purissimum idemque animatum, in quo Dei exprimitur & elucet imago manifeste cernitur*, substantivo *speculum* dantur duo epitheta, *purissimum & animatum*, cum Holstenius primum adjectivum referat ad hoc verbum, alterum ad *imago*; *quoniam per ipsum tanquam per speculum sine macula, & veram, sive animatam divinam imaginem ipse etiam pater conspicitur*. Secunda hæc versio, quæ purior est, notionemque pulchriorem exhibet, textui etiam similior, alteri anteferenda est. Ita explicare τὴν γενητὴν φύσιν per *naturam mortalem*, licet verba Græca significent etiam naturam Angelorum creatorum, sed immortalium, & interpretari τῶν λογικῶν φύσις per *natura humana rationisque particeps*, licet peculiari modo Angelos

gelos comprehendant, id vero est nimis contrahere significationem verborum, iisque vim suam omnem adimere. Longe plura similia his animadverti possent: sed hæc satis evincunt, bonam versionem aggredienti plures esse difficultates exhauriendas. Varia hæc vitiorum exempla, quæ in duarum harum litterarum interpretatione observavimus, manifeste demonstrant, *frustra sibi quemquem*, ut animadvertit Bibliothecarius, *veram solidamque polliceri doctrinam, sive in arcanis Scripturæ sensibus eruendis, sive in cognoscendis Conciliorum Patrumque scitis, nisi animum græcis litteris probe excultum afferat: cum earum adminiculo destitutos sublesta interpretum fide seduci, & avios a vero passim exerrare necesse sit.*

Conciliorum Collectori non parum officiunt & obstant densissimæ illæ tenebræ quibus sacra Chronologia adhuc circumsepta est. Amplissimum sane scribenti pars ista aperit campum, sed sensibus spinisque consitum. Nimirum qui Monumenta, quibus constat Conciliorum Collectio, suo unumquodque tempore & anno statuere vult, is argumentum difficile æque ac fastidiosum pertractandum suscipit.

Crabbe, ut aliquam Chronologiæ lucem afferret, in id incubuit, ut firmaret tempus Consulatuum, quibus antiquorum Pontificum Epistolæ plerumque signantur. At, quemadmodum illud fere unum sibi proposuerat, ut animadversiones daret in annos Consulum desumptas ex Cassiodoro, Mariano Scoto, & Haloandro, ita Surius, communem in computandis Pontificum annis opinionem sequutus, priora illa *sustulit, propterea quod cum ea res obscura sit, ex illorum discrepantia multo etiam facta sit obscurior & intricatior.*

Sirmondus, ad cognitionem temporum magis illustrandam, in sua Conciliorum Gallicorum Collectione *Indices* dedit *Principum Romanorum, Burgundionum, Gothorumque, qui ante Francos dominati sunt, & utriusque Regum Francorum familiæ, quarum exitu Concilia sua definivit.*

Eodem consilio Labbæus in suo Apparatu exhibuit chronologicam Pontificum Tabulam, in qua notat cujusque Pontificatus annos, indicem Imperatorum Romanorum, spatiumque temporis, quo quisque regnavit; seriem Regum Ostrogothorum, & Langobardorum, qui Italiam habuerunt; priores ab ann. 476. usque ad ann. 571. posteriores ab ann. 571. usque ad finem sæculi octavi; Indicem Imperatorum Occidentalium a Carolo Magno usque ad nostra hæc tempora; Successionem Imperatorum Orientalium a Constantino Magno usque ad ann. 1453. quo Mahumetus II. Constantinopolim Græcis ademit; & nomina Francorum, qui in Oriente Imperatores fuerunt post Baldovinum ann. 1204. usque ad Philippum ann. 1273.

Non inutile prorsus fuisset, his Indicibus addere chronologicum Regum Francorum Indicem, prout habetur in nova Conciliorum Summa Lugduni edita ann. 1706. in fol. Ad evitanda *σφάλματα*, quæ sæpe occurrunt in Chronologia, conferenda sunt invicem Exemplaria MSS. & impressa cum serie Regum & Imperatorum. Id præstitit I. B. Perez in Conciliorum Hispaniæ Collectione. Postquam enim animadvertisset, Concilia non semper temporum ordine in MSS. Collectionibus esse disposita, tum ipse chronologicam Hispaniæ Conciliorum Tabulam exhibuit. Hæc veluti concordia sive harmonia chronologica magis etiam illustrata fuit ex ea, quam dedit, successione Regum, qui præpotens hoc Imperium usque ad Maurorum irruptionem administrarunt. Ad hoc usus est historia Gothorum ab Isidoro conscripta, quæ ann. 176. incipiens desinit ann. 610. tum compendio historiæ Vandalorum, & Suevorum, eodem Auctore (duo hæc Opera ipsi primos Reges suppeditarunt) præterea compendiaria Vulsæ Episcopi Chronica. Postremum hoc opusculum accuratissimum, & fidelissimum est, ejusque epochæ cum Conciliis adamussim conveniunt. Minuta, quam instituit, ultimorum regnorum descriptio, quorum insigniores eventus in suum quosque mensem diemque confert, eo nos adducit, ut credamus, Auctorem vixisse ea tempestate, qua Saraceni Hispaniam occuparunt.

P. Pagius, cum ad historiæ Ecclesiasticæ claritatem, perfectionemque Chronologiæ notitiam conferre optime intellexisset, dedit Indicem chronologicum Principum, qui præcipua orbis Imperia gubernarunt, Persarum, Visigothorum, Burgundionum, Vandalorum, & Saracenorum, & successionem Regum Francorum primæ Stirpis, qui, post Clodovæum ad fidem conversum, maximam in Ecclesiæ negotiis partem habuerunt.

Cajo Pontificatum ineunte, h. e. ann. 283. Baronius in suis Annalibus Gautier in Tabulis, Sponde in Epitome, Gordon in Chronica, Binius in Conciliis, Coriolanus, & Bail in suis Summis, Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, iique, qui Cardinalis Baronii Chronologiæ adhæserunt, in eo decepti sunt, quod Imperio Probi duos annos ademerunt, & ex Fastis duo Consulum paria sustulerunt, ut cum annis convenirent epochæ communis, a qua recesserant, Christianam Eram incipientes cum quadrigesimo quarto anno Juliano, h. e. duobus annis ante. Id plures Critici observarunt, Scaliger, Decker, Calvisius, Petavius, Boucherius, Bollandus, Henschenius, aliique. Onuphrius Panvinius, quique cum sequuti sunt, annum unum anticiparunt; unumque tantum Consulum par ex Fastis delerunt. Differentiæ hæ ex eo nascuntur, quod Baronii tempore Eræ Christianæ initium non agnoscebatur, nisi a Chronologistis: ita quisque arbitrio suo eam firmabat. Onuphrius in Fastis suis eam conjecit in quadragesimum quintum annum Julianum, & in Consulatum Cossi Cornelii Lentuli, & L. Calpurnii Pisonis; Baronius in quadragesimum quartum Julianum, & in decimum tertium Augusti Cæsaris, & M. Plautii Silvani; alii in alios annos. Scaliger omnium primus, ope Periodi Julianæ, cujus Inventor est, Cyclorum Solis & Lunæ, Indictionis, aliorumque docuit, primum Eræ Christianæ annum convenire profecto cum quadragesimo sexto Juliano, & cum consulatu Caji Cæsaris & L. Æmilii Pauli. Baronius, qui in hunc duorum annorum prochronismum lapsus est, eundem continuavit a quadragesimo quarto anno Juliano usque ad ann. Christi 249. Decii Imperatoris tempore. Post id tempus usque ad ann. 280. qui est quintus Imperii Probi, chronologiam vehementius perturbavit; ubi enim Imperatori Decio duo tantum tribui possunt ordinarii Consulatus, tertius vero subrogatione, ubi Imperator Philippus sextum suum Consulatum tantummodo incæpit, Gallus vero & Volusianus duos tantum annos Consules fuerunt, is tres Consulatus ordinarios Decio assignat, septem Philippo, & quatuor Imperatoribus Gallo & Volusiano. Sed in eo Annalium suorum loco, ubi de factis agit ad Decii Imperium pertinentibus, deprehendit, computationem suam tribus annis differre ab Era Christiana, suppressisque tribus Consolatibus, coactus fuit remedium afferre prochronismo, quem invexerat in suam Chronologiam. Quemadmodum autem non potuit ex Fastis tollere tres hosce Consulatus, nisi pari annorum numero pariter sublato, evenit, ut post ann. 280. quo congruit cum vera Era Christiana, reliquæ Epochæ, cujusmodi sunt Olympiades, Epocha Antiochi, Era Seleucidarum, aliæque, quæ usque ad hoc tempus nullam in iisdem Annalibus perturbationem passæ fuerant, duobus annis diminutæ sint.

Pagius Baronium emendavit, tum translato in ann. 222. quod hic Annalium Scriptor ad ann. 224. retulerat; tum suppressis duobus annis, quos male adjecerat; tum restitutis juxta antiqua Monumenta, doctorumque observationes Fastis Consularibus, quos Baronius vehementer perturbaverat, multos non suis annis eventus attribuens; tum prope Consulum nomina in Fastis notando, utrum primum, secundum, tertium, vel quartum Consules essent; tum datis magna diligentia nominibus Consulum, qui tam in Oriente, quam in Occidente post Imperii divisionem creati fuerunt; tum numeratis Cæsaris consulatibus ab initio Imperii Tiberii; tum firmatis Quinquennalibus, aliisque Festis, quæ obtinebant apud Romanos; tum adjectis in Fastis Consulibus Rom. Byzantii vel Orientis Consulibus, qui, cum difficile in or-

in ordinem redigi possent, in omnibus Chronicis praetermissi fuerant; tum qua majore potuit cura & attentione restituta Imperatorum Chronologia, qua Ecclesiastica Chronologia innititur; tum denique reformata chronologia Pontificum, qui primis Ecclesiae saeculis vixere; in quo Baronius se ipsum saepe decepit. Praestantissimus Cardinalis ex Chronicis Eusebii, & ex D. Hieronymo historias eduxit praecipuarum rerum, quae quatuor fere saeculorum spatio in Ecclesia contigerunt: sed eas aliquando citat contra illorum sententiam, eventus aliquot iis adscribens Christi annis, quibus illi nequaquam adscripserunt. Ut id clarius fiat, observandum est, Eusebium Chronologiam suam incipere ab Abraham; eumdem pariter, & D. Hieronymum annos incipere a Kalendis Octobris, annisque cujusque Imperatoris eum etiam adjicere, quo mortuus est (ex. gr. Julio Caesari dant annos quinque, licet non is regnaverit annos quatuor, & menses septem) ita ut primus Successoris annus non nisi mense sequentis Octobris incipiat. Ita computatio per annos Imperatorum facile potest in errorem inducere, induxitque reapse plures Historicos, qui non satis attente Eusebii computationem animadverterunt. Ut vero scias, in quem annum Eusebius, D. Hieronymus, & Idacius, qui eorum Chronica continuavit, retulerint quodlibet factum, cujus temporis cognosci vult, confugiendum tibi est ad methodum a Pagio propositam in sua Dissertatione *De Periodo Graeco-Romana num.* 78. &c.

Ad Chronologiam primorum Conciliorum plus praesidii habetur a Socrate, quam a Theodoreto; primus enim nullum memorat Concilium Generale vel Particulare, in quo aliquid alicujus momenti actum sit, quin ejusdem celebrationem firmet ex Consulatibus, qui sunt temporum certior nota; alter vero nullam in toto Opere Epocham signat.

Chronologia Pontificum pars est Ecclesiasticae Historiae admodum necessaria; magnam pariter affinitatem habet cum Conciliorum Chronologia; quid enim certi esse possit quoad Epocham variorum Monumentorum, quibus Collectio constat, nisi certa habeas tempora, certoque scias, quando inceperit, & finierit, quotque annos Pontifex quique regnaverit? Magni interest ad continuationem Traditionem percipiendam nosse successionem non interruptam Pontificum & Episcoporum illustriorum, quos Antiqui nobis fideliter conservarunt. Verum quidem est, statui certo non posse, quanto tempore Pontifices, qui primis Ecclesiae saeculis vixerunt, Pontificatum occupaverint. Sed id eo facilius ferendum est, quod eorum fere nulla nobis monumenta supersunt. Quod ad sequentes Pontifices attinet, confugiendum est ad illorum Vitas, quae supersunt. Illud vero longe calamitosius, quod omnes Anastasii, vel Libri Pontificalis Editiones, quae hactenus prodierunt, ita sunt mancae & imperfectae, ut Fabrotus, cui postremam debemus, ingenue confessus fuerit, Opus hoc erroribus scatere. Idem Auctor Editionem suam ipsam ita parum probabat, ut libenter monuerit, idcirco se variantes Pontificalis collegisse, ut inde Sapiens aliquis ad aliam emendatiorem exhibendam excitaretur. Incubuit huic Lucas Holstenius: Schelstratus autem nobis dedit primas Vitas usque ad Felicis IV. recognitas & emendatas ad quatuor, vel quinque authentica MSS. at, quemadmodum in hoc Pontificali nihil numeris perturbatius est, neque MSS. satis ad eos stabiliendos conferunt, ita necessario recurrendum est ad varios Pontificum Catalogos variis temporibus extractos, ut certa habere possimus, quae Auctor scripsit de hoc Libro, qui saeculo tantum decimo quarto Anastasio adscribi coepit. P. Pagius in sua Critica ad Annales Baronii, decem edidit Pontificum Catalogos, ex Colberti & Thuani Bibliothecis extractos, supplevitque ad marginem Jesu Christi annos, nominaque Pontificum, quae omissa fuerant.

Atque hoc loco animadvertam, quaenam attentio adhibenda sit inscriptis diebus Epistolarum Pontificum, quae Conciliorum Collectionibus insertae sunt, illudque examinabo, utrum ex falsitate inscriptorum dierum etiam falsitas harum Epistolarum continuo inferenda sit. Id objicitur contra Epistolam Joannis I. Papae ad Episcopos Italiae. Dies inscriptus adulterinus est, inquit Dupin; ergo, inquit idem, etiam Epistola adulterina est. Ea data est, ait, Coss. Maximo & Olibrio. Ille Consul erat ann. 523. hic ann. 526. simul nunquam. Putant quidam, se erroris causam deprehendisse, ex eoque objectionis levitatem ostendunt. Laudatus Papa duas Epistolas scripsit ad Episcopum Zachariam, paucis mensibus post electionem suam, primam mense Octobris ann. 523. datam Consule Maximo; alteram vero, cum carcere detineretur, mense Maji ann. 526. Consule Olibrio. Qui mox hasce Epistolas descripserunt, unum tantum in qualibet Consulem reperientes, fortasse errorem hic latere arbitrati sunt, cum duo Consules cuique anno ex more apponerentur. Ut hunc, sicut putabant, errorem removerent duos hosce Consules conjunxerunt, duasque hasce litteras in unum annum contulerunt, non animadvertentes, Maximum, & Olibrium fuisse Consules tribus annis alium post alium, utrumque sine Collega. Haec Amanuensium σφάλματα ita communia sunt, ut qui aliquantum in historia antiquisque MSS. versati, facile possint remedium afferre.

Ex his facile apparet, quantum falsa Chronologia perturbationem afferat. Id Gerardus Joannes Vossius explicat hac comparatione: „ Si ordo gestorum foede conturbetur, ne illa quidem, quae „ videre nobis videmur, magis cernimus, quam „ eximiam & ab omni orbe laudatam corporis „ humani fabricam conspiceremus, solum oculorum aciem defigentes in monstrosam hominis „ picturam, in qua venter pectoris, pectus capitis, brachia pedum occuparent locum. E contrario autem, ubi se extulerit aureum temporum jubar, pulsis tenebris plusquam cimmeriis, „ clara omnia luce vestiuntur; inque formoso „ corpore omne membrorum decus apparet: atque „ hoc est serenum ac splendidum illud lumen quod „ in historia exigamus. „ D. Chrysost. in 2. Homilia ad illa verba Prophetae Oseae, *Vidi Dominum*, animadvertit; „ quemadmodum, termini finesque in agris fundos misceri non patiuntur; „ ita & tempora res invicem confundi non sinere. Verum ab invicem ea separantia & secundum debitum ordinem ea disponentia, magna „ confusione nos liberant. „

Licet omnis cura & diligentia adhibeatur, ut ordine Monumenta quaeque collocentur, id tamen difficile obtineri potest. Si quorumdam tantum Conciliorum Opuscula colligenda essent, veluti eorum, quae habita sunt post Concilium Tridentinum vel Constantiense, certus in iis ordo servari posset; nullo errandi metu; praesertim cum Annalistae, qui facta scribunt optime sibi cognita, & a suis non valde remota temporibus, ea accurate disponant. At vero in ordinem eodem modo digerere, quidquid uspiam extat antiquorum Monumentorum, quorum saepe tempora nonnisi aliqua conjectura cognoscuntur, & quorum pars maxima prorsus ignoratur, id fieri nullo modo potest.

Cum proxime elapsi saeculi praestantes viri summa cura & contentione curassent, ut Eclipses, quarum notitia habetur, computarent, ut tempora in Periodo Juliana firmarent, ut Epochas omnium nationum, earumque diversa annorum, mensiumque genera ad nostram numerandi rationem redigerent, ut examinarent antiquorum Marmorum & nummismatum inscriptiones, ut omnes inscriptos dies, qui in Historiis, Fastisque Consularibus reperiuntur, secum invicem conferrent, inde factum est, ut Chronologia ad illud, in quo nunquam antea fuit, perfectionis fastigium perveniret. Inter caeteros magna debetur gratia P. Pagio, qui in reformandos Baronii Annales, & quidem feliciter, incubuit.

VI.

Geographiae Episcopalis cognitio in eo necessario requiritur, qui Conciliorum Collectionem aggreditur. Nunquam sane intelligas, cur quidam Episcopi *De difficultate in facto Geographiae.*

scopi quibusdam Conciliis interfuerint, quibusdam Primatibus & Metropolitanis in ordine Ecclesiastico subjecti, nisi ante cognoveris, quanam in Provincia vel Metropoli siti essent illorum Episcopatus. Ita non comprehensa cujusque Dioecesis amplitudine, neque recte comprehendi possunt disceptationes, quæ sæpius inter Episcopos, atque etiam Patriarchas de eorumdem jurisdictionis finibus exortæ sunt.

Alia etiam Conciliorum Collectori subeunda est difficultas, cum indicandæ sunt Sedes, quæ prætermissæ fuerunt in subscriptionibus Episcoporum, in Conciliis, vel aliis Monumentis. P. Garnerius sæpius decepit, ubi voluit eorum Sedes demonstrare, qui Synodi Carthaginiensi, & Milevitanæ ann. 416. coactis interfuerunt. Vir enim cæteroquin doctus (ut ostendit Cardinalis Norisius in Epistola ad Antonium Magliabecchium edita in Collectione, quæ inscribitur *Appendix Augustiniana*) plures commiscuit Episcopatus, pluresque Episcopales Urbes, quæ, licet ejusdem nominis sint, tamen inter se differunt, emendandasque suscepit Ecclesiasticas Eusebii Tabulas in iis locis, in quibus nullus error apparebat. Holstenius, licet exquisitæ vir eruditionis, in plures tamen Geographiæ errores prolapsus est, confingens pro ingenio Episcopatum *Vicus Nigras*, quem collocat in sinu Hispaniæ Gaditano, legensque *Duassedemsai* pro *duarum Senemsalsum*, *Felicianiatensis* pro *Feliciani Utinensis*, & *Vivensis* pro *Vinensis*. Quemadmodum Epistolæ Concilii Carthaginiensis, & Concilii Milevitani Collectionum Conciliorum partem constituunt, ita breviter percurram, quæcumque alicujus momenti in Cardinalis Norisii Observationibus extant. Hic igitur P. Garnerium accusat, 1. quod plures Urbes confuderit, veluti *Culusita*, *& Curobis*, *Bazaradidaca*, *& Marazana*, *Membreza & Memblosita*, *Zigga & Zella*, *Simidicca & Simittu*, *Urinuna*, *& Visina*, *Zentensis & Zamensis*, *Zama & Zumma*, *Municipium Mopta*, quod est in Mauritania Sitifensi, & *Municipium* Numidiæ Urbs; *Suavensis & Sugus*, *Scyllita* Numidiæ & *Scyllita* Proconsularis, *Tucca* cum *Tunca*, tandem *Ginesita* cum *Gisipa*.

2. Quod legerit *Tubinia* pro *Tubuna*, Mauritaniæ Cæsariensis, ut scriptum est in Notitia, & in D. Augustino. Quod legerit *Thurzitensis* pro *Turuzitensis*, nomen Episcopatus, quem Conventus Carthaginiensis dat Serotino, idque deduxerit a Thurda Urbe, quam Ptolomæus Thurzam appellat, collocatque in Byzacena prope Adrumetum, cum potius nomen illud descendat a Thurusita, Urbe in Proconsulari sita, idemque derivaverit *Cucuitana* a *Cucua*.

3. Quod mutaverit Urbium nomina, veluti ejus, quæ dicta est *Drusilianensis*, vel *Diomisianensis*; quod item mutaverit nomina Episcoporum, *Procuianus* & *Ambivius* vel *Ambibius* in *Proculus* & *Timianus*; *Rusinianus* vero *Muzuensis* in *Rufianus Maxensis*.

4. Quod eodem tempore duos ejusdem nominis Catholicos Episcopos dederit eidem Urbi, veluti *Trabaca* duos *Rusticianos*; *Stillita* duos *Faustinos* *Abzirita* vel *Abdera*, *Fructuosum* & *Candidum*, cum Fructuosus tantum esset Episcopus; Candidus vero esset in Episcopatu, qui dicebatur *Abbirita*, quod pariter distinxerit Cirtam & Constantinam, veluti Urbes inter se diversas, in iisque collocaverit duos Episcopos nomine *Fortunatos*.

5. Quod in Carthaginiensi Concilio ann. 416. posuerit Felicem *Visicensem* pro Felice d'*Aptunge*; in Concilio vero Milevitano tres Episcopos nomine *Faustinos*, qui nonnisi a Garnerio cognoscuntur.

6. Quod transtulerit unius Provinciæ Urbes in aliam; ex. gr. quod in Proconsulari locaverit *Ressianensem*, quæ Numidiæ est, & *Muzucensem*, quæ est in Byzacena, cum *Muzulensi* confuderit: quod posuerit in Numidia *Tubiensem*, quæ est Episcopatus Mauritaniæ, & *Sitifim*, quam appellat *Simistu*, quæ est in Mauritania, & *Titulum*, quod est in Proconsulari; tandem quod *Megalopolim*, quæ est in Peloponneso Europæ, sumpserit pro *Meglapoli*, Africæ Urbe.

Illud etiam in eo reprehendendum, quod in Concilio ann. 418. & 419. celebrato statuerit Episcopum Siccæ nomine *Fortunatianum*, cum ex Epistola Concilii Africani ad Bonifacium Papam ann. 419. certum sit, Siccæ Episcopum tum temporis appellatum fuisse Urbanum; item quod inter Episcopos, qui ann. 411. Carthaginiensi Conventui interfuerunt, retulerit Adeodatum *Simithu*, cum eo tempore hujus loci Episcopus *Benenatus* fuisset; præterea quod Possidii ordinationem contulerit in illud tempus, quod annum 494. antecesserat, cum fuisset Celamæ Episcopus ordinatus anno 397. Tandem idem Marii Mercatoris Editor facta, quæ profert, infirmis aliquando rationibus tuetur, eaque ut probet, iis etiam auctoritatibus utitur, quæ aperte contrarium evincunt. Ita, ut ostendat, Tamugadam & Thevestem proximas Urbes esse, Lectorem remittit ad Itinerarium Antonini, in quo maxime distant, & duobus annis ante collocat Epocham Concilii Cirtensis, illud afferens ann. 303. Plerique allati errores inde profecti sunt, quod Garnerius sibi falso persuasit, Episcoporum nomina non fuisse fideliter relata in Exemplaribus Conventus Carthaginiensis, eaque reformanda suscepit ex Inscriptionibus Conciliorum Carthaginiensis & Milevitani ann. 416.

Pater le Quien in novo Opere inscripto, *Oriens Christianus*, quod daturus est una cum accurata Africæ descriptione, profecto argumentum hoc non mediocriter illustrabit. Verum quemadmodum hæc Geographiæ sacræ pars est maxime obscura & involuta, operæ pretium duxi ea Opera indicare, unde aliqua ejusdem cognitio peti potest. Dupin, in editione Operum Optati Milevitani, initio statim dedit Sacram Africæ Geographiam, in qua notat ejus situm, divisionem, diversosque modos, quibus accipi potest. Idem Editor ostendit, quæ dicebatur Africæ Dioecesis, eam juxta Mediterranei oras post Oceanum Atlanticum usque ad magnam Syrtem fuisse porrectam, quatuorque comprehendisse Provincias, scilicet duas Mauritanias, Numidiam, & Zeugitanam; postremam hanc mox iterum divisam in tres alias Provincias, scilicet Proconsularem, Tripolitanam, & Byzacenam; rursus hanc postremam fuisse institutam Constantini tempore; licet mentio fiat pluraliter de Numidiis in hujus Imperatoris Epistola ad Ablavium, Arelatense Concilium afficiente, inde tamen cogi non posse, in Africa plures hujus nominis Provincias extitisse diversis Primatibus subjectas; anno demum 397. Mauritaniam Sitifensem transiisse in Provinciam Ecclesiasticam, ab aliis sejunctam; imperante Theodosio ante ann. 519. fuisse in Africa sex Provincias, suum quamque Primatem habentes (eæ vero erant Proconsularis, Numidia, Byzacena, Tripolitana, Mauritania Sitifensis, & Mauritania Cæsariensis) Mauritanam Tingitanam fuisse Hispaniæ conjunctam, quoad civilem administrationem; quoad reliqua ad Africam fortasse pertinuisse; in Africa, ubi suum quæque Provincia Primatem habebat (ita enim Metropolitanus dicebatur) Metropolim Ecclesiasticam non fuisse, ut alibi, Metropoli civili annexam; sed auctoritatem Metropolitani antiquiori Provinciæ Episcopo fuisse delatam, excepta Sede Carthaginiensi, quæ non solum erat perpetua Provinciæ Proconsularis Metropolis, sed prima etiam inter omnes Africæ Ecclesias, in quas Episcopus Carthaginiensis peculiarem quoque auctoritatem exercebat, habitus ab omnibus tanquam Primas, Exarcha, &, ut ita dicam, Patriarcha; ejus fuisse, convocare Concilia, iis præesse, dictare Epistolas, quæ ibi scribebantur, iisdem subscribere omnium nomine, excipere provocationes, quæ ab aliarum Provinciarum cœtibus interjiciebantur, invigilare legum Ecclesiasticarum observationi, Fideique conservationi tota Africa, Paschatis Festum denuntiare, & Provincias omnes invisere. In hac Geographica descriptione definitur situs cujuslibet septem Africæ Provinciarum, & ostenditur, magnam in iis vixisse multitudinem Fidelium & Episcoporum, qui oppidis vicisque includebantur; ibi Ecclesias fuisse frequentes, donec, Romanis a Saracenis expulsis, eo redactæ sunt, ut Gregorii VII. tempore in hac amplissima Orbis parte vix tres Episcopatus

extiterint, ut apparet ex quadam ejusdem Papæ Epistola. Dupin demonstrat situm Carthaginis, & Episcopos, qui hanc Ecclesiam administrarunt ab Agrippino usque ad Primosum: post hunc pauci admodum cogniti. Notat, se reperisse 690. Sedes in Africa; scilicet 136. in Proconsulari, 155. in Numidia, 135. in Byzacena, 135. in duabus Mauritaniis, in Sitifensi 46. & quinque in Tripolitana, cum 78. aliis, quas cuinam Provinciæ tribuendæ sint, ignorat. Ait præterea, non potuisse se certo dare, nisi situm 257. Episcopatuum, qui stellula notantur in Tabula, in qua Sedes enumerat per Provincias distributas; unde apparet, non esse in Charta conquirendas, nisi eas, quæ certam positionem habent.

Duæ illæ Chartæ, in quibus Gerardus Mercator Africam & Mauritaniam descripsit, eaque, quam Ptolomæus & Ortelius in varios Auctores condidere, vix sufficiunt ad cognitionem Historiæ Civilis & Ecclesiasticæ hujus nationis leviter prægustandam, Nicolaus Samson & Philippus Briet, qui Rom. Imperium descripserunt, Africæ quoque partem comprehenderunt. Petrus Duval Chartam confecit, in qua Africanum Cæsaris bellum explicavit: sed quantum hæc omnia conferunt ad antiquum Ecclesiæ Africanæ statum cognoscendum? Carolus a S. Paulo operam in hoc suam utiliter contulit.

Opus sane arduum ac difficile ob ingentem Episcopatuum numerum, qui tam sunt obscuri & incogniti, quam ea ipsa loca, in quibus positi sunt; adeo ut, si quis Episcopalium Sedium omnium situm indicare velit, vix fieri possit, ne decipiatur. Etenim nomina oppidorum populorumque fere omnia depravata fuerunt: ipsa illorum enunciatio difficillima; apud Romanos etiam diversa. Hæc nominum immutatio depravatioque ex Amanuensium etiam inscitia profecta est. Qui igitur ea recte describas? nulla, quæ maxima requireretur, Punicæ sive Africanæ linguæ cognitione. Pauci præterea admodum sunt Auctores ii, qui, quænam bona, quænam vitiosa pronunciatio sit, commonstrare possint. Hinc factum est, ut Recentiores ex una plures, unamque ex pluribus Urbem confecerint, eo quod nomina vel diversa, vel fere similia præseferrent. Sed in Africæ descriptione illud omnium difficillimum est, quod Episcopatus plerique non ex nomine Urbium substantivo, sed ex adjectivo a substantivo deducto cognoscuntur. Hæc autem nomina, quæ fere omnia barbara sunt, cum inter se parum analoga sint, difficile admodum est tunc substantivum nomen definire; quod tamen necessario fieri debet, ubi Episcopatus isti in Chartam referendi sunt. Carolus a S. Paulo dedit quidem nomina hæc substantiva, sed in eo reprehenditur, quod aliquando suasmet conjecturas sequutus sit, neglectis præstantiorum Auctorum tum antiquorum, tum recentium testimoniis; ex. gr. Episcopatus *Agensis* dictus, videtur ipsi deductus ex *Aga*, licet alibi reperiatur *Agensis*, sive *Aggia*; Episcopatus vero *Coviensis* ex *Covio*, licet alii deducant ex *Coba*, de quo fit mentio in Geographo Anonymo Ravennatensi. In antiquorum Scriptis substantiva inveniuntur nonnullorum Episcopatuum nomina, sed admodum pauca. Quod spectat ad reliqua, quorum adjectiva tantum nomina habemus, difficile admodum est, ut supra dixi, eorum substantiva deprehendere. Alia oritur non contemnenda difficultas ex eo, quod Ecclesiastici, Profanique Scriptores de Episcopalium Urbium situ diversa sentiunt, cum alii huic Provinciæ Urbes adscribant, quas alii alteri tribuunt; ex. gr. Episcopatus dicti *Milensis*, *Idicrensis*, *Cuiculitanus*, quos Notitia Ecclesiastica Numidiæ Provinciæ tribuit, ab Antonino collocatur in Mauritania sub nominibus *Mileum*, *Idicra*, *& Cuiculum*. Idem in Numidiam confert. *Trabaca*, *Simitta*, *Bulla Regia*, *Sicca Veneria*, *Altiburum*, *Ammedera*, aliasque Urbes, quas Notitia in Proconsulari locat. Igitur vel horum aliquis fallitur, vel Ecclesiasticæ Provinciæ civilibus non prorsus respondent.

Nicolaus Samson non edidit Notas suas ad Carolum a S. Paulo, in quibus conqueritur. Auctorem hunc plurimos Episcopatus omisisse; nonnullos etiam in plures divisisse; 300. amplius nomina deformasse; non retulisse in Tabulam suam, nisi 172. Episcopatus, cum 300. amplius exhibere potuisset; vix sex, vel ad summum septem recte esse locatos; reliqua omnia confusa & perturbata. Holstenius, Garnerius, Cardinalis Norisius, Ruinartius, & Balutius ex collatis MSS. Auctoribusque Ecclesiasticis nomina emendarunt, plurimaque obscura loca illustrarunt. Auctor ejus Africæ Chartæ, quæ est in Editione Dupin, omnia collegit, quæcumque Geographi Pomponius Mela, Strabo, Ptolomæus, Itineraria, Geographus Ravennatensis, Historici, veluti Polybius, Sallustius, Hirtius, Ammianus, Procopius, Arabes, veluti Abulfeda, & Geographus Nubiæ, recentiores Auctores Joannes Leo, Livius Sanutus, aliique in hoc rerum genere conscripserunt. *De l'Isle.*

Itinerariorum terrestrium & maritimorum præsidio facile fuit cognoscere situm Urbium, quæ mari alluuntur, vel indicantur parvis quibusdam lineis in Africæ Charta, quæ novæ editioni operum S. Optati præposita est. Dupin jure putat, reliqua loca, licet parum cognita, non tamen inutile esse collocare in Chartis; siquidem eruditi Lectoris oculis objecta, nonnullas ipsi excitabunt observationes, quarum ope & auxilio verum eorumdem situm exhibere fortasse poterit. Sed & quædam referendæ sunt urbes, quæ doctorum virorum conjecturis ansam præbuerunt, licet incertum sit, utrum eæ fuerint Episcoporum Sedes. In obscuris vel minima notitia æstimanda est. Ut ne Urbes multiplicentur, quemadmodum quibusdam contigit, & ut earumdem vera nomina reperiantur, animadvertendæ sunt variæ lectiones, quas ferunt Mss. & analogia sequenda est. Hinc Dupin, in fronte operum Optati, datis nominibus, quæ Africæ Urbibus convenire putavit, Tabulam etiam exhibuit eorum, quæ alibi deprehenduntur. Africæ Charta a Del' Isle confecta Africam nobis exhibet eo statu, quo tunc erat, cum exeunte sæculo IV. & V. ineunte, Donatistarum hæresis late grassabatur (erat ea tunc temporis in sex vel septem Provincias divisa) docet etiam, quo eadem statu fuerit, cum ejus Ecclesias Populosque Vandali immaniter vexarunt, diripuerunt. Postrema hæc Auctor respexisse videtur, cum una cum Africa Insulas Baleares conjunxit, quæ ejusdem pars erant; siquidem illæ etiam cum Africa Vandalorum rabiem furoremque senserunt. Non potuit tamen in his Insulis Sedes Episcopales certo denotare, siquidem eæ prorsus ignorantur, neque stabilem fortasse in iis Episcopi sedem habebant. In hac Charta Metropoleon civilium nomina litteris regiis conscripta sunt; Urbes alicujus Concilii celebratione, vel alio peculiari facto nobiles, quarum situm Geographus non potuit certo indicare, sunt *Nova Cæsarea*, *Macriana*, *Juncus*, *Tunona*, *Casæ nigræ*, *& Vita*. Postremæ hujus situm Carolus a S. Paulo firmare voluit, sed nulla probabili auctoritate nixus. Non observat, quod verisimile est, quicumque nova nomina antiquis urbibus imponit, ut egit recens quidam Auctor, qui Algerium appellat Episcopatum Cæsareæ in Mauritania; cogimur tamen & id aliquando facere; omnia vero antiqua nomina vix sciri possunt, cum harum regionum status nostris temporibus parum admodum cognoscatur.

Dubitari non potest, quin magnus Episcoporum numerus in Africa fit. S. Cypriani tempore, quo plura celebrata fuerunt de rebaptizatione Concilia, habentur 70. & 80. Episcoporum conventus. Sub Donato ejus antecessore 90. Episcoporum Concilium hæreticum Privatum condemnaverat. Ex Actis Conventus Carthaginiensis apparet, Africæ Episcopos fuisse numero 470. Quadringenti & quinquaginta hujus Regionis Episcopi ab Hunnerico in exilium pulsi sunt. Africa ab Imperatore Justiniano iterum Vandalis adempta, Ecclesia etiam eandem, quam primum habuerat, formam recuperavit, suorumque Episcoporum numerus adhuc maximus extitit, ut colligitur ex duabus Synodicis Epistolis, quæ recitatæ fuerunt in Concilio Lateranensi sub Martino I. celebrato. Harum priori subscripserunt quadraginta sex Episcopi Byzacenæ; posteriori sexaginta novem Episcopi Provinciæ Proconsularis, *Concil. Labbi tom. 6. col. 136. & 147.*

Licet

Licet ad firmandum stabiliendumque Episcopatuum Africæ situm Crabbe incredibili attentione quatuor vel quinque Mss. Exemplaria consuluerit; licet idem Collector usus fuerit Ptolomæo, Plinio, Strabone, Antonino, Solino, & *omnium diœcesium Christianitatis catalogo Romæ tempore Innocentii IV. Papæ*, medio fere sæculo XIII. *ab Ecclesia recepto*, idem tamen sibi ignosci vult, *si non sint singula adamussim restituta*.

Sirmondus antiquæ Galliæ Geographiæ cognitionem non inutilem existimavit, eaque credidit Concilia posse illustrari, siquidem initio Collectionis suæ *Notitiam Provinciarum Civitatumque Galliæ proposuit*.

Labbæus in proposito Collectionis suæ Conciliorum ann. 1661. edito dedit Geographiam Synodicam, in qua notantur nomina latina & gallica Provinciarum, Urbium, locorumque, in quibus Concilia habita sunt. Hæc alphabetica Geographia amplior est, quam Geographicus Conciliorum omnium Index, quem edidit ann. 1646.

Idem Collector in suo ad Concilia Apparatu edidit Compendium Geographiæ Episcopalis ordine regionum, initio ab Italia ducto. Quemadmodum Papa non solum totius Occidentis Patriarcha & Ecclesiæ universæ Caput, sed etiam Romæ Archiepiscopus est, ita primum apud Labbæum locum obtinet. Ejus præcipui suffraganei sunt Cardinales, qui Episcopatuum Romæ propinquorum titulos habent. Ex Notitiis Patriarchatuum & Episcopatuum totius Christiani orbis, quæ impressæ fuerunt ex Mss. Bibliothecarum Regiæ, & Thuanææ, & ex Provinciali Ecclesiarum omnium, ann. 1503. edito ex Ms. Apostolicæ Chancellariæ, apparet, fuisse alias in Italia Episcopatus, qui vel Suppressi, vel aliis adjuncti non amplius existunt. Labbæus persequitur deinceps Siciliam, Sardiniam, Galliam, Hispaniam, Insulas Britannicas, Germaniam, Daniam, Sveciam, Poloniam, Hungariam, Dalmatiam, tum circumjacentes Provincias, & Insulas Mediterranei, Græciam, Italiam, Ægyptum, Africas, & geminas Indias; post hæc dat antiquæ Geographiæ Episcopalis Appendicem, in qua breviter habentur veteres Ecclesiarum Metropolitani cum suis suffraganeis usque ad septimum, octavum, & undecimum sæculum. In eodem Apparatu habentur nonnullæ Alphabeticæ Tabulæ Conciliorum, quæ in diversis Christiani Orbis partibus celebrata fuerunt; præterea brevis locorum Notitia cum Chartis Geographicis.

P. Carolus a S. Paulo Abbas & Generalis Magister ex reformato ordine S. Bernardi, Arausicanus Episcopus designatus, ann. 1641. publice edidit Geographiam sacram, sive Notitiam veterum omnium Sedium Patriarchalium, deductam ex Conciliis, Patribus, historia Ecclesiastica, & antiquis Geographis. Mortuo S. Gregorio, multa in Ecclesia ex novorum Episcopatuum institutione immutata fuerunt in causa, cur laudatus Auctor animadversiones suas non ultra sæculum sextum protraheret. Ejus Opus ornatur decem Chartis Geographicis, quæ quinque exhibent Patriarchatus, & quasdam regiones scitu inprimis dignas, veluti Italiam, & Illyrium Occidentale, Africam, Gallias, Hispaniam, & Illyrium Orientale. Sequutus autem est eum ordinem, qui servatus fuerat ab Imp. Constantino, Theodosio, Arcadio, & Honorio in descriptione Magistratuum Imperii; & exorsus a Romano Patriarchatu, ob oculos ponit eas ibi comprehensas Urbes, quæ Exarchas, Primates, & Metropolitanos habuerunt; percurritque suffraganeos Episcopatus diversarum Metropoleon sitos in Italia, Illyrio Occidentali, Africa, Galliis, Illyrio Orientali, & Hispania: tandem accurate describit Patriarchatus Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Jerosolymitanum.

Holstenius, ad hujusce Operis illustrationem & incrementum, eruditas Notas confecit, ann. 1666. editas studio Cardinalis Francisci Barberini. Hæ vero cum raræ admodum evasissent, le Clerc in nova hujus Geographiæ sacræ Editione easdem protulit ad paginarum finem, ne sejungerentur ab iis locis, ad quos pertinebant: ex his Notis, & ex accuratiore Charta Angliæ, quæ in antiqua editione non sejungebatur a Galliis, fit pretiosior ea Tabula, sive charta, quam publici juris fecit doctissimus le Clerc.

Carolus a S. Paulo, ad calcem suæ Geographiæ, dedit nonnullas antiquas Ecclesiasticas Notas ex Bibliothecis Vaticana, Regia, & Thuanæa deductas.

Beveregius Anglus, inter suas ad Canones Notas in fine secundi Voluminis Pandectarum, publice edidit Notitiam Ecclesiasticam ex Bibliotheca Bodley deductam, quæ quinque continet Patriarchatus, & Metropoles, & Episcopatus, qui inde pendent. Carolus a S. Paulo, in fine Geographiæ sacræ, ejusdem ante illum dederat editionem, a qua aberat Romæ Patriarchatus una cum dimidio Patriarchatus Jerosolymitani Præterea Diœcesis Orientis Patriarchæ Antiocheno subjecta non distinguebatur ab Ægypto Patriarchæ Alexandrino subjecto; tandem tres, Patriarchatus Antiochenus, Alexandrinus, & Jerosolymitanus non nisi summa confusione describebantur. Notitia isthæc fert annum 6391. qui juxta Eram Græcorum historicam est annus Jesu Christi 891. & sextus Imperii Leonis, cui cognomentum Sapiens. Idem Beveregius in lucem dedit peculiarem Notitiam earum Metropoleon, quæ Patriarchæ Alexandrino subjectæ erant, collectam ex Eutychii scriptis sæculo decimo a Josepho Ægyptio; siquidem ea reperitur initio ejus Paraphrasis Arabicæ in Canones. Ordo in hac Notitia servatus differt ab ordine, de quo jam dixi, cum Ecclesiasticæ Civilesque res mutatione temporum & ipsæ immutentur. Abbas Renaudotius Notitiam hanc luculenter explicuit. *Histor. Patr. Alex. tom. I*

Schelstratus ad finem Tomi secundi illustratæ Antiquitatis dedit Appendicem, quæ plures continet antiquas Notitias Ecclesiæ & Imperii, deductas ex pluribus Mss. divisam in 27. Articulos, quos hic singillatim enumerare non erit inutile.

1. Est Dissertatio de Rom. Imperii in Provincias divisione.

2. Descriptio locorum sanctorum deducta ex Ms. Reginæ Sveciæ.

3. Nova editio Itinerarii Antonini emendata ad Ms. Vaticanum.

4. Geographica Expositio totius Orbis, Nationumque, quæ in Orbe continentur. Opusculum hoc multo ante fuerat editum Græce una cum duabus versionibus, Indice Topographico, & Notis, inter Opuscula Jacobi Gothiffredi, Genevæ impressa an. 1628. Id autem deduxerat ex antiquo scriptore, qui vivebat tempore Constantii & Constantis Imperatorum.

5. Notitia duorum Imperiorum data tempore Imperatorum Arcadii & Honorii.

6. Brevis descriptio finium, quibus Sedes Patriarchales circumscribuntur, sive prima Notitia impressa ad calcem Geographiæ sacræ Caroli a S. Paulo. Cæterum editio, quam dat Schelstratus, est amplior, & in aliquibus differt a prima. Opusculum hoc habetur pariter impressum in Codin pag. 363. ex editione P. Goar.

7. Notitia Provinciarum & Urbium Galliæ impressa in Tomo primo Conciliorum Galliæ, auctore Sirmondo.

8. Notitia Metropoleon educta ex antiquo Mss. Reginæ Svecorum.

9. Et 10. Notitiæ aliquot Provinciarum Ecclesiasticarum descriptæ ex Mss. Vatican. & Reginæ Svecorum.

11. Notitia Episcopatuum Africæ tempore Conventus primi Carthaginiensis sæculo quinto.

12. Catalogus Episcoporum, qui jussu Regis Hunerici, ejusdem regni ann. 6. Carthaginem venerunt, de fide sua rationem reddituri.

13. Notitia Provinciarum & Episcopatuum Hispaniæ descripta ex Mss. Hispalensi.

14. Enumeratio urbium & Episcoporum, qui Metropolitanis Hispaniæ suffragantur.

15. Divisio Hispaniæ a Rege VVamba facta.

16. Opusculum, in quo locus describitur Prælatis Patriarchæ Constantinopolitano subjectis assignatus ab Imperatore Leone, cui cognomentum Sapiens; id habetur etiam in Leunclavio, qui illud excerpserat ex Ms. Vaticanæ, & pag. 379. edition. Codin per Goar.

17. Notitia Metropoleon impressa inter Notitias Caro-

Caroli a S. Paulo, & in Goar. Postremus hic eandem edidit græce & latine.

18. Notitia Provinciarum & Urbium Imperatori Orientis subjectarum, descripta ab Hierocle Grammatico ita, ut Holstenius eam dederat ex duobus Mss. quorum unum ad Bibliothecam Vaticanam pertinebat. Opusculum hoc habetur etiam inter Notitias a Carolo S. Pauli editas.

19. Notitia Patriarchatuum conscripta a Nilo Doxoptario, & edita ab Allatio; *De consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, lib. 1. cap. 24.*

20. Notitia Patriarchatuum Antiocheni & Hierosolymitani.

21. Descriptio Patriarchatus Hierosolymitani ducta ex Ms. Reginæ Svecorum.

Ad an. 1057. 22. Notitia Ecclesiarum Patriarchalium Urbis Romæ, & Episcopatuum suffraganeorum Papæ, ducta ex Tomo undecimo Annalium Baronii.

23. Notitia Ecclesiarum conscripta tempore Cælestini III. Papæ, ann. 1225. Hanc Schelstratus eduxerat ex Ms. Vaticanæ.

24. Notitia Ecclesiarum Romæ, totiusque Orbis Christiani ducta ex Ms. ejusdem Bibliothecæ.

25. Locus ab Imperatore Andronico Seniore assignatus cuique Metropoli Patriarchæ Constantinopolitano subjectæ. Opusculum hoc initio fuit illatum in historiam Codin ex editione Junii, deinde in historiam Gretseri, auctum postea a Lambecio in Bibliotheca Imperiali.

26. Descriptio ordinis, quem nonnulli Orientis Metropolitani sibi servandum præscribunt. Opusculum hoc Schelstratus eduxerat ex Ms. Vatic. collatum cum Codin ex editione Goar.

27. Descriptio præsentis status Patriarchatus Constantinopolitani, eadem fere, ac quæ habetur in opusculo Thomæ Smith inscripto, *De Græcæ Ecclesiæ hodierno statu Epistola*. Simon p. 194. suæ Criticæ Historiæ de Fide & Moribus Nationum Orientalium hanc Notitiam dedit de Ecclesiis, quæ a Patriarcha Constantinopolitano pendent.

Aubertus le Mire ann. 1620. Lugduni edidit Tractatum Geographiæ Ecclesiasticæ in 8. in quo ordine alphabetico attulit Provincias, Metropolis, & Episcopatus. Ejusdem Auctoris aliud extat Opusculum, inscriptum; *Notitia Episcopatuum orbis Christiani cum Notis, Paris.* 1610. mox iterum impressum Antuerpiæ ann. 1613. & Francofurti ann. 1614. *Codex Provincialis vetus & novus*, qui Episcopatuum Notitiam ex parte continet, plurima suppeditavit P. Harduino, ut ipse fatetur in Præfatione sua ad Concilia. *Codex Provincialis vetus* fuit ab Auberto le Mire emendatus ad quatuor Mss. quorum primum antiquissimum ad Bibliothecam S. Victoris pertinebat.

In Bibliotheca Uffembach, cujus Catalogus impressus fuit Halæ ann. 1720. in fol. inter Græca habetur Ms. num. 14. quod Novellas continet Imperatorum Leonis & Constantini cum Notitia Archiepiscopatuum & Episcopatuum Patriarchæ Constantinopolitano subjectorum. Majus, qui Catalogi partem concinnavit, Ms. hoc contulit cum Ms. impresso in Leunclavio. Hoc memorat. 81. Metropolis; Ms. vero Uffembach 90. Aliæ etiam habentur differentiæ quoad Archiepiscopatus, & Episcopatus in hoc Ms. quæ enumerantur in hoc Catalogo col. 530. part. 2. In fine historiæ Criticæ de Fide & Moribus Nationum Orientalium habetur pariter Notitia Ecclesiarum, quæ pendent a Patriarcha Armeniæ commorante Egmiathin, dictata ab Uscan Episcopo Uscavaneh, & Patriarchæ Procuratore Generali.

Abbas de Commanville dedit Tabulas Geographicas & Chronologicas omnium orbis Archiepiscopatuum & Episcopatuum, cum Tabulis alphabeticis nominum Latinorum & vulgarium amplissimis. Liber hic fuit editus Rotomagi ann. 1700. in 8. Observat autem, Auctores, qui de Geographia Ecclesiastica scripserunt, fere omnes fuisse complexos civilem Statuum Provinciarumque descriptionem; eos vero numero admodum paucos, qui argumentum hoc tractandum susceperunt, leviter & imperfecte id adumbrasse; tum Chopin in sua Ecclesiastica Politia, & Aubertum le Mire in Geographia Episcopali scripsisse nullo ordine, plurimosque præterea omisisse Episcopatus, licet omni prorsus laude dignissimi sint, qui aliis idem aggredientibus faciliorem viam commonstrarint, præterea Carolum a S. Paulo sex tantum priorum sæculorum Geographiam tractasse; difficiliora reliquisse iis, qui eandem usque ad hæc tempora explicandam susceperint; deinde his ipsis sæculis multa vera omisisse, multa falsa attulisse, monumentis parum fidis confisum; tandem animadversiones Lucæ Holstenii neque ejus doctrina dignas esse, neque ejus proposito satisfacere, nisi imperfecte.

In hoc opere conficiendo, ut ipse docet in Præfatione sua, usus est Notitiis Ecclesiarum, subscriptionibus Conciliorum, Auctoribus quibusque Nationum diligentissimis & prudentissimis, fidelibus doctissimorum Viatorum Narrationibus. Ejus finis est, ut clare distincteque regionum omnium terrarumque, quibus constat Ecclesia, naturam & ingenium exponat; tum modum rationemque, qua quovis tempore in Archiepiscopatus & Episcopatus distributæ fuerunt. Pars prima continet Metropoles Ecclesiæ Latinæ una cum Episcopatibus, qui inde pendent: altera Ecclesiæ Græcæ: tertia eas, quæ neque Latini, neque Græci ritus sunt. In Ecclesia Latina sunt Archiepiscopatus & Episcopatus Italiæ, ejusque Tuscularum, Galliæ, Hispaniæ, & Portugalliæ, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, & Tuscularum adjacentium; Britanniæ, Poloniæ, Daniæ, Sveciæ, Africæ, Asiæ, Americæ, & antiquæ Africæ Occidentalis. In Ecclesia Græca enumerat Episcopatus Patriarchatus Constantinopolitani, Exarcatus Thraciæ, Macedoniæ, Daciæ, tum Archiepiscopatus & Episcopatus Magnæ Græciæ, Provinciarum Barbararum, Exarcatuum Asiæ, Ponti; Patriarchatuum Antiocheni, Jerosolymitani, Alexandrini. In parte tertia sunt Archiepiscopatus & Episcopatus Moscoviæ, Georgiæ, Colchidis, tum Syrorum Jacobitarum, Syrorum Maronitarum, Armenorum, Persiæ, Turcarum, Nestorianorum, Coptorum & Abyssinorum. Capiti cuique præmittitur dissertatio, in qua Auctor exponit, quæ majoris momenti continentur ad Civilem statum & regimen Ecclesiasticum pertinentia, tum viam rationemque, qua postremum hoc se pedetentim intulit, & adhuc tuetur. Adjicitur etiam Tabula geographica in plures columnas divisa, quarum duæ priores divisionem Ecclesiasticarum Provinciarum primis sæculis factam comprehendunt; reliquæ continent divisionem eam, quæ consequentibus sæculis inducta est. Hanc excipit Tabula alia chronologica, in qua Auctor Provincias Christianas ita per partes recenset, ut uno ictu, nullaque rerum confusione mutationes omnes perspiciantur, quæcumque ab illarum ortu usque ad hoc sæculum contigerunt; tandem, quæ sequuntur, alphabeticæ Tabulæ, si quid in præcedentibus paginis vel deest, vel male enunciatur, supplent, & emendant. Quamvis autem Opus hoc non recte accurateque præfiniret vel tempus, quo quique Episcopatus institutus fuit, vel mutationes omnes, quæ Episcopatibus evenerunt; adhuc tamen utilissimum esset: ac, licet harum sedium aliqua ante præfinitum tempus, fuerit in Episcopatum erecta, erat tamen absque dubio Episcopi Sedes ex eo tempore, quo ejus institutionem attulit. Plurimarum Ecclesiarum origo admodum incerta est. Conciliorum subscriptionibus, Notitiis authenticis, plurimarum Sedium Episcopi commonstrari possunt: non possunt tamen aliorum hac via institutiones detegi; tum vero his inhærendum est, ubi certa exhibent; de reliquis nihil certo affirmandum.

Ut geographicæ de Commanville tabulæ utiliores sint, iis addenda est Charta, quam de Limiers dedit in suo supplemento ad Atlantem historicum, ut ejus ope antiquæ Ecclesiasticæ historiæ, tum Patriarchatuum & Exarcatuum intelligentia facilius acquiratur; addendæ etiam Tabulæ, quæ in antiquam Græcæ Latinæque Ecclesiæ administrationem cognoscendam veluti manu ducunt. In hac Charta non notat, nisi Ecclesias Principes; in Tabula autem ad cujusque principis Ecclesiæ latus collocat Provinciam, ad quam pertinet. Quemadmodum vero in chartis Tabulisque ita angustis non omnia dici possunt, ita quædam rerum obscuritas passim deprehenditur; ex. gr. bis legitur Laureacum in Tom. 6.

Tabu-

Tabula; semel in Exarcatu Illyrico, iterum prope Provinciam Norici, inter Imperii Alemmanici urbes, cum in charta geographica semel tantum reperiatur. Hujus rei ratio hæc est, quod antiquitus Germania in Illyrio complectebatur Laureacum, principem Provinciæ Noricæ urbem.

Inter Auctores, qui de Ecclesiastica Geographia tractarunt, quidam Archiepiscopatuum & Episcopatuum Ecclesiæ Romanæ subjectorum seriem dederunt; quidam vero Ecclesiasticam descriptionem aggressi sunt, vel unius Regni, ut Ughellus, aliique, vel unius Provinciæ, aut Archiepiscopatus. Sed in primis consulendi sunt ii, qui res funditus expenderunt, nulla vel ignorantiæ, vel infidelitatis suspicione corrupti. Id vero nonnulli admodum imperfecte præstiterunt. Qui Ughelli Opus inscriptum, *Italia sacra*, lecturi sunt, non inutile est admonere, ab hoc præstantissimo Auctore chronologicam dari seriem Prælatorum multorum Episcopatuum, qui vel translati, vel aliis urbibus uniti fuerunt; ita Episcopatus Castri Aulam translatus fuit, Episcopatus Lunæ Sergianum, Populoniæ Massam, Episcopatus Hortani cum Episcopatu Fescenniæ conjunctus, Velitrarum cum Ostiensi, Nepitæ cum Sutrii, Valvensis cum Sulmonensi, Tolentini cum Maceratensi. Unus idemque Italiæ Episcopatus pluribus quandoque latinis nominibus gaudet.

Enumerationes Episcopatuum, quæ habentur in quorumdam Protestantium operibus; veluti in Gueudeville, sunt admodum imperfectæ: & sane nomina paucorum illorum Episcopatuum, quos continent, pleraque sunt deformata & ignota.

Banduri animadv. in l. 1. Const. Porphyrog. de them. p. 10. tom. I.

In Tomo secundo Operis, quod inscribitur, *Imperium Orientale*, habetur Catalogus Urbium, quarum nomina immutata sunt; in primo autem ejusdem Collectionis Volumine Catalogus Episcopatuum, quorum pars pleraque amplius non extat.

P. Harduinus in sua Conciliorum Geographica Tabula exhibet nomina & situm Episcopatuum, & nomina Episcoporum, de quibus fit mentio in duodecim Collectionis suæ Voluminibus. Tabula hæc ordine alphabetico compacta commodior est, quam Compendium Episcopalis Geographiæ, auctore Labbæo, quod habetur in Apparatu ad Concilia; quodque ad antiquas principes Ecclesias affert Episcopatus, qui in earum ditione fuerunt usque ad sæculum XI. Novus Collector, sub Episcopatuum nominibus nomina collocat Prælatorum, qui eos administrarunt, quique, ut Episcopi, Conciliis interfuerunt; tum quo tempore hæc eadem Concilia celebrata sunt. Sed hæc ipsa tamen Tabula videtur adhuc imperfecta; & ad Collectionem Conciliorum omnino perficiendam alia requiritur Tabula Episcopatuum omnium, vel saltem eorum, de quibus mentio fit in Conciliis, instituta ad normam Notitiarum, de quibus dixi, vel ei similis, quam publice edidit P. Sirmondus.

P. Harduinus in suo Indice Geographico plura substituit loca quorumdam Conciliorum celebratione illustria, veluti *Copriniacum*, *Campiniacum*, in Inculismensi Provincia, ad Caranthonum fluvium, testibus Laurentio Bouchel, & Spondano. Atqui magis necessarium est, cognoscere situm ejus urbis, in qua Concilium habitum fuit, quam situm Episcopatus nullius sæpe nominis & momenti. Potuit Collector hic de Geographia Ecclesiastica egregie agere, usus iis cognitionum præsidiis, quæ in hanc rem in suis operibus exhibent Aubertus le Mire, P. Carolus a S. Paulo, Gretserus, P. Goar, Junius, Lambecius, Holstenius, Cardinalis Norisius, PP. Sirmondus & Labbæus, Baluzius, aliique.

Quorumdam Collectorum in Geographiam errata.

Quidam docti viri commonstrarunt errores, in quos scriptores nonnulli, non satis in Geographia versati, prolapsi sunt. Ita Binius, recentioresque nonnulli confinxere Concilium, quod *Angaritanum*, sive *Angariense* nominarunt pro *Ancyranum*. Ita alii citant *Canones Anquiritani* sive *Anquiriani* pro *Ancyrani*.

Certum est, Vagam seu Bagaim urbem esse in Numidiæ Provincia sitam; ideoque frustra eam conquiri in Africa proprie dicta, vel in Mauritaniis Cæsariensi & Sitifensi.

Brennacum sive *Brannacum* intelligi debet de Concilio in fano S. Michaelis ad Vidulam in Campania Diœceseos Cabillonensis, cujus proprium latinum nomen nequaquam est *Braina* vel *Brana*.

Brixia latinum nomen est Urbis in Longobardia; non autem ejus, cujus nomen latinum est *Brixino*, seu *Brixina*.

Quidam medii ævi Scriptores, loquentes de Concilio habito ann. 1257. in Dania, *in Dacia* dixerunt pro *in Dania*.

Alii vero, nominum similitudine decepti, acceperunt *Eliberis* vel *Iliberis*, urbe Hispaniæ Episcopali in Betica, pro ea, quæ antiquitus dicebatur *Illiberis*, seu *Caucoliberis* in Ruscinonensi Comitatu.

Auctorum inter se sententiæ discrepant de situ *Epaoni*, in quo habitum fuit Nationale Episcoporum Burgundiæ Concilium. Quidam imperite nimis, & Historiæ veritate reluctante, putarunt esse Apamiam; alii, Belnam; alii confuderunt cum Thononio, cum Agauno in Sabaudia, Neviduno ad Lemanum Lacum. Nonnulli Scriptores potiore jure putarunt, antiquum Epaunum, in quo Nationale Burgundionum Episcoporum Concilium habitum fuit sub Avito Viennensi, nihil aliud esse, quam Vennam parvam Beugesiæ urbem, in Sabaudiæ finibus, inter Belicam, Cimerinum, & Viennam. Sed hæc ipsa opinio rejicitur ab aliis, qui locum Diœcesi Lugdunensi adscribentes, nullo modo sibi persuadent, Avitum, Viennensem Episcopum, præsente Episcopo Lugdunensi, præfuisse Concilio in postremi hujus Diœcesi coacto; contra vero animadvertentes, Vennam appellari *Etannam* ex ipso Imperatoris Theodosii tempore, ut ex Tabulis Peutingeri apparet, non autem *Epaunum*, collegerunt, id esse *Ponas* non procul a Vienna. Erat sane in hac Diœcesi Pagus nomine *Ebao*, seu *Tortilianum*, ut observat Baillet: sed videndum illud est, utrum idem fuerit, ac *Ponas*.

Floridum a Binio aliisque sumptum fuit pro loco Concilii, quod habitum est ann. 1151. Balgentiaci ad Ligerim fluvium. Sed decepti sunt ab Abbate Sugerio, qui, cum vellet dicere, Concilium hoc fuisse habitum Balgentiaci ante diem Paschatis floridi, ita se explicuit Latine: *Ante diem Paschatis floridi in castro Baugentiani*. Hinc Binius verbum *floridi* a verbo *Paschatis* sejungens, Concilii locum confinxit.

Herbipolis scribitur græce non [illegible], sed [illegible], ut qui diceret *Urbs herbosa*, vel *herbida*.

Non debet confundi *Lauriacum*, in Diœcesi Andegavensi cum *Laureacum*, vel *Lauriacum*, Noricæ Provinciæ Metropoli, cujus Sedes primum Juvavium, deinde Salisburgum translata fuit.

Fines apud S. Macram, Campaniæ oppidum; in Rhemensi tractu, juxta Vidulam fluvium, male accipiuntur pro Ponte S. Maxentiæ, oppido in provincia Insulæ Franciæ, ad Oesiam fluvium; male item confunditur Melphis, urbs Lucaniæ, in Apuliæ finibus, cum Amalphi urbe Archiepiscopali, in Principatu citeriori prov. regni Neapolitani, in qua primum a Flavio Gioja pixis nautica inventa est.

Verba hæc *Concilium in minori Britannia*, non sunt accipienda de sola Britannia Inferiore; sed etiam de Concilio, quod sæculo undecimo habitum fuit in aliquo Britanniæ, provinciæ Franciæ, loco; cum vocabulum *minor* non fuerit probabili ratione usurpatum, nisi ut hæc Provincia ab Anglia, Magna-Britannia communiter dicta, distingueretur.

Bertholdus Constantiensis cum vellet latine dicere *Aucam*, eum vocavit *Ostiensem*; id fuit in causa, cur Binius, Cariolanus, Starovolscius, aliique plures, novum Concilium confingerent.

Cardinalis Baronius, Binius, Colvenerius, aliique nonnulli tempus locumque immutarunt ejus Concilii, in quo quæsitum fuit, utrum Apostoli nomen tribui oporteret D. Martiali Episcopo Lemovicensi, eo quod ibi dicatur: *Audita sunt querelæ Monachorum Monasterii Bellovaniensis*; ex quibus verbis commenti sunt Concilium Bellovacense ann. 1031. in quo auditæ sunt querelæ Monachorum Monasterii S. Petri Bellovaniensis in hac Diœcesi.

Ex An-

Ex Annalibus Bertinianis habemus, *Pistin*, ubi plures Caroli Calvi tempore conventus sunt habiti, esse locum dictum Pittes ad Andelaum, & in Diecæsi Rotomagensi.

Scimus, *Pontigo*, ubi Concilium habitum est ann. 876. non esse Pontem ad Teaunam, tribus leucis infra Senones in Boream Lutetiam versus, neque Pontem Regium, ut alii scripsere; multo vero minus *Pongoin* urbem Provinciæ Particæ in Diecæsi Carnutensi; sed Pontjon vel Pontron prope Victoriacum in Campania.

Annal, Eccl. Franc. to. 5. Concilium *Vernense* dictum, habitum ann. 755. non est, ut putavit Pater le Cointe, Concilium habitum Vernonii in Normannia, ad Sequenam fluvium, sed Vernolii ad fluvium *Aure*.

Regia Villa, ubi Ebroinus Palatii Magister S. Legerium morte damnavit, conquirenda est potius in Normannia vel Picardia, quam prope Augustodunum.

Septiminucum, vel *Septimunicia* in provincia regni Fezzæ, ad fretum Herculeum, non est confundenda cum Sesta urbe Episcopali in Mauritania Tingitana.

Sufetula urbs est non Africæ proprie dictæ; sed Byzacenæ.

Tusciacum, ubi Concilium habitum est ann. 860. pagus est in Episcopatu Tullensi in Lotharingia, non autem urbs Galliæ prope Burgundiam.

Concilia per vocabulum *Vasionense* designata non debent collocari Cossium in Vasconia, ut perperam Baronius, Binius, Coriolanus, Claudius Robertus, de Montschal, aliique, sed Vasione. Male scribitur *Lavaurense Concilium* pro *Vaurense*, ut *Lavaura pro Vaura*.

Recentissimus quidam Auctor per summum errorem Concilium *Veneticum* in Britannia sub Pontificibus S. Leone, & Hilario, cui Perpetuus Metropolita Turonensis præfuit, sumpsit pro Concilio Venetiis habito. Hujus enim urbis vix prima tunc temporis fundamenta jaciebantur a quibusdam Italis, qui, ut furentis Attilæ impetum atque iram evitarent, in ea se se palustria loca receperant.

Vernum significat Vernonium ad Sequanam fluvium, non autem Vernolium, oppidum Galliæ ad Oesiam.

Milevum dicitur de urbe Africæ, non de Mileto in Jonia, neque de Malitina in Armenia, neque de Insula Melitæ.

Africa tripliciter accipitur, vel pro tertia Orbis parte, vel pro regione Romanis cognita, vel pro Proconsulari.

Plures habentur Cæsareæ nomine urbes, veluti *Cæsarea Augusti*, quæ est Anazarbus, Ciliciæ urbs; *Cæsarea Cappadociæ*, *Cæsarea Philippi*, *Cæsarea Mauritaniæ*, *Cæsarea Palestinæ*, *Cæsarea Bithyniæ*. Hæc omnia Collectiones hasce lecturus scire debet, ne locum pro loco sumat.

Plures item habentur urbes nomine Carthaginis, Laodicææ, Ponti, Ptolomaidis, & Valentiæ. Sed & nomina latina *Forum Julii*, *Francofordia*, *Hippo*, *Macrianum Marsi*, *Magdunum*, *Neapolis*, *Nicus*, *Regium*, aliaque non eandem semper urbem significant.

Concilia perlecturis animadvertendum est, Provincias quasdam longiore alias fuisse tractu, quam hodie sunt: ita Illyricum, quod nunc sola Sclavonia continetur, alias longe latius, quam postrema hæc, portendebatur.

Neustria, quæ hodie pro sola Normanniæ Provincia accipitur, apud antiquos Auctores partem Franciæ Occidentalem significat, quemadmodum Ovestria Orientalem ejusdem Regni partem. Cum urbes, in quibus Concilia habita sunt, variis apud Auctores efferantur Latinis vulgaribusque nominibus, operæ pretium duxi, eorumdem varietatem indicare.

Adrumetum, Africæ urbs, ab Imperatore Justiniano, qui eam muris cinxerat, *Justinianæ* nomen desumpsit. Urbs hæc vulgari lingua dicitur Mahometta vel Machomette; a quibusdam etiam Hammamete, vel Hamametha.

Antiochia, una ex Patriarchalibus Orientis Sedibus, alias dicebatur *Theopolis*; h. e. Urbs Dei. Qui illius regionis sunt, eam vocant Antachiam, & per syncopem Tachiam.

Cæsarea Cappadociæ, alias *Mazaca*, hodie corrupte dicitur Tisaria & Caisar.

Cæsarea Palestinæ, alias *Turris Stratonis*, hodie dicitur Cassair, vel Caisar.

Cæsarea Philippi, alias *Dan* & *Paneas*, hodie dicitur Beline & Bolbec.

Cæsarea Mauritaniæ, Mauritaniæ Cæsariensis Caput, dicta fuit etiam *Julia Cæsaris*, vel *Jol Cæsarea*.

Laodicæa, alias dicta fuit *Diospolis*.

Hierosolyma appellata fuit *Ælia*, ab Imperatore *Ælio Adriano*, qui eam dirutam restituerat.

Ratisbona, a Gallis *Ratisbonne*, & a Germanis *Regensbourg*, *Regensburgum*, diversa alias nomina habuit, veluti *Sciatospolis*, *Hastopolis*, *Imbripolis*.

Treves, Electoratus & Archiepiscopatus Germaniæ, nota est his nominibus, *Treviri*, *Treveri*, vel *Triberi*, & *Augusta Trevirorum*.

VII.

De Difficultate, quæ Conciliorum ordinem afficit. Sed aliqua etiam exoriri difficultas potest de ordine, qui servari debet vel inter omnia Concilia, vel inter cujusque Concilii Opuscula. Antonius Augustinus vult, in Collectione primum locum dandum esse Apostolicis Constitutionibus, quas reputat tanquam *fontem ipsorum Canonum*, *qui dicuntur Apostolorum*, hosque ipsos Canones esse inserendos, eo ordine, quo a Dionysio Exiguo, & VVendelstemio afferuntur. Viri hi præstantissimi Apostolorum Canones ediderunt ordine prorsus diverso ab eo, qui in Græcis Latinisque Mss. servatur. Deinceps inde errata colliges, in quæ plerique Collectores prolapsi sunt, quoad ordinem, quo plura Concilia collocarunt.

Sed illud non minus difficile, inter Concilii Calcedonensis Acta quo poni loco debeat Actio Domni Antiocheni. Magna hac de re differentia est inter Exemplaria; antiquæ editiones eam afferunt Actione septima: Mss. Vaticanæ a Baronio consulta actione nona; alia ejusdem Bibliothecæ Mss. collocant inter pactum Maximum inter & Juvenalem transactum. Quædam alia, veluti Corbejensia, omnesque Conciliorum, quæ Romanum præcesserunt, editiones post idem Pactum eam statuunt. Romani editores nulla auctoritate suffulti, sed sola ducti conjectura eam in decimæ hujus Concilii Actionis finem rejecerunt. Hujusmodi diversitates & differentiæ nonnisi Amanuensium oscitantiæ & arbitrio adscribi possunt; quamvis enim Concilii Niceni Acta neque scripta, neque redacta fuerint, ut superius dixi, Conciliorum tamen subsequentium Acta collecta fuerunt, ut apparet ex Concilio Calcedonensi, cujus Patres missis ad Dioscorum Prælatis Comitem addiderunt Simerium Notarium & Lectorem, qui scripto mandaret, quæcumque ex utraque parte dicerentur; atque hoc nimirum erat eorum officium, qui ipsis erant a secretis, Notarii dicti, eo quod Conciliorum Acta per compendia describerent. Horum aliquem secum ipse ad Concilia Episcopus quisque ducebat, ut inde aliquod Actorum Exemplar asportaret. Collectio hæc communiter dicebatur σημεῖα, vel ut in Actis Concilii Calcedonensis ἐκλήψεις. Ex hoc igitur fieri potuit, ut hi diversis chartis scripserint, ac deinde casu scripta collocarint, non satis certi de loco qui cuique commentariorum suorum parti debebatur. Hinc in quibusdam Exemplaribus initium causæ Ibæ affertur Actione sexta, in aliis septima, in aliis octava, in aliquibus etiam nona.

Animadvertes fortasse alibi, P. Labbæum non semper ordinem temporum sequutum esse in afferendis Pontificum Epistolis, ut colligi potest ex Epistolis D. Gregorii. Primum enim locum dedit nonnullis hujus eximii Papæ Epistolis, quæ postremum tenere debebant, considerato tempore, quo conscriptæ fuerunt; sed ordo illud etiam postulabat, ut quælibet cujusque Papæ Epistola eum locum haberet, qui pro Conciliorum historia illi debebatur. Hinc Epistola Leonis IV. ad Britanniæ Episcopos, & fragmentum Epistolæ ejusdem Papæ

ad No-

ad Nomenoyum Britanniæ Ducem suo loco essent post Concilium Turonense, quod etiam dicitur Parisiense, ann. 849. Utilius quoque & commodius esset, opuscula omnia, quæ ad eandem rem pertinent, simul collecta uno obtutu intueri, quam dispersa huc illuc labore ac fastidio conquirere.

Hæc præcipue sunt ardua & difficilia, quæ magnum Conciliorum Collectori facessere negotium possunt: ex his tamen abunde colligimus, summa doctrina instructum, omnique esse laude dignum, qui opus tam necessarium plene cumulateque exequatur.

CAPUT V.

Quibus instructus esse debeat, qui susceptam Conciliorum Collectionem perficere vult.

CUM superiori capite difficultates Conciliorum Collectoribus subeundas exponerem, satis, ut opinor, demonstravi, quæ, & quanta ad Collectiones hujusmodi perficiendas necessario requirantur. Placet eadem hoc loco summatim repetere, ut, quæ varia ac multiplicia in hoc toto Opere sunt sparsa ac disseminata, in unum colligantur, Lectorumque animis omnia eodem tempore subjiciantur.

Ea, quibus hujusmodi Collectiones constant, sunt vel Græca, vel Latina. Nonnulli Canones in Arabicam, quidam etiam in Syriacam linguam translati fuere: sed hujusmodi versiones non magnæ sunt apud nos auctoritatis. Octo priora Concilia Generalia Græcæ conscripta sunt. Hæc enim erat Orientis lingua. Canones, Constitutionesque Apostolicæ, reliqua Concilia in Oriente celebrata, quæque etiam a primis Romæ Episcopis, plerisque origine Græcis, habemus, Græca sunt fere omnia. Jam vero periculosum est, versionibus omnino adhærere. Sint eæ quidem fideles, sint accuratæ, sint vi plenæ; numquam tamen archetypi sui formam induent; habet enim qualibet lingua ingenium suum. Remissa sunt ac simplicia latine, quæ græce contorta & sublimia. Baronius quidem errata multa evitasset, nisi Interpretibus nimium adhæsisset, diligentiusque Auctores ipsos consuluisset. Sed neque Conciliorum editiones erroribus vacant: multa in iis prætermissa, transposita multa, multa confusa. Quod si ad illustrandas, ut per erat, Patrum editiones, sapientiores quique Critici diligentiam suam omnem, & curam cum summa linguarum cognitione conjunctam contulerunt, qui fieri potest, ut his præsidiis destitutus in ordinem Collectiones disponat, quæ multiplicem rerum scientiam requirunt? Unde enim tam putidi errores in Regionem, Gratianum, Ivonem Carnotensem, & in omnes alios Canonistas irrepserunt? Nonne ex Græcæ linguæ ignoratione? Nonne ex eo, quod non ad ipsa autographa exemplaria confugerunt, vel negligentia, vel ipsorum exemplarium defectu? Inde illa prope immensa citationum congeries, quæ vel falsæ, vel corruptæ, vel a sententia, & argumento, quo de agitur, alienæ sunt.

Præter hanc perfectam Græcæ Latinæque linguæ cognitionem, generalis etiam requiritur notio dictionum quarumdam Græcarum, earum quoque, quæ rudiores sunt, quæque inclinante jam Orientis Imperio, usu obtinebant. Harum Du-Cange Glossarium dedit, ex inferioris latinitatis verbis conflatum. Ex immutata verborum significatione hujusmodi cognitio necessaria fit; sensu enim pro temporum diversitate diversarum locutionum non ante percepto, neque intelligas, nisi obscure & imperfecte, tum Ecclesiæ regimen, tum ejus disciplinam, doctrinam, mores, ac ritus; neque distincte cognoscas, quæ Patres de pluralitate Personarum, & essentiæ unitate crediderunt; neque demonstres perpetuam Traditionem de cultu Imaginum, si hypostasis, Imaginis, aliarumque rerum verba eodem semper sensu accipiantur. Decurrentibus sæculis, verbis affixæ sunt notiones ab iis longe diversæ, quas primis sæculis exhibebant. Dicebantur Primates ii, quos hodie dicimus Metropolitas, h. e. capitalium Urbium Episcopos. Contra vero in qualibet Africæ Provincia dicebatur Primas, non Episcopus is, qui Capitali Urbi præerat, sed is, qui erat ordinatione Episcoporum antiquissimus. Sola antiquitas, non locus, Primatis dignitatem conferebat.

Eodem modo Chorepiscopi titulus datus fuit modo Episcopis ruralibus, modo iis, qui in urbibus, tum parvis, tum magnis, degebant. Paulus, unus ex iis Confessoribus, qui in Concilio Nicæno adfuerunt, erat Episcopus Neocæsareæ, parvi ad Euphratem oppidi, ubi præsidia habebat, teste Theodoreto lib. 1. cap. 7. D. Athanasius in Epistola ad solitarios memorat Episcopum Calanorum. Hic vocabatur Euphration; & Concilio Nicæno subscripsit. Idem subscripsit etiam Concilio Calcedonensi; atqui ejus urbs erat admodum exigua. *Labbè Conc. tom. 2. col. 51.* Verum quidem est, Concilium Sardicense vetasse, ne ruri, vel parvis in urbibus Episcopi instituerentur: *Ibid. col. 451.* id enim dignitatem episcopalem imminuere videbatur: at hujus Concilii Decretum non videtur fuisse ubique executioni mandatum; inter subscriptiones enim Concilii primi Ephesini legitur nomen Episcopi Maroniæ, qui dicebatur Docimasius. *Ibid. to. 3. col. 536.* Sæculo septimo, Concilium duodecimum Toletanum Regem VVambam coarguit, quod in parvis urbibus pagisque Episcopos instituerit. In Ecclesia Gallicana statutum est, ut qualibet urbs Episcopum haberet sæculo octavo, in Concilio Vernolii habito ann. 755. *Ibid. tom. 6. col. 1665.* Eodem modo, quo latius sese fundebat Evangelii lux, magisque Christianorum numerus augebatur, eo frequentiores ad illorum salutem stabiliebantur Episcopi. Vocabulum Chorepiscopi primum auditum est in Conciliis Ancyrano, & Neocæsariensi; quorum primum id jure Chorepiscopis videtur concedere, *Can. 13.* ut ordines conferant Paræciæ sibi subjectæ Presbyteris, non autem Presbyteris & Diaconis alterius Paræciæ, nisi ab ipso Episcopo data facultate. Hanc facultatem ipsis adimit Concilium Antiochenum ann. *Can. 4.* 341. sed eam tamen tribuit, ut Episcopos ordinent: Concilium autem Neocæsariense etiam offerendæ Eucharistiæ privilegium ipsis confirmat. Iidem promiscue cum Episcopis majorum Urbium Concilio Nicæno subscribunt. Hoc exemplum adduxi, ut ostenderem, distinguendam esse verborum vim, præsertim Dignitatum, earumque jurium, pro temporum locorumque diversitate: in Gallia enim hujusmodi rurales Episcopos non ita facile invenias; ac, nisi ante Collector egregie perceperit perfectam Ecclesiarum, & Episcopatuum imaginem, tum quæ illorum amplitudo, quæ sit facultas; præterea jura titulis quibusque, sedibusque propria, facile & seipsum decipiet, & alios sæpissime in errorem trahet. Nam Armentarii factum, cui Paræcia, adjecto chorespiscopi titulo, data fuit, prorsus in Gallia singulare est.

Eodem modo qui nescit, quid sit Monasterii Episcopus, is facile credit, hoc nomine eandem semper rem significari. Quidam Episcopi sibi hunc titulum tribuere in subscriptionibus Concilii Actiniaci ann. 765. Erant autem Episcopi, qui se e conspectu hominum subduxerant, ut reliquum vitæ tempus meditationi rerum Cælestium darent; nomen tamen Episcopi adhuc retinebant, licet Episcopatus suos deseruissent, ut Abbates, vel Monachi fierent. Duo nihilominus excipiuntur Monasteria, quæ suos Episcopos habebant, videlicet Monasterium S. Dyonisii, & S. Martini Turonensis. Mabillonius Episcopos dat etiam alii Abbatiæ prope Argentoratum sitæ.

Secundus Concilii Constantinopolitani Canon Diœcæsim fœminino genere vocat magnum regionis tractum plures comprehendentem Provincias, quarum suam quæque principem urbem habebat. Quod Diœcæsim hodie dicimus, est ipsa unius Episcopi jurisdictio: tunc dicebatur *Paroicia*, h. e. vicinia; unde nos Paræciæ verbum habemus. Hujus rei exempla extant in Concilio Ancyrano Can. 13. & in Nicæno can. 16. Nunc Provinciam dicimus, quod græci dicunt *Eparchiam*, Diœcæsi minorem. Cum a Concilio Antiocheno Episcopus Paræ-

Patriæ suæ dominus constitutus est, tunc Diœcesis hoc nomine significata latius, quam urbes, pertinebat.

Quatuor prioribus sæculis vocabula Episcopi & Presbyteri communia erant, ac sæpe confusa. Papæ titulus, qui post Gregorium VII. soli Romano Episcopo convenit, antiquitus Episcopis omnibus, atque adeo Clericis generatim concedebatur.

Viaticum appellatur Eucharistia morituris administrata. Sunt tamen nonnulla antiqua Concilia, quæ hoc nomine intelligunt absolutionem sub finem vitæ datam, vel certas precandi formulas, quas Ecclesia Pœnitentibus & Catechumenis in vitæ periculo constitutis recitabat, quotiescumque Eucharistiam iis denegandam esse censebat. Vocabulum Communionis, quod hodie accipitur pro S. Eucharistiæ participatione, latius olim patebat. Missæ vocabulo intelligitur Sacrificium, sed præter hoc, significatur etiam quodlibet Officii genus, in Conciliis, & in Auctoribus medii ævi; nemo ignorat, Catechumenorum Missam ita fuisse appellatam ex eo tempore, quo e Conventu Fidelium egredi jubebantur. Missa aliquando significat etiam solemnitatem, vel solemnitatis diem; veluti *Missa S. Martini* significat Festum, vel S. Martini diem. Infinita prope adduci possent exempla, in quibus idem vocabulum pro diversitate temporum diversa significabat; quæ nobis cognoscenda sunt, ne decipiamur.

Et sane egregie nos ipsi deciperemus, si, ubicumque occurrunt peccatorum venialium vocabula, crederemus iis semper significari leves quosdam errores, defectusque exigui momenti, qui divinam gratiam non prorsus peccantibus adimunt. Hoc enim nomine intelliguntur crimina omnia, quæ canonicæ pœnitentiæ non erant obnoxia: contra quam contingit de delictis aliis gravioribus, quæ Ecclesia nonnisi post longam rigidamque pœnitentiam non remittebat, & aliquando etiam, solum imminente morte. Magna doctrina, eruditioque non vulgaris requiritur, ut, quæ sit cujusque verbi vis, ita statuatur, ut nullus ambiguitati amplius supersit locus.

Neque vero semper in hoc Interpretibus inhærendum est. Licet quidem ad illos aliquando confugere, ut te illorum spoliis exornes, opibusque ditescas. Sirmondus putavit, verba hæc *arma projicere in pace*, quæ habentur Canone 3. Concilii Arelatensis, habiti ann. 314. respicere homicidas; ita ut nihil aliud significent, ipso teste, nisi actum hominis, qui alium interficit, siquidem ad aliquem interficiendum, oportet in illum quodammodo arma ferre, h. e. *arma projicere*. Sed alii, qui hujusce Canonis sententiam accuratius perpenderunt, existimant, verbis iis designari eos, qui nomine semel dato, præstitoque juramento, militiam tamen, pacis tempore, deserebant.

Sensus tertii Canonis Concilii Turonensis anno 567. qui ad S. Hostiæ servandæ modum pertinet, a Sirmondo, & Mabillonio summa contentione quæsitus fuit: *Ut Corpus Domini in Altari, non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. Sirmondus vult, delendam esse propositionem *sub*, & præpositionem *in* quæ *imaginario* præcedit, hisque verbis significari, panem ad conficiendum Sacramentum destinatum, non esse figuris pro Privatorum arbitrio distinguendum, sed, juxta Concilii mentem, Cruce, h. e. *Crucis titulo*, exornandum. Alii putant, a Concilio vetari, ne S. Sacramentum collocetur sub Statuis, vel Tumulis, quibus Altare ornabatur. Mabillonius verbis iis, *ordine imaginario*, intelligit Ecclesiæ parietes Figuris & Imaginibus insignitos, intra quas, ut ipse putat, Concilium vetat, sanctam Hostiam collocari, jubetque eandem reponi sub Cruce, quæ medio Altari sedet. Summa sane intelligentia opus est & ad seligendas interpretationes, quæ probatissimæ sunt, & ad novas, ubi res postulat, proferendas, & ad ea, quæ alicujus momenti sunt, bono in lumine collocanda.

Addo etiam, acerrimam ingenii vim, & sensum exquisitissimum una cum egregia Criticæ artis cognitione in Collectore requiri: oportet enim optime calleat mores consuetudinesque Populorum, Historiam Paganorum, Judæorum, & Romanorum, Religionem Ægyptiorum, Nationumque exterarum, Mythologiam, Lectores sacros & profanos, antiquitatem temporum, Geographiam, historiam Ecclesiasticam, veterem recentemque Jurisprudentiam: legendi præterea Patres, quorum lectio Conciliorum studium jucundius efficiet, multaque ad nationum diversos ritus, moresque varios pertinentia suppeditabit. Alterum alteri facem præfert, Abbas Fontaninus ita animadvertit, ubi quemdam Epistolæ S. Augustini locum comparat cum loco Epistolæ, quam Clodovæus magnus ad Episcopos scripsit: *Nam de his qui in pace nostra tam Clerici quam Laici subrepti fuerint, si veraciter agnoscitis vestras Epistolas de anulo nostro infra signatas, sic ad nos omnimodis dirigatis*. His consona omnino sunt, quæ S. Augustinus ad Victorinum scribit: *Misi*, inquit ille, *hanc Epistolam signatam annulo, in quo caput hominis in latus respicientis sculptum est*. Et fortasse Episcopi suum quisque anulum habebant, quo Epistolas obsignabant.

Dixi superius, in Collectore egregiam criticæ artis cognitionem requiri, vel ad detegendos errores, qui passim occurrunt in Impressis aut in Manuscriptis, unde venerunt, vel ad assignanda suis Auctoribus Opera, quæ in hasce Collectiones ingrediuntur. Hujus artis præsidio P. Sirmondus emendavit nomen *Thracia* in *tertia*, ubi agebatur de Provincia Turonensi, quæ est tertia Lugdunensis. Vid. ejusdem notas in Concilia. Hoc vero præsidio destitutus Surius, qui non satis erat in antiquis compendiariis notis, quibus scatent manuscripta, versatus, aliter omnino, atque oportebat, legit. Ita in Epistola Pulcheriæ ad Monachos Jerosolymitanos Mss. habent *Dorotheum VS. Comitem*. Surius vero litteras illas VS. explicavit per pronomen *vestrum*. Editores Romani, & P. Labbæus, qui pronomen *vestrum* hoc loco ineptum esse observarunt, eo sublato, legendum tantummodo putarunt *Dorotheum Comitem*. Si Græcum consuluissent, sensissent, legendum esse, *virum spectabilem*. Illud quoque, quod legimus Tom. 4. Labbæi, *per Branemundum Magistrianum*, falsa lectio est, ex notarum harum ignoratione profecta. Ms. Corbiense habet *Baremud*. Balutius docet, legendum esse, *per Baranem virum devotum Magistrianum*. Docet etiam idem Auctor, quotiescumque in antiquis Exemplaribus reperiuntur hæ litteræ *unde*, semper legendum esse *vir devotus*.

Conc. tom. 4. col. 876.

Ibid. col. 937.

Collect. nov. p. 941.

Ubi agitur de Operibus restituendis Auctoribus iis, ad quos pertinent, nihilo minus necessaria est criticæ artis cognitio. Nisi constaret, inquit Antonius Augustinus, Concilium sextum nullos Canones condidisse, undecim illi adscriberentur, ut Græci, vel saltem novem, ut Latini putarunt. Ita exhibent tres Conciliorum editiones Coloniæ elaboratæ post antiquum Mss. cujusdam Monasterii in urbe Gandavi. En verba Mss. & editionum, a quibus exscripta sunt: *Qui condemnata hæresi præfata, scripserunt novem Capitula inferius annexa*. Idem Auctor aliud memorat ejusdem urbis manuscriptum, in quo Capitulum, *cum ergo omnium*, Concilio Vormatiensi attribuitur. Atqui compertum est, novem illa Capitula auctorem habere Theodulphum Episcopum Aurelianensem, qui vixit tempore Ludovici Pii, ejusque patris Caroli Magni, quique nonnulla reliquit Capitula ad Patres Aurelianenses conscripta. Porro, quemadmodum non potuit ea desumere ex Sexto Concilio, a quo nulla confecta sunt, neque ex Concilio Vormatiensi, in quo non apparent, non est standum omnino iis, quæ hæc Mss. in medium afferunt.

De Emend. Grat. Dial. 15. n. 1.

Illud quoque cavendum est, ut & ne Conciliorum historiam dubiis incertisque factis repleamus, & ab iis, quæ falsa omnino sunt, eandem expurgemus. Id nostra ætate præstitere nonnulli, ut Tillemontius, qui pluribus locis veritatem expendit plurimorum factorum historicorum, quæ ad Concilia pertinent; & Balutius, qui plurima illustravit, inter cætera factum Imperatricis Pulcheriæ, quæ, veritate reclamante, dicitur Concilio Calcedonensi interfuisse; Julii Episcopi Puteolani,

qui

qui Concilio Ephesino interfuit, tanquam Leonis I. Papæ legatus una cum Hilaro Ecclesiæ Romanæ Archidiacono; Renati ejusdem Ecclesiæ Presbyteri, qui una cum illis missus fuerat ad idem Concilium, cui tamen non interfuit, in itinere morte impeditus. P. vero Pagius argumenta omnia Chronologiæ, Geographiæ, Historiæ Civilis & Ecclesiasticæ, quæ ad Concilia referuntur, tanta utilitate tractavit, ut ejus in Baronium animadversiones non satis possint pro dignitate laudari. In his supplet, quæ illius Annalibus desunt, errata corrigit, quæ irrepserunt, Lectoremque in vastum historiæ Ecclesiasticæ campum veluti manu ducit. Cardinalis hic, cæteroquin non dignitate minus, quam doctrina eminentissimus, & ἀνάχρονα plura commiserat, & facta sæpe ipsa inverterat, & pugnantia inter se contrariaque dixerat, vel quod nimis festinanter scripsisset, vel quod plus æquo adhæsisset iis, qui magnum Annalium Opus scribentem rebus monitisque adjuvabant; In quo tamen Opere Lucas Holstenius Canonicus Lateranensis dicebat, se octo millia & amplius errorum deprehendisse; idque probari posse ex ipsis Mss. Bibliothecæ Vaticanæ, cujus tunc Custos erat.

M. Patin lettre 85.

Illud vero in Collectore in primis requiritur, ut nullo partium studio abducatur, ut intra justos historiæ, dogmatis, disciplinæque terminos sese contineat, quotiescumque notas aliquas adjicere oportet. Prætermissis Binii notis, qui Baronii vestigiis constanter institit, quique inania pro veris audacter venditavit, illud dissimulandum non est, fere nihil animum ad certas Regni Ecclesiæque Gallicanæ leges advertisse quosdam Auctores, qui ejus doctrinam de Concilii supra Pontificem auctoritate, tanquam hæreticam & Schismaticam existimarunt. Fertur, Raynaldum Tomum decimum octavum continuati Baronii dedicasse Clero ann. 1660. simul coacto; cui tamen probari non magnopere potuit, tum quod injuriose nimis invehebatur in Concilium Basileense, tota Gallia laudatum; tum quod dicebat Gallicanam Ecclesiam, lata pro Clemente VII. contra Urbanum VI. sententia, in perniciosum schisma fuisse praecipitatam.

CAPUT VI.

De vitiis, quæ in Conciliorum Collectionibus reperiuntur.

QUI animo secum ipse reputet, quales esse debeant, tum quales sint Conciliorum Collectiones, is vitia, quibus hæ laborant, facile deprehendet. Inutile admodum esset, indicare, quid in qualibet vel amputari, vel addi oporteret: qui enim vel tantillum animadvertat tum ea, quibus constare debent, tum formam, quæ in iis observanda est; præterea ordinem, quem habere debent; difficultates, quibus sunt circumseptæ, præsidia ea denique omnia, quibus Conciliorum Collector debet esse egregie instructus, is facile sentiet, esse eas, criticæ artis præsertim defectu, innumeris mendis erroribusque refertas. Superioribus capitibus hæc ego perpendi varia omnia, quæ materiam, formam, ordinemque in Conciliorum Collectionibus servandum, quæque ipsos Collectores afficiunt; restat nunc, ut quid horum cuique Collectioni conveniat, ostendam. In quo opusculorum ordinem aliquando sequar; aliquando vitia in certa capita conjiciam, ne eadem sæpius repetam, legentibusque fastidium creem.

ARTICULUS I.

In quo vitia Collectionis Merlini expenduntur.

EX titulo, quem Merlinus in sua Collectione dat Canonibus, qui Apostolis tribuuntur: *Canones Apostolici per Clementem probati*, conjici potest, Collectionem hanc primi sæculi esse, atque in hac illum opinione fuisse. Admonere debebat, Epistolam, quam initio voluminis primi dat sub nomine Aurelii Episcopi Carthaginiensis ad Damasum Papam, & Epistolam sub hujus Papæ nomine ad Aurelium, suppositas esse. In quo omnes docti conveniunt, qui idcirco illas adducendas putant, *ne Lector ecclesiastica simul ac pseudoecclesiastica curiosus, illas de Merlino, Crabbe, Surio, Nicolino, certe aliunde cogatur emendicare.*

P. Labbeus.

Primi hujus Collectoris propositum illud est, ut una cum Isidori Collectione quædam Pontificum Decreta in lucem edar. Testatur Vanespen, *priorem Tomum Merlini meram esse Isidori collectionem nisi quod R. P. Gregorii duæ additæ sunt Decretales, tanquam ex ipsa Isidoriana collectione.* Merlinus tamen hac de re aliter fortasse sentiebat; siquidem admonet, eas se reperisse in quibusdam antiquis Mss. ad hujus Collectionis finem.

Præterquamquod ordinem in celebrando Concilio a Patribus Concilii quarti Toletani præscriptum non dedit nisi admodum imperfecte, (Garcias Loaisa deinde hunc multis locis mutilatum emendavit) illud etiam admonere debebat cum Labbæo, *hunc ordinem non generalem fuisse, sed tantum forte in Toletanis, vel aliis in Hispania celebratis Conciliis*; adeo ut extra hoc regnum nusquam in legem abierit. Nam donatio Constantini in Merlini Collectionem illata non majoris auctoritatis est, quam falsæ Decretales collectæ vel confictæ ab Isidoro, quem nonnulli Isidorum Hispalensem esse putarunt. Cur autem ita crederent, hæc iis causa fuit. Hincmarus Rhemensis affirmat, Riculphum Episcopum Magontinum ex Hispania attulisse Epistolas Pontificum ab Isidoro collectas. Hoc testimonio nisi ii, qui a Gregorio XIII. ad emendandum Gratiani Decretum selecti sunt, non dubitarunt, Decretalium Collectionem, quæ Isidori nomen præfert, Isidoro Hispalensi attribuere. Jure tamen contra sentit vir doctissimus Antonius Augustinus. Et sane, quomodo Isidorus Hispalensis ann. 636. mortuus potest esse Auctor illius Decretalium Collectionis, quæ continet excerpta Concilii Toletani ann. 675. sexti Concilii generalis ann. 681. Concilii Emeritani, & secundi Bracarensis, Decretorum Gregorii II. Gregorii III. Bonifacii Archiepiscopi Magontini, & aliorum plurimorum, qui longo post Hispalensem temporis intervallo vixerunt? Quomodo huic Collectioni adjici potuissent Fragmenta epistolarum Bonifacii Magontini ad Regem Theobaldum, & Abbatissæ Cangith ad eundem Bonifacium, integro sæculo, ut fatentur omnes, post ejus mortem conscriptarum? Igitur Decretalium Collector, qui vixit, elapso sæculo septimo, atque adeo etiam nono (ut ex ejus dicendi stylo apparet) non est Isidorus Hispalensis; & in Catalogo Episcoporum hujus Urbis, nullus hoc nomine invenitur post sæculum septimum: hinc Isidorus, cujus nomen extat initio Ms. quod Romæ in Bibliotheca Jacobitarum servatur, & in Ms. Ivonis Charnotensis, erat vel præstans quidam Monachus, vel Episcopus quidam, qui demisse de se ipso sentiens sibi assumpserat cognomentum *Peccator*, ab Amanuensibus per contemptum in *Mercator* immutatum. Hæc enim erat tunc temporis satis frequens consuetudo, ut apparet ex Concilio primo Turonensi, ex tertio Parisiensi, ex Martyrologio Adonis, aliisque, ita animadvertente de Marca.

Opuscul. adv. Hincmar. Laud. cap. 24.

De Concord. Sacerdot. & Imper. lib. 3. cap. 5.

Eruditi tanquam apocrypha habent exemplar cujusdam formatæ Epistolæ, & Decretales plures, quæ illud excipiunt in Collectione Merlini. Idem etiam dici posset de quodam scripto, quod post tertiam Damasi Papæ Epistolam collocavit hoc titulo: *Quod omnes de Filio Dei & Spiritu Sancto, & de unitate Trinitatis male sentientes sint similes Judæis*; quid enim auctoritatis inesse potest huic Opusculo?

Post Merlinianam Conciliorum Editionem, in Græco Bibliothecæ Palatinæ Ms. reperta sunt Acta Concilii Constantinopoli habiti ann. 536. post Papæ Agapithi mortem, eo disposita ordine, quem Collector iste sequutus est. Id autem ostendit, Merlinum, nullo discrimine adhibito, eum sibi ordinem delegisse, quem deprehenderat in alio hujus generis Ms. in quo Amanuensium inscitia vel incuria omnia permiscuit. Post plures prolusorias Epistolas, Merlinus locat Actionem quin-

tam ante quatuor priores, additque veluti compendium eorum, quæ peracta sunt in Concilio Jerosolymitano, quod, quamvis eodem anno, ejusdemque rei gratia coactum fuerit, non tamen idcirco cum Constantinopolitano confundi debet. Versio Actorum hujus Concilii, quam dat, pluribus in locis obscurissima est. Concilium ipsum quintum appellat. Hinc in ejus Collectione non reperitur Concilium quintum Generale ann. 553, habitum pro facto trium Capitulorum. Ad Agapithi Pontificatum refert Opuscula plura, quæ ad Pontificatum Felicis pertinent.

In fine Concilii sexti Generalis Merlinus posuit hæc verba: *Scriptus est hic Codex tempore domini Sergii SS. ac Beatissimi Papæ & in Patriarchio Sanctæ Ecclesiæ Romanæ reconditus*. Quid vero sit hujusmodi Manuscriptum, de quo loquitur, adhuc nos lateret, nisi Labbæus Bellovacense MS, esse admonuisset.

ARTICULUS II.

In quo vitia Collectionis Crabbe expenduntur.

CRabbe melius suæ Conciliorum Collectioni consuluit. Plura in consilium adhibuit cujusque Opusculi exemplaria MSS. quorum ope, suisque conjecturis adjectis studuit, quæ vitiosa erant, emendare: ipsemet fatetur, se plura sustulisse errorum millia, quibus præcedentes Collectiones laborabant; adeo ut, quemadmodum nocti dies, ita sua reliquis anteferenda sit. Ubi certos quosdam locos obscuros ac depravatos, ex tritis vel laceratis MS. restituere non potuit, eos reliquit, quales invenerat, Lectorem tantummodo admonens hac nota ad marginem, *locus obscurus*, *corruptus*, &c. Nihilominus Collectioni suæ inseruit Tractatum ita inscriptum: *De primatu Romanæ Ecclesiæ*, quem VVendelstin typis Magontinis ediderat ann. 1525. Non liquet, quisnam sit Auctor hujus Tractatus, qui nihil est aliud, nisi Collectio locorum, & coagmentatio auctoritatum deductarum ex S. Scriptura, ex plurium Pontificum Decretis, & ex Operibus quorumdam Patrum, ut S. Dionysii Areopagitæ, Tertulliani, S. Irænei, aliorumque. Quæritur nunc, cur Crabbe in sua Collectione primum locum dederit huic Tractatui, qui non potest esse conscriptus, nisi post Pontificatum Nicolai I. cujus hic affertur auctoritas, & ab Auctore cæteroquin non satis perito. Decretales Pontificum Anacleti, Zephyrini, Callixti, Fabiani, Sixti II. & Julii I. sunt ex penu Isidori, non secus ac vigesimus Canon sub Silvestri nomine allatus in secundo Romano Concilio, quod Crabbe Concilium Generale vocat: *In generali residens Synodo*. Illud *a Regibus*, quod hoc Canone legitur, non prorsus convenit cum regno Constantini, quo regnante nullus in Romano Imperio Rex fuit. Idem Collector Damaso tribuit primam Libri Pontificalis partem. Binius deinde observavit, Damasum non esse Auctorem hujus Libri, qui potius constat ex duabus Operibus, quæ pugnantia continent, ideoque diversorum Auctorum sunt. Acta Liberii Papæ, licet supposita, locum habent in hac Collectione, ut & alia Opuscula, de quibus dubitari non potest.

Sed quantæ, quæso, potest esse auctoritatis Marianus Scotus, Sæculi XI. Scriptor, in Vitas S. Clementis, & sequentium Pontificum? Atqui hujusce Auctoris Chronico tota innititur Crabbe Chronologia. Collectori huic magnopere sane desudandum erat, si quidem voluisset Epistolam S. Clementis ad S. Jacobum authenticam asserere, aut in medium causas afferre, propter quas Rufino adscribendam putavit versionem tertiæ ejusdem Papæ Epistolæ, cum non extent, nisi quædam Librorum de Recognitionibus fragmenta, ab hoc Scriptore translata. Cassiodorus Historiæ Tripartitæ coactor, & Marianus Scotus, cum ea tempestate vixerint, qua Chronologia densissimis adhuc tenebris obducta erat, Notæ, quas ex his Auctoribus Crabbe desumpsit, parum admodum Decretales, quibus adjectæ sunt, illustrant. Hinc Collectores, qui sequuti sunt, amputari posse putarunt Notas eductas ex iis Auctoribus, quorum testimonia sæpe inter se pugnantia tenebras magis, quam lucem quibusdam factis afferunt. Nihil Crabbe submovit ex Psalmis 36. & 51. allatis in Papæ Telesphori Epistola, ut testatur Labbæus. Quin etiam suo eos restituit loco, ope cujusdam antiqui MS. eosdem vertens post hæc verba, *famulari mereamini vestro Salvatori*, unde ea Merlinus male removerat, ut collocaret post illa Cantici Angelorum, *pax hominibus bonæ voluntatis*. Institutа inter Chronologos antiquos & recentes comparatione, scilicet Eusebium inter, & Auctores Libri Pontificalis, inter Marianum Scotum & Platinam, posteriores prioribus præfert, perinde ac si posteriorum pluris facienda esset auctoritas: idem etiam num jure potuit undecim & amplius Pontificatus annos Anthero Papæ adsignare?

Sed neque Cornelii Papæ tempore omnes afferre debebat S. Cypriani Epistolas, quas suæ Collectioni inseruit, Cyprianoque perperam adjudicat Epistolam decimam tertiam, quæ Cornelium Papam potius Auctorem habet. Præterea cur affert Concilium Carthaginiense pro S. Cypriano coactum, neque monet, idem ab Ecclesia reprobatum fuisse? quomodo affirmare potest, id fuisse habitum, Cornelio Papa? Concilii etiam Ancyrani tempus ignorat, cum dicit, id habitum fuisse ann. circiter 308. paulo post Pontificatum Marcellini, qui obierat ann. 304. Concilium, de quo agitur, pertinet ad ann. 314. Inter ejus vero celebrationem, & illius Papæ Pontificatum decem anni intercessere. Epistola, quam Constantinus Junior scripsit ad Fideles Alexandriæ, iisdem remittens S. Athanasium, quem ab exilio revocaverat, non Marco, sed Julio potius Pontifice conscripta fuit. Concilium Carthaginiense nomine quartum celebratum fuit ann. 398. Anastasio Papa, non autem Siricio, ejus antecessore. Concilium septimum Carthaginiense, quod potius secunda sexti Sessio appellari debet, non pertinet ad Pontificatum Bonifacii I. quemadmodum neque 105. Canones ex variis Africæ Conciliis excerpti, quorum plerique Cœlestini I. tempore conditi, post hujus Papæ Decreta collocari debent.

Crabbe triginta annis ante affert Concilium Tarracone celebratum ann. 516. sub Pontificatu Hormisdæ, dum illud collocat ante finem sæculi quinti sub Felice III. qui Simplicium excepit. Idem dicendum est de Concilio Epaunensi, quod hic Collector in Gelasii Papæ tempora confert, licet habitum fuerit viginti post annos sub Hormisda. Idem Collector in hujus postremi Papæ annos conjicit etiam Concilium primum Aurelianense, quod aliquanto ante habitum fuit, Pontifice Symmacho. Non sane video, cur omiserit inscriptionem Epistolæ, quam Felix III. Papa, vel ad omnes Episcopos, ut ferunt MSS. vel, ut eruditi putant, ad Episcopos Siciliæ tantum scripsit de iis, qui ab Arianis rebaptizati fuerant. Quædam addidit Concilio Calcedonensi, ut sensum alicubi imperfectum expleret, sed addendo ejusdem Acta valde corrupit. In margine habentur Adnotationes, quas Crabbe esse diceres, cum Rusticus earum Auctor subticeatur. Quod dat, tanquam Edictum Imperatoris Justiniani missum ad Joannem II. qui Papa erat ann. 532. nihil aliud est, quam expositio Fidei ab hoc Imperatore omnibus Christianis proposita, ad refellendas hæreses, quæ christianam Doctrinam oppugnabant. Isthæc expositio pertinet ad quintum Concilium Generale, quod est secundum Constantinopolitanum ann. 553. celebratum. Ejus primi Voluminis tabula pluribus locis vitiosa est; ex. gr. ante primum Concilium Turonense citat aliud Romanum, quod in Opere alio stat loco; præterea aliud citat Romanum Concilium pagina 518. neque eo loco invenitur.

Collector iste *Synodum quintam* appellat Concilium Constantinopoli habitum Agapithi, Silverii, & Vigilii Pontificum tempore: post hoc non sine magna confusione affert Concilium sub Patriarcha Mennade celebratum. Ad hoc Concilium habentur Epistolæ ad Petrum Fullonio, quæ pertinent ad Concilium Constantinopolitanum habitum ann. 483. Felice III. Papa. Sub Papa Vigilio attulit secundum Concilium Aurelianense habitum ann. 533. Joanne II. Pontifice. Attulit tertium, cele-

celebratum ann. 588. Pontifice Silverio: attulit Arverniense habitum ann. 535. Agapitho I. Papa. Concilia Aurelianensia quartum & quintum, quæ in Pelagii I. Pontificatum conjecit, Pontifice Vigilio, celebrata fuere, Concilium secundum Turonense, quod celebratum dicit Pelagii I. tempore, ad Joannis III. Pontificatum pertinet. Concilium Antissiodorense, quod, Deusdedit Pontifice, affert, Pelagii II. tempore habitum est. Concilium, quod primum Bracarense vocat, quodque in Collectione Labbæi secundum est, non Honorii I. sed potius Joannis III. tempore, ann. scilicet 563. celebratum fuit. Idem errat, cum dicit, Bracarense secundum fuisse habitum *anno secundo regis Ariamiri*, siquidem illud, quod primum vocat, celebratum fuit *anno tertio regis Ariamiri*, Si modo hic unus idemque fuit Ariamirus Svecorum Rex. Constat inter omnes Criticos, Epistolam de Chorepiscopis Joanni III. tributam, & Epistolam de Trinitate tributam Benedicto I. Isidorum Auctorem habere, ut & aliæ plures, quæ Pelagii II. nomen præseferebant. Inter cæteras ea, quæ scripta est ad omnes Episcopos a Joanne Episcopo Constantinopolitano in hanc Urbem coactos, seu potius ad Joannem hunc ipsum, supposititia est; dubiæ vero fidei fragmentum ejus Epistolæ, quam Papa Deusdedit scripsit ad Episcopum Hispalensem, Gordianum nomine. Collector iste locat Concilium nonum Toletanum ante Pontificatum Eugenii I. quo demum Pontifice habitum fuit; decimum vero ante Pontificatum Vitaliani, quo fuit celebratum, Non debuerat ea in Martini I. ætatem conjicere; sed oportebat ad Pontificatum hujus Pontificis referre Concilium Cabillonense; ad Pontificatum Adeodati undecimum Toletanum, & tertium, ut vocat, Bracarense, & Actis Concilii Lateranensis adjungere Decreta, seu viginti Articulos a Papa Martino I. promulgatos adversus hæresim Monothelitarum, præsertim vero adversus Theodorum & Cyrum. Novem ii Canones, quos Crabbe dat hoc titulo: *Decreta Concilii Constantinopolitani sexti*, nunc ad hoc Concilium revera pertinent? Surius, in hoc prudentior, observat, non eos hujusce Concilii esse, eosdemque non alia de causa in Collectionem suam transtulisse, nisi quod sententias pietatis religionisque plenissimas continerent. Concilium sextum sub Dono ne convocatum fuit? an potius sub Agathone ejus Successore, cui tradita fuit Epistola a Constantino Pogonato missa ad Donum, quem adhuc vivum existimabat? Quare igitur Collector ante Epistolam Imperatoris ad Georgium Patriarcham affert, *Actio prima sub Agathone*, ac deinde, *principium Sancti sexti Concilii*?

Tom. 2.

Tom. 2. par. 2.

Ratio, qua probat, Concilium VVormatiense habitum fuisse Caroli Magni, ejusque filii Ludovici tempore, nulla fuit apud Criticos, qui illud collocarunt an. 868. sub Adriano II. Latina, quam dat, Concilii Florentini versio ea est, quam Abrahamus Cretensis edidit ann. 1526. Hinc & ejus Interpretis protulit errores, qui tot sunt, ut Arcadius *Græca libentius recensenda* putaverit. De Marca huic Interpreti objicit ambiguam cujusdam loci versionem in Decreto unionis, quod conditum fuit in Concilio Florentino: „ Definimus, „ Sedem Apostolicam, & Pontificem Romanum „ esse S. Petri Successorem, Vicarium Jesu Christi, „ totius Ecclesiæ Caput, Patrem & Doctorem „ omnium Christianorum, plenamque potestatem „ nutriendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam „ universam illi in S. Petri persona fuisse datam a „ Domino nostro Jesu Christo: quemadmodum „ etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum „ & in Sacris Canonibus continetur. „ Græcorum verborum sensus est, non debere, nisi in hunc modum, & potestate uti, adeo ut, quod Græci vehementer optabant, Pontificum Privilegia juxta Canones explicanda essent. Etiam Latini eundem sequi sententiam debent. Nihilominus verba illa, *quemadmodum etiam in gestis OEcumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur*, significare possent, facultatem Papæ attributam ab Actis Conciliorum Canonibus probatam esse. Atque iste, multique præterea errores alii a prima Crabbe Collectione in sequentem transiere.

Lib. 3. de concord. Eccl. Oriental. & Occident. c. 9.

Breviter admodum ego recensui, quæ in prima Crabbe Editione vitiosiora sunt: duo adhuc remanent, quæ non satis accuratam hujus Collectoris industriam evincunt: titulus scilicet octavi Concilii Generalis ab eo datus Concilio Florentino, & prætermissa Concilii Viennensis Decreta; eo quod in Clementinis reperiantur. Tandem, quantum Collectio hæc indigeat emendatione, is intelliget, qui editionem, quam dat, fragmentorum de condemnatione Theodori Episcopi Cæsareensis, & de Constitutione Vigilii tria Capitula afficiente, cum Labbæi editione contulerit.

Tom. 5. Conc. col. 337.

ARTICULUS III.

In quo vitia secundæ Crabbe Collectionis expenduntur.

QUamvis secunda Crabbe editio, sit aliquanto accuratior & auctior, tamen, quæ ex vulgari interpretatione deducit, non omnino Conciliorum Collectioni conveniunt. Appendix, sive, ut vocat, *Coronis*, quam 84. Apostolorum Canonibus adjunxit, ex hac secunda Editione in sequentes pertransiit. Eum autem accusant, quod quædam mutaverit in Textu Concilii I. Arausicani; quod ad oram Canonis hujus Concilii quasdam varietates lectionum adjecerit; quod levi admodum de causa secundi Nicæni Concilii Canones omiserit. (Ea vero est, quod omnes inveniuntur in Libro, qui inscribitur ὁμοκάνονος, seu Canonum omnium Volumen.) Quod in annum 830. sub Gregorio IV. conjecerit Concilium ad Aquas-Sextias, quatuordecim ante annis celebratum sub Stephano IV. quod Nicolao I. tribuerit quædam Decreta a Nicolao II. condita in Concilio Romæ habito ann. 1059. quod in ann. 1023. contulerit Concilium Selginstadii habitum sub Benedicto VIII. licet Indictio V. ibi adhibita illud conferat in annum 1022. quod tandem qualibet Concilii Florentini pagina nimis studiose notaverit: *Generalis octavæ Synodi Acta*, sive *Sessio*, &c.

Labbè Concil. tom. 3. col. 1448.

Tom. 2.

Ibidem.

Tom. 3.

Mirabitur fortasse quispiam, in Conciliorum Collectione locum habere Interim editum ab Imperatore Carolo V. in Comitiis Augustæ Vindelicorum die 15. Maji 1549. & Declarationem ejusdem Imperatoris, sive Decretum Reformationis. Ultimo loco animadvertam, Indicem Concilii Lateranensis sub Alexandro III. habiti præmittendum esse secundæ tantum parti Actorum suorum, & illorum præterea, ad quæ refertur; clausulamque, in quam desinit Concilii Tridentini Decretum originale peccatum afficiens, quo decreto profitetur Concilium se non comprehendere Beatissimam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Matrem, non reperiri in hac Crabbe Editione Sessione quarta, ubi hoc Decretum affert, licet in aliis omnibus ad Sessionem quintam pertineat.

Ibidem.

ARTICULUS IV.

In quo vitia Collectionis Joverii expenduntur.

NE quemquam Collectorum omittam, loquor hic de Joverio, cujus nulla videtur esse criticæ artis cognitio. Is leviter admodum diluit difficultates, quas de Canonum Apostolorum numero sibi proponit. Postquam ex una parte attulit Canonem 28. (dicendum erat 29.) quo cavetur, ut; qui dignitatem Episcopalem argento consequuti sunt, deponantur, addit: *ut Simon fuit depositus a me Petro*; quod ostenderet, S. Petrum esse horum Canonum Auctorem. Ex altera verò parte cum sibi objecisset, ex postremo Canone in Sacrorum Librorum Catalogum referri S. Joannis Evangelium, quod conscriptum non fuit, nisi post ejus ex Insula Pathmos reditum, Nervæ tempore, quodque confirmari non potuit a S. Petro, qui obierat decimo quarto Neronis Imperatoris anno, juxta Chronica Eusebii & S. Hieronymi concludit, ex unius, vel alterius Canonis obscuritate non omnes Apostolorum Canones in dubium esse revocandos. Idem non dubitat, Concilio Nicæno viginti & amplius Canones tribuere, innixus tum sup-

suppositiis Epistolis S. Athanasii ad Papam Marcum, & hujus Papæ ad eundem Doctorem, tum apocryphis Liberii epistolis, sanctique Hieronymi auctoritate, qui dicit Concilium Nicænum in Sacrorum Librorum numero etiam librum Judith posuisse. Sed, ne quid ex S. Hieronymi auctoritate imminuatur, satis est, si laudatus Doctor in aliquo Patrum hujus Concilii Tractatu, vel etiam in ejus Actis, quæ integra habebat, ut ipse ait in Dial. adversus Luciferianos, invenerit Librum Judith citatum, tanquam Scripturæ Librum.

Quemadmodum Joverius non omnia profitetur se dare Conciliorum Opuscula, ita mirandum non est, cum omisisse subscriptiones Concilii Sardicensis, & Scholia S. Cyrilli in Mysterium Incarnationis, quæ pars sunt Collectionis, quæ inscribitur : *Libellus Synodalis Constitutionum*, &c. Mirandum potius, eum, libello hoc prætermisso, quædam dedisse falsa Opuscula, cujusmodi est Canon, sive *Constitutum* Silvestri, quod, ut jam dixi, fictitium est, nulliusque auctoritatis. Versio 102. Canonum Concilii Quinisexti, quam sexto Concilio generali attribuit, nihil emendatior est eo MS. græco, ad quod elaborata fuit. Hic ejus mos est, ut aliquando Canones integros, aliquando det Canonum excerpta, quibusdam etiam additis summariis, ut præstitit quoad Canones Concilii quarti Constantinopolitani ann. 869. & 870. celebrati. Dat titulos tantum Capitulorum ex Conciliis Lateranensibus celebratis sub Alexandro III. anno 1170. & sub Innocentio III. ann. 1215. satis habet, indicare sextum Decretalium, Clementinas, & Extravagantes, ad quas eos mittit, qui Pontificum Nicolao I. posteriorum Decreta perlegere cupiunt.

Joverius a Conciliorum Textu Notas suas non distinguit; omnia eodem charactere impressa sunt. Porro Notæ non magni pretii sunt, ut apparet ex iis, in quibus admonet, Concilium, in quo Papæ Legatus adsit, non idcirco esse etiam OEcumenicum; siquidem duo Legati interêrant secundo Concilio Arelatensi, & sexto Carthaginiensi, quæ tamen non fuere OEcumenica; præterea, ut generalia sint Concilia, quæ Papa Romæ habet, ut Patriarcha, requiri generalem convocationem; Joannem XXIII. a quibusdam Auctoribus censeri tanquam vigesimum quartum hujus nominis Papam, siquidem in Pontificum numerum referunt Joannem Magontinum sub *Joannis Anglici* nomine, post Papam Joannem VIII. imperante Lothario; Actiones Concilii sexti celebratas fuisse, imperatore Constantino *Pogonato*, ejusque Canones, Justiniano II. ejus filio Imperatore, confectos. Discutiendas aggreditur quasdam quæstiones, quæ Commentario magis, quam Conciliorum Collectioni conveniunt. Ex harum numero hæc est : utrum Papa ei, qui sanctos ordines susceperit, facultatem matrimonii contrahendi concedere possit. Mirum sane est, qui compendiarium iter sibi faciendum proposuerat, cum tam late se se diffundere, illasque persequi observationes, quæ vel exigui momenti sunt, vel nihil continent, quod non dictum fuerit prius; ut observationes in particulam *filioque*, & in quintum Canonem Concilii primi Constantinopolitani habiti ann. 381.

ARTICULUS V.

In quo vitia Collectionis Surii expenduntur.

COllectio Surii erroribus scatet, teste Antonio Augustino; qui *Singulis voluminibus sexcenta menda se deprehendisse* dicit. Deprehendit autem, *multa* in ea *desiderari*, *quæ addenda* sunt; *multa* item ex ea *tollenda*, *male collocata*. Collector, qui modo in judicium venit, S. Clementi attribuit Constitutiones, quæ Apostolicæ dicuntur: plures Canones dat, non probata prius illorum auctoritate. Hujusmodi sunt Canones supposititi Concilii Nicæni de Baptismo, & Eucharistia, quos Cuthbertus Tonstal Prælatus Anglicus citaverat in Libro: *De veritate Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia*. Non prætermisit hic tertiam quamdam versionem falsi Canonis attributi Papæ Silvestro, vel nescio cui secundo Concilio Romæ habito, hoc Pontifice, neque suppressit nonnullas Crabbe Notas, quæ nullius utilitatis erant. Critica ejus ratio probari facile posset, si quædam facta, quæ prima Ecclesiæ sæcula afficiunt, alia, præterquam Nicephori Callixti auctoritate tueretur; si meliore ordine collocasset Opuscula Collectionis, quæ ad tria pertinent priora Generalia Concilia, ita [Tom. 1. p. 609.] inscripta : *Synodicarum Constitutionum Libellus*; si ejusdem libelli non valde mediocrem versionem dedisset; si denique, dum inter Concilii Calcedo- [Tom. 2. p. 206.] nensis Canones referret Canonem vigesimum octavum ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ privilegia spectantem, admonuisset, hunc a S. Leone fuisse rejectum. Surius eundem servavit perturbatum ordinem, quo Crabbe ante ipsum dederat Acta Concilii Constantinopolitani sub Mennade; &, ut Crabbe, initio Actionis quintæ hunc titulum af- [Tom. 2. p. 421.] fixit: *Actio prima*. Decimus tertius ex Anathematismis, quos post Crabbem S. Quintiano attribuit, [Ibid. p. 632.] itemque septem, qui sequuntur, non laudatum Asculanum Episcopum, sed Asclepiadem Episcopum Trallensem Auctorem habent, ut constat ex MS. Vatic. conscriptique fuere ann. 483. Quod Liberius Papa, mutata sententia, Arianorum par- [Tom. 1. p. 431.] tes sequutus sit, eo quod Eudoxius, ejusque asseclæ in causa Ætii simul coacti disseminarunt, hunc Papam rejecisse *omousion*, Deique Filium Patri suo inæqualem credidisse; hæc est hujus Collectoris conjectura, cujus nullam probationem af- [Tom. 1. p. 719.] fert. Transtulit in Textum lectiones aliquot, quas Crabbe posuerat ad marginem undecimi, vigesimi primi, vigesimi secundi, & vigesimi septimi Canonum Concilii Arausicani; alias prorsus removit, ut ad Canonem 16. vel eas tantum retinuit, quas necessarias judicavit, ut ad Canonem quintum. Observatum est, in ejus Collectione Episto- [Tom. 2. p. 220.] lam Mariani Imperatoris ad Archimandritas pluribus locis vitiosissimam esse; in titulo vero Epistolæ Imperatoris Leonis ad Episcopos Metropolitanos totius Orientis & Occidentis, Collectorem male legisse: *in Sicilia* pro *Encyclia*. Male item [Ibid. p. 232.] vocabulum *Encyclia* intelligit de Litteris circularibus, cum Litterarum potius Collectionem significet. Editor Venetæ Collectionis ægre admodum fert, cum decem tantummodo Gregorii Papæ Epistolas attulisse. Et sane, præter has plures aliæ habentur ejusdem Papæ Epistolæ, quæ gravissimæ sunt, & ad Concilia referuntur. Vulgaris, & antiqua, quam dat, secundi Concilii Nicæni versio [Tom. 3. p. 48.] non omnia continet, quæ sunt in Anastasii versione; Epistola vero Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani ad Monachum nomine Joannem, quam Initio Actorum hujus Concilii affert; ad octavam ejusdem Sessionem pertinet. Idem Collector dedit Scriptum Adriani Papæ ad Carolum regem, sed lacunis oppletum, quas deinde explevit P. Lab- [Labbè Conc. tom. 7.] bæus.

In assignando Conciliorum tempore & ordine parum accuratus. Referendum erat tempore Feli- [Tom. 1. p. 722.] cis IV. ann. 529. secundum Concilium Arausicanum, quod refert tempore Leonis I. Papæ, anno 516. Pontifice Hormisda Concilium Tarraconense, quod refert Pontifice Felice III. ann. 517. Epaunense, quod collocat sub Gelasio I. ann. 524. sub Joanne I. Ilerdense, quod post Symmachi Epistolas posuit. Concilium primum Arausicanum collocandum erat ante Agathense; tertium Arelatense ann. 453. celebratum, nonnisi post Calcedonense. Duo Concilia Bracarensia, quorum primum [Tom. 2. p. 746. & 752.] habitum fuit ann. 563. alterum vero ann. 572. item quarumdam Synodorum Decreta, quæ ad idem tempus pertinent, male ab hoc Collectore collocata fuerunt post sextum Concilium Tolletanum habitum ann. 648.

Sirmondus secundum Concilium Valentiæ in Gallia sub Gontrano ponit ann. 584. Romanum vero sub Gregorio I. tempore Imperatorum Mauritii, Tiberii, & Theodosii. Ex Sirmondo horum Conciliorum tempora in Surio emendanda. Concilia Suessionis & Vernolii celebrata fuerunt, regnante Chilperico; primum ann. 744. alterum anno 755. quam in rem multa affert doctrinæ lumina; multa additamenta Gallicorum Conciliorum Collector. Surius Conc. Lugdunense quod ipse ap- [Tom. 2. p. 677.] pellat primum, Sirmondus vero secundum) dat

Indictionem tertiam, licet referendum sit ad Indictionem 15. Concilium Forojuliense ann. 791. debet esse prius Francfordiensi ann. 794. celebrato, & Concilium apud Theodonis villam ann. 835. collocari debet statim post Concilium Aquisgranense anno sequenti celebratum. Quod Collector, & Crabbe appellant: *Capitulum Ecclesiasticum apud Theodonis-Villam a Carolo Magno, & Ludovico & primis Galliæ collaudatum & subscriptum*, est Ludovici Pii Constitutio. Hic obiter observabo ex occasione Concilii Arelatensis habiti ann. 813. errores, qui passim deprehenduntur, magna ex parte etiam fuisse profectos ex notis iis compendiariis, quibus Conciliorum, communque Actorum dies signabantur. Prologus hujus Concilii ita incipit in Surio: *Dum anno quadragesimo sexto*: in Labbæo vero: Dum Anno XLIV.

Tom.3.p.268.

Ibidem.

Sed nimis longum esset, omnia recensere, quæcumque a Surio omissa fuerunt. Frustra in ejus Collectione quæras secundum Librum Concilii Aquisgranensis habiti ann. 816. qui Religiosas afficit: frustra subscriptiones Concilii apud Suessiones habiti: frustra Epocham Concilii Metensis habiti ann. 888. Item Epistolam Leonis Papæ IX. ad Episcopos Provinciarum Venetæ & Istriæ, item aliam ejusdem Papæ ad omnes Italiæ Episcopos, tum Epistolam Cleri Leodiensis ad Paschalem II. Opusculum Tripartitum, quod habetur in Crabbe, statuta Synodalia Valentini Episcopi Hidesiani ann. 1539. & Sermones in Concilio Tridentino recitatos. Collector hic, non sine causa, a Collectione sua removit *Interim* Imperatoris Caroli V. Sed Richerius *valde dolendum dicit, omnia acta Synodi Tridentinæ fideliter edita non fuisse, quorum quidem proœmium & fundamentum commentarii fiducia Adriani VI. ad Franciscum Cheregatum nuncium apostolicum in Germania cum articulis jussu Pauli III. pro Ecclesia & curia Romana reformanda conceptis facere videntur. Idque fuit incentivo fratri Petro Crabbe Franciscano, ut ejusmodi articulos novem virorum Synodo Tridentinæ in sua collectione Conciliorum præfigeret; miror que quonam casu, vel instituto hoc novemvirale Concilium a fratre Laurentio Surio Carthusiano prætermissum aut expunctum fuerit, cum operæ pretium historiæ ecclesiasticæ constituat.* Mitto, citationes ad marginem, præsertim Decreti Gratianæi mendaces esse; ut patet citationes decimi Concilii Toletani consideranti.

Tom.3.p.381.

Hist. Concil. l. 4. 2. part.

Tom.2.p.650. Idem Collector multa movit loco suo. Qui animum vel tantillum advertit ad Canones 22. & 23. Concilii quinti Aureliani, facile intelligit, eos esse loco removendos, & Canonem vigesimum secundum in illius Collectione esse Concilii conclusionem. Transpositio hæc etiam in Binii Editionem ann. 1618. pertransiit. Concilium Magontinum ann. 843. male collocatur inter Concilium ad Aquas-Sextias ann. 836. Et tres hujus Concilii Libros, qui ab illo sejungi non debent. Inscriptio Epistolæ Nicolai I. ostendit, eam non solum ad Imperatorem Michaelem, sed ad omnes etiam Catholicos esse conscriptam: Nonnullos octavi Concilii generalis Canones integros affert; alios vero, ut 2. 4. 6. 8. 10. 11. 15. 16. 20. 23. 25. 27. per compendium: alios demum per partes, cujusmodi sunt 7. & 21. Nonum numero 9. positum non dedit, cum is decimi noni Canonis pars sit, prout ipse admonet.

Tom.3.p.481.

Ibidem.

ARTICULUS VI.

In quo vitia Collectionis Venetæ expenduntur.

Collectio Conciliorum Venetiis impressa nihil accuratior præcedentibus est. Ejus Editores plura peccarunt:

I. Quod ordinem immutarunt, quo S. Cypriani Epistolæ in superioribus Collectionibus collocatæ erant, nulla hujus mutationis allata causa. Ita Epistolæ I. & II. S. Cypriani in Suriana Conciliorum Editione, in hac sunt V. & VII.

II. Quod Onuphrium sibi, tanquam Ducem, in Chronologia sequendum proposuerunt; quodque Eusebium citantes usi sunt Chrystophorsonis versione, quæ est mendosissima.

III. Quod, cum ex Onuphrio transcripsissent Vitas Sabiniani I. Bonifacii III. & Bonifacii IV. *ut series non interrupta Pontificum haberetur*, iidem vero non dederint eorum Vitas, qui Pontificatum post Adrianum III. tenuerunt, ratione adducti priori fere contraria, *ne scilicet ipsa actorum Ecclesiasticorum series nimis interrumperetur*.

IV. Quod, duobus Marcelli I. Papæ Decretis propositis, unum deinde tantummodo afferant. Porro Decretum hoc, quod Veneti Editores nunquam ante Collectionem suam editum fuisse putarunt, habetur in Suriana.

V. Quod ante Eusebii Papæ Decreta afferunt Canones Conciliorum Carthaginiensis, Romani, & Arelatensis, quæ dicunt celebrata fuisse Pontifice Melchiade ejus Successore; quod Siricii Papæ tempore afferunt Concilium Tellense, Zozimo Papa habitum; quod in Silvestri Papæ tempus, & post Concilium Gangrense conjiciunt secundum Arelatense ann. circiter 452. celebratum.

VI. Quod ex *Nomocanone*, & ex quibusdam Historiis, in quibus habetur jactata Constantini donatio, scriptumque huic Imperatori falso tributum, contendunt, duo isthæc Opuscula probari posse authentica.

VII. Quod versionem dant vitiosissimam Epistolæ Ecclesiæ Orientalis ad Symmachum; & imperfectam admodum Editionem Epistolæ Gelasii ad Episcopos Dardaniæ; quodque in illorum Collectione Canones 24. & 25. nonnullæque Concilii tertii Aureliani Subscriptiones sunt valde deformatæ. Epistola Symmachi ad Dardaniæ Clericos duobus diversis locis affertur.

VIII. Quod falsis citationibus lectorem mittunt ad Decretum Gratiani.

IX. Quod cum Surio tribuunt Gregorio II. Papæ Epistolam Bonifacii III. ad Episcopum ejusdem nominis; & Gregorio III. Epistolam Gregorii II. Papæ.

Ἀδύνατον est, ea indicare Concilia omnia, de quibus nullum verbum apud Venetos Collectores. Quædam præterea sunt, quorum Decreta ex parte tantummodo dant; ejusmodi est Concilium Aquisgranense habitum ann. 816.

ARTICULUS VII.

In quo Editio Conciliorum Generalium Romæ facta expenditur.

De tribus Binii Conciliorum Editionibus non loquar, nisi prius ostendero errata, in quæ prolapsi sunt Editores Collectionis Romæ impressæ. Omissis igitur, quæ fieri possent, minutis quibusdam observationibus, statim ad graviora contendam. Qui Græcum Editionis Romanæ cum Labbæanæ Editionis Græco conferat, facile intelliget, plurima esse in priore, quæ correctione egent. Possumus tamen adhuc plures alias lectiones adjicere, vel conjectura, vel alia ratione, neque tenemur eas omnes adsciscere, quæ ad marginem sedent. Sed & latinæ versiones sua vitia habent. Non loquor solum de erroribus Typographorum: sed addo etiam; multa esse impropria verba, quæ veram Textus sententiam non continent, multa inutilia, prætermissa multa. Tam, omissa Textus, & ordinis antiquatum Versionum mutatione, quam pulchrioris latinitatis consequendæ causa intulerunt, non omittam additiones pluribus earumdem Versionum locis factas, non sublatas magna ex parte Interpretum Notas, etiam Rustici, quarum Crabbem forsasse putarunt Auctorem, non plura Opuscula imperfecta, ut Epistolam Constantini ad Ecclesiam Nicomediæ, non prætermissas Epistolas plurimas, easque magni momenti inter eas, quæ Concilium Calcedonense afficiunt; præterea adjuncta, & nomina amplissima, quæ in Epistola S. Leonis, aliisque in locis viris virtute & dignitate conspicuis tribuuntur. Multæ omissiones sunt etiam in Tabula monumentorum, quæ secundo hujus Collectionis Volumine continentur. Tom. 1. p. 37.

Sed

Sed ne quid horum, quæ attigi, improbatum afferre videar, examinabo horum Editorum operam, præsertim in Concilia Ephesinum & Calcedonense. Quis non miretur, eos prioris Concilii latinam versionem audacter immutasse? Siquidem ex initio Actionis quartæ vel ipsi fatentur, *Versionem latinam nonnihil distare a græcis verbis, quæ corrupta videntur, & interpretis sensus magis cohærere*. Iidem pariter agnoscunt, Stephanum Ephesinum fuisse a sede dejectum in Actione decima secunda: omnia nihilominus Mss. græca eum, actione decima quarta, numerant inter præstantiores Episcopos, qui huic Concilio interfuerunt: ex hoc satis liquet, quam corrupta sint Græca. Sed & alia sunt, quæ corruptionem prodant. Inter exscripta plura, quæ Synodi ad Imperatorem Marcianum orationem excipiunt, habetur fragmentum epistolæ S. Cyrilli Alexandrini, quæ in antiquis editionibus non exhibet illius nomen, ad quem conscripta fuit. At Romani editores, cum in Græco legissent fragmentum hoc post Epistolam Nestorio conscriptam, in antiqua versione Latina, quæ adjacet, addiderunt nomen Nestorii, perinde ac si hoc nomen in ea versione revera extitisset. Sed neque animadverterunt, inscriptionem hanc non haberi, nisi in Græco; neque Crabbem audierunt, affirmantem, fragmentum hoc non esse partem Epistolæ S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum, neque alterius ejusdem Alexandrini Patriarchæ ad Nestorium. Et sane desumptum est ex Epistola hujus Patris ad successum Diocæsareæ Episcopum, juxta omnia exemplaria latina. Tandem additiones eæ plurimæ, quæ Actione decima tertia leguntur, periculum est, ne cum antiqui Interpretis versione confundantur; siquidem tum illæ, tum versio eodem charactere impressæ sunt.

Tom. 3. p. 426.
Ibid. p. 391.

Quod ad Codicem *Encyclium* Concilii Calcedonensis attinet, cum non solum extra locum suum collocarunt, sed eidem etiam inseruerunt opuscula aliena admodum ab argumento, quod in Concilio Calcedonensi pertractatum fuit. Verum quidem est, Epiphanium Scholasticum initio hujus Codicis attulisse plures Epistolas, h. e. duas Marciani ad Monachos Alexandrinos, & Jerosolymitanos, aliam Pulcheriæ ad eosdem Monachos Jerosolymitanos, aliam demum Juvenalis Episcopi Jerosolymitani ad Monachos Palæstinæ; sed eos tamen a Codice distinxerat, collocans ante Titulum & Præfationem, quam isti omiserunt. Amputarunt etiam Epiphanii monitum afficiens Episcopos, ad quos scripsit Imperator Leo, nescientes fortasse, utrum Titulus, Præfatio, & Monitum, de quo agitur, a Surio ne, an ab Epiphanio profecta fuissent. Epistola Monachi Varadati, quem alii Baradochium dicunt, in antiqua versione extabat Capite vigesimo primo. In Collectione Romana hæc eadem ita loco mota est, ut nomina Metropolitanorum, ad quos scripsit Imperator, in antiqua versione capite undecimo recensita, hic habeantur ad finem Epistolæ Imperatoris ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum Capite sexto, ac deinde Epistola Varadati. Tandem Collectores Romani, dum in locum notæ, ubi habebatur numerus Episcoporum, qui Leoni Imperatori scripsere, suffecerunt verba hæc: *Finis Concilii Calcedonensis*, sex annis retraxisse videntur Concilii Calcedonensis finem, siquidem nonnullæ ex his Litteris anno circiter 457. conscriptæ fuerunt.

ARTICULUS VIII.

In quo vitia primæ Binii Collectionis expenduntur.

Binius in eo fuit, ut Baronii observationes erroresque potius exscriberet, quam ut monumenta vera a falsis distingueret, certa Conciliorum tempora indicaret, eorumque Acta conquireret. Collector hic, in notis & observationibus parum accuratus, non videtur id sibi proposuisse, ut difficultates explicaret; sed primorum Conciliorum editorum vestigiis diligenter insistens, neque accusavit, tanquam supposititias Decretales antiquorum Pontificum usque ad Siricium, neque dictum apposititorum falsitatem ostendit, neque credidit alius, quam Apostolis tribui posse Constitutiones, quæ Apostolicæ dicuntur. Habuerat in animo, græca verba dare eorum Conciliorum, quorum Acta græce conscripta sunt; idque apparet ex eo, quod studuerat eadem sibi transcribi ex Exemplaribus Bibliothecarum, præsertim Vaticanæ, unde, tanquam ex purissimo fonte, magna sibi præsidia sperabat. Sed tantum abest, ut integra dederit ea opuscula, quæ proposuerat, ut imo ex quarto Canone Concilii Toletani habiti ann. 633. removerit verba hæc consuetudinem illam indicantia, qua Presbyteri in Conciliis sententiam suam ferre solebant: *Quos tamen sessuros secum Metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare aliquid & definire possunt*. Clausula hæc legitur in omnibus antecedentibus Conciliorum editionibus, quæ ordinem pro celebrando Concilio ab Isidoro Mercatore allatum continent, h. e. in tribus Merlini, & in illis Crabbe. Loaisa, qui eam removit, nititur tantum Ms. Collectionis Isidori, a quo dicit abesse. Sed num hoc ad hanc clausulam abscindendam erat satis? Editiones Merlini & Crabbe, quæ considerari possunt, tanquam antiquæ Isidori editiones, nonne puriores emendatioresque sunt, judicio etiam Auctorum editionis Gratianææ Romæ factæ ann. 1582. in Monito ad Lectorem? Hinc Ferdinandus de Mendoza, quoad locum hunc, editione Loaisæ neglecta, antiquam secutus est. Etiam Filesacius suspectæ fidei & negligentiæ Loaisam accusavit, quod ea verba suppresserit.

Tom. 2. p. 999.
De confirm. Conc. Elib. tom. 1. Conc. p. 1064.
De origin. parœc. c. 4.

In prima Binii Conciliorum editione frustra quæras Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ, decimam tertiam Zosimi Papæ Epistolam, Acta Conventus Carthaginiensis, Epistolam ab Africæ Episcopis ad Galliæ Prælatos conscriptam in facto Leporii, hujus Presbyteri Retractationem, Opuscula ad Domni Antiocheni factum pertinentia, Concilium III. Romanum, Pontifice Urbano II. & Paschalis II. Papæ Epistolas. Idem Centuriatoribus Magdeburgensibus relinquit Epistolam hujus Papæ ad Robertum Flandriæ Comitem, & Responsum Cleri Leodiensis ad hanc Epistolam. Non magnopere curæ fuit huic Collectori, ut cuilibet Opusculo eum locum assignaret, qui illi maxime conveniret, ratione temporis & Pontificatus, quo collocandum erat. Hinc sub Melchiadis Pontificatu posuit duas Epistolas ab Imperatore Constantino scriptas, primam quidem ad Episcopos Catholicos, quos Imperator in Provinciam quemque suam dimittit, alteram vero ad Episcopos Donatistas, quos ad pacem hortatur; hæ tamen collocandæ sunt, Silvestro Pontifice, post primum Concilium Arelatense. Post primum Concilium Alexandrinum sub Silvestro attulit Epistolas Alexandri Episcopi Alexandrini, quæ ad Concilium Nicænum pertinent. Retulit ad ann. 482. Simplicii Papæ tempore Concilium primum Turonense habitum ann. 461. Pontifice Hilario; ad ann. 453. Concilium Veneticum ann. 465. habitum; ad ann. 524. sub Joanne I. Concilium Arelatense habitum sub Simplicio Papa; ad ann. 552. Concilium quintum Aurelianum ann. 549. habitum; ad ann. 679. Concilium, quod *Anglicanum* dicit, habitum Nedtfeld, seu Niddæ ann. 680. ad ann. 685. Concilium Mediolanense ann. 679. habitum; Conciliabulum, quod *Gallicanum* dicit, habitum in Villa Regia ann. 686. ad ann. 773. Epitomem Canonum Adriani I. Papæ, qui pertinent ad ann. 774. Pontifice Leone III. Concilium habitum apud Theonis villam ann. 821. Paschale I. Pontifice; ad ann. 1022. Concilium Selgenstadii habitum ann. 1021. ut patet ex ejus Indictione V. Benedicti IX. tempore Concilium secundum Lentovicense habitum Pontifice Joanne XVIII. ad ann. 1035. Concilium Tributiense ann. 1031. habitum; ad ann. 1145. Parisiense ann. 1147. habitum; ad ann. 1142. Antiochenum ann. 1136. habitum; & ad ann. 1131. Concilium Stampes habitum ann. 1130.

Tom. 3. p. 1035.
Tom. 1. p. 258.
Ibid. p. 280.
To. 2. p. 213.
Ibid. p. 191.
Ibid. p. 385.
Ibid. p. 514.
Tom. 3. p. 3.
Ibid. p. 132.
Ibid. p. 284.
Tom. 3. p. 471.
Ibid. p. 1084.
Ibid. p. 1089.
Ibid. p. 1094.
Ibid. p. 1331. & 1329.
Ibid. p. 1324.

Mirum sane est, Collectorem hunc, inter Concilii Papiensis Opuscula, attulisse orationem a Joanne VIII. Papa in Romano Concilio recitatam pro Carolo Calvo in Imperatorem electo ann. 877. eundem non distinxisse Epistolam S. Clementis ab ejus Appendice, & ab iis, quæ adjecta fuerunt ann. 800. nullamque Libro Pontificali lucem attulisse

Tom. p. 1009.

tulisse. In hac prima Binii Editione, duobus diversis locis, reperitur Epistola Fabiani tempore scripta de morte cujusdam Pontificis, quæ titulum præfert: *De dormitione Episcopi Romani*. Idem Collector errat in nomine Laurentii Surii, quem Franciscum dicit, eique falso attribuit id, quod eductum est ex Editione Crabbe Coloniæ. In plures alios prolapsus est errores, veluti cum transtulit Epistolam Episcoporum secundæ Ciliciæ ad Imperatorem Justinianum, cum loquutus est de condemnatione Cyri, Sergii, aliorumque; præterea
Tom. 3. p. 97. in Notis ad decimam tertiam Actionem Concilii sexti, ubi hæc verba ponit: *Dum quinta Synodus*
Ibid. p. 451. *condemnasset*, pro *dum sexta*, &c. & in Textu Concilii sexti Arelatensis, quod quartum dicit, ubi *dum anno* 46. ponit pro 45. Sed neque magnopere accuratus est in Summariis Decretorum Adriani Papæ Sæculo octavo, neque in Versione Actorum & Decretorum Concilii secundi Nicæni, quam ipsemet fatetur erroribus refertam, neque in Actis, quæ exhibet, Conciliorum Ingelheimi ann. 972. & Mosomi ann. 995. neque in nominibus *Erphisphordiense*, *Guardastalliense*, *Crecense*, *Lugdunense*, *Floridi*, *Lavaurense*, *Ostionense*, quibus usus est ad designanda Concilia habita Exfordii, Vastallæ, Trecis, Londini,
Tom. 3. p. 661. Beaugencii, Vaurii, & Augustoduni. Nihilo accuratior est, cum ex uno Londini Concilio duo facit, cumque affert anno Domini 570. Concilium primum Lugdunense, quod habitum fuit anno 567.
Tom. 3. pag. 1320. Tandem Binius in prima Editione secundum Concilium Romanum ann. 1123. distinguit a primo Lateranensi; ubi agitur de Concilio Mutinensi ann. 953. Lectorem mittit ad Rubeum, cum Acta dare debuisset, quæ Historicus Ravennatensis af-
Ibid. p. 1307. fert; nomen Martini II. mutat in Martinum I. notat sub Bonifacio VIII. ann. 1298. Concilium Lugdunense, quod nunquam fuit; quibusdam Conciliis, in quibus est Turonense, dat nomen Conciliabulorum; Concilia vero vocat, quæ vere Conciliabula sunt, ut Aquilejense ann. 698. & Constantinopolitanum eodem fere tempore; non notat Sedem quorumdam Episcoporum, quos in Conciliis memorat, & scire facile est, veluti Avitum, quem fuisse Episcopum Viennensem omnes sciunt; nominat Augustam Vindelicorum, vel Ratisbonam pro loco Concilii, quod solum constat fuisse habitum in Germania; dicit Papæ Epistolam scriptum, cui titulus: *Revelatio Stephani*; supprimit variantes, quæ in Crabbe Collectione erant; ponit, nescio qua de causa, ante Notas suas in Textum Conciliorum, observationes in Episcoporum subscriptiones; in iisdem Notis, cum conditiones attulisset a Papa Evaristo pro validitate matrimonii requisitas, loquutusque esset de iis, quæ non sunt omnino necessariæ, addit, matrimonium, deficiente Parentum consensu, non effici nullum in foro interno; tribuit Victori Papæ verba hæc: *Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum*, quæ Tertullianus de Zephyrino accipit;
Tom. 3. p. 410. in quadam observatione ad Concilium Forojulien-
Ibid. p. 824. se ann. 791. asserit, Elipandum a Felice Episcopo Orgelii fuisse deceptum; ubi agitur de tempore, quo mortuus est Adrianus II. Papa, falso citat Historicum Æmonium, & alia plura errata committit, quæ longum esset enumerare. Ultimo loco afferam, quæ observat Franciscus d'Amboise in Præfatione apologetica ad Opera Abælardi. „ In „ errorem impegit Severinus Binius, qui sub Lu-
Ibid. p. 1331. „ cio celebratum fuisse illud Concilium Senonen„ se scribit, quod paulo ante attribuerat Innocen„ tio II. ejus antecessore. Sed & alius sequitur „ anachronismus ejusdem Binii, cum duo, quæ
Ibid. p. 1326. „ vocat privata Concilia, Suessionense nempe & „ Senonense contra Abælardum eodem anno ait „ fuisse celebrata 1140. nam inter utrumque vi„ ginti annos intercessisse, temporum series & „ supputatio convincit. "

ARTICULUS IX.

In quo duæ postremæ Binii Collectiones expenduntur.

QUidquid dicturus sum de duabus ultimis Conciliorum Editionibus, Auctore Binio, ad tria Capita refertur, quorum primum respicit falsas hujus Collectoris allegationes, alterum positam inter Concilia, & alia Monumenta confusionem; tertium observationes ejus Notis comprehensas.

Et sane falsa allegatio est ea, qua Opusculo inscripto: *De munificentia & donatione Constantini*, titulum indit Epistolæ Constantini Magni; qua Surium citat tanquam primum Editorem Epistolæ Synodi Nicænæ ad Papam Silvestrum, & hujus Papæ Rescripti, quod Crabbe suæ Collectioni inseruerat; qua dat tantummodo tanquam corrupta & vitiata ea Opuscula, quæ absque dubio falsa & supposititia sunt; qua Conciliorum Collectioni inserit titulos Litterarum falsarum Marci Papæ ad Sanctum Athanasium, & Sancti Athanasii ad hunc Papam, tanquam Opuscula legitima & authentica; qua docet, Epistolam Sancti Athanasii responsum esse ad Papæ Epistolam, cum e contrario postrema hæc sit responsio ad Epistolam S. Athanasii, conscriptam ad Sanctissimum Episcopum, & ad omnes Ægypti Prælatos; qua Vocatem accipit pro loco Concilii habiti Vasione, & Valentiam, ubi habitum est Concilium anno 374. pro Urbe Sabaudiæ; qua S. Hilario Arelatensi titulum tribuit Defensoris Operum S. Augustini, & Eucherio Lugdunensi Homilias, quarum Auctor fertur Eusebius ab Emessa, ejusque nomine editæ fuerunt Antuerpiæ ann. 1602. qua Paulinum & Rhodanum inter eos recenset, qui excommunicati fuerunt in Concilio Trevirensi Sæculo IV. qua demum Aurelium Genedio, Genedium Grato suffecit.

Quod Binius ordinem perturbaverit, qui inter Concilia, & alia Monumenta, quæ Collectionem constituunt, facile intelliget, qui animadvertat, Collectorem hunc posuisse Pontifice Siricio secundum Concilium Arelatense, quod pertinet ad an. 452. & post Taurinense ann. 397. Concilium secundum Carthaginiense, quod pertinet ad an. 390. præterea initio secundi Concilii Milevitani attulisse partem Actorum ad primum spectantium; retulisse ad ann. 453. Concilium Veneticum, & post titulum Concilii Aureliani Epistolam a Rege Clodoveo conscriptam ad omnes Galliæ Episcopos de argumento ab eo prorsus diverso, quod huic Concilio occasionem dedit, ideoque ab eodem omnino alienam, ut egregie observavit Sirmondus; item ann. 587. retulisse tertium Concilium Lugdunense ann. 585. habitum; ann. 589. secundum Concilium Valentinum ann. 584. habitum; ann. 590. Concilium Antissiodorense ann. 578. habitum; anno. 617. Concilium Matiscone ann. 624. habitum; an. 650. Concilium quintum Aurelianum an. 645. habitum, ann. 846. Parisiense ann. 847. habitum; ann. 857. Concilium Crecense ann. 856. habitum; rursus posuisse sub Pontifice Joanne XII. Concilium habitum Augustæ Vindelicorum sub Agapito; & ann. 1176. Concilium, quod *Gallicanum* vocat, habitum Lumbarii ann. 1175. Inter Opuscula, quæ sunt extra locum suum in duabus ultimis Binii Editionibus, recenseri possunt Epistolæ Valentis & Ursacii, & Opuscula omnia; quæ suis expulsa Sedibus in Appendices conjecit. Addam, ab hoc Collectore Stephanum IV. appellari Papam hujus nominis quintum, & Rhemis statuisse locum Concilii, de quo nihil certi habemus.

Ecce tibi nunc Opuscula, quæ prætermisit. Subscriptiones Concilii Valentini ann. 374. historia & Opuscula Concilii Trevirensis ann. 386. Concilium Nemausinum; Acta Synodi *ad quercum*; subscriptiones Concilii Viennensis ann. 474 de quo Chronicon Camaracense, quodque Colvenerius edidit ann. 1615. fragmentum Epistolæ Lucidi, quod extat Tomo quarto antiquarum Canisii Lectionum; magna pars Actorum & Decretorum Conciliorum Meldensis, Cojac. Lemovicensis an-

no 1034. sub Papa Benedicto IX. Romani anno 1059. & Attagoniæ.

Ut de Binii Notis recte judicemus, dicendum est cum P. Harduino, *Eas nihil fere nisi ex Annalibus Baronii descriptum habere, neque eam lucem afferre, quæ ecclesiasticarum rerum studiosis satis habemus fecerit*. Interpretatio vocabuli *Parabolani*, quo eos intelligit, quibus publicorum Balneorum cura erat, rejecta fuit a præstantissimis Jurisconsultis Duareno, & Gothifredo, qui hoc nomine eos intelligunt, qui ægrotorum curam habebant, officium sane difficile. Quod Binius dicit de absentia Imperatoris Friderici ad decimam octavam Sessionem Concilii Basileensis, oppugnatur a Richerio. Ex eo, quod putavit, Acta Concilii sexti fuisse a Græcis corrupta, quoad Honorii Papæ nomen, idem Collector neglexit explicationem diei ab Anastasio Bibliothecario hisce verbis indicati: *Sequenti die in eodem Secretario residente Synodo una cum Principe, synodica Sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, & ad singula comprobata Patrum dicta inserta*. Quoniam vero Anastasius ante dixerat, die 13. Februarii fuisse lecta in Concilio testimonia Patrum a Legatis prolata, Binius verba illa *sequenti die* accepit de die 14. Februarii, quamvis Acta ipsa nos doceant, Conventum, in quo lecta fuit Synodica Agathonis Papæ Epistola, fuisse habitum die 1. Martii, & Anastasium per ea verba voluisse denotare diem, quo Patres Concilii coacti sunt post Sessionem diei 13. Februarii, qui fuit Mensis Martii dies 1.

Hist. Concil. tom. 3. p. 84.

Hæc omnia profecto vidit Regiæ Collectionis Editor, cum Binii editionem erroribus refertam esse observavit. Qui secuti sunt, Editores, eos evitarunt, in quos ille inciderat, cum retulit ad ann. 509. Concilium Epaunense anni 517. cum Ilerdense Concilium, cujus quædam fragmenta affert, confundit cum Concilio ann. 524. habito, licet in his fragmentis mentio fiat de Leone III. Papa, & Carolo Magno; cum nihil discriminis statuit inter Communionem laicalem, & eam quæ dicebatur *Peregrina*; cum in Concilio Arelatensi probatam voluit Epistolam Fausti ex Apollinario; cum Concilio Carpentoracti interfuisse dicit Prosperum, quem vocat Episcopum Aureliæ, cum esset Apollinarii; cum posuit in Sede Alexandrina Eulalium quemdam; cum asserit, Concilii Constantinopolitani ann. 553. Canones, qui habentur Lib. 8. Catalogi Bibliothecæ Imperialis, Auctore Lambecio, & Lib. 17. Nicephori Callixti, fraudolenter ab Origenistis fuisse suppressos; cum confuse nulloque ordine dat Epistolas Pelagii I. cum Pontifice Joanne III. affert Concilium Parisiis habitum, Pelagio I. Pontifice; cum Lucense Concilium locat post primum Lugdunense, & secundum Turonense; cum affert ad ann. 570. Concilium Turonense anni 547. cum asserit, in hujus Concilii MSS. nusquam apparere subscriptionem Euphronii Episcopi Turonensis; cum in suis Notis Nanneti Episcopum facit Felicem, qui Biturigum erat; cum omittit Epistolam Episcoporum Provinciæ Turonensis, & Epistolam S. Radegundæ, quæ omnino spectant ad hujus Concilii Acta; cum ann. 580. sub Pelagio II. locat Concilium quintum Parisiis ann. 577. habitum, sub Benedicto I. ann. 582. Concilium Cabillonense ann. 579. habitum, & Concilium Matisconis ann. 581. cum denique post hæc duo tantum postrema Concilia refert Concilium Bibracis ann. 580. quod iis erat anteferendum.

Nonnulli trium Binianarum Editionum errores etiam in sequentes irrepserunt. Baronius ad Concilium Romanum ann. 904. observaverat, in quodam Antonii Augustini MS. inter 11. & 12. hujus Concilii Canones duodecim Capitula extitisse alterius Concilii sua antiquitate spectabilis. Quid Binius? Eos collocavit inter 14. & 15. Concilii Roman. Capitula, nullis distinctos notis, atque hæc insuper adnotavit: *Inter 14. & 15. Capitulum in Codice Antonii Augustini, teste Baronio, interposita leguntur XII. Capitula alterius cujuspiam Concilii, quæ ob venerandam antiquitatem digna sunt meo judicio, quæ hoc loco edantur & subjiciantur*. In eumdem errorem prolapsus est Labbæus, & hosce Canones tribuit Concilio anonymo & ignoto: sed Balutius mox egregie animadvertit, Constitutionem esse Imperatoris Lamberti, ut fert vetus Codex MS. Bibliothecæ Thuanæ. Hinc deceptus est Goldastius, cum asserit, Capitula hæc fuisse confecta ann. 903. ab Imperatore Berengerio in Conventu Papiensi.

Constit. Imper. tom. 3. p. 299.

ARTICULUS X.

In quo Regia Conciliorum Collectio expenditur.

Regia Conciliorum Collectio initio statim omnia præfefert ad commendationem accommodata: typorum nitorem, & elegantiam, tot voluminum speciem & amplitudinem, delectum denique earum rerum, ex quibus pulchra editio maxime solet existere. Sed non his tantum, qui Concilia pertractat, debet esse contentus; alia sibi quærenda sunt longe plura ac majora. Itaque, quoad hanc Collectionem, observabo, ejus Editorem plura omisisse Opuscula, quæ in præcedentibus Collectionibus reperiuntur: cujusmodi sunt Compendium historiæ Eutychianorum, Epistolæ Felicis II. vel III. duæ Gelasii Papæ, Epistola Circularis Vigilii Papæ, variæ lectiones in Concilia Agathense, Aurelianum, Epaunense, Arvernense ann. 545. septima & octava Epistola Honorii I. Concilium Clichi ann. 628. Epistola tertia Joannis IV. Papæ; parvi Tractatus Pselli & Photii de quibusdam Conciliis; Concilia apud Theonis-Villam ann. 806. & Ingelheimi ann. 819. nona Epistola Nicolai II. Colloquium trium Regum anno 862. plura Opuscula vel monumenta a P. Sirmondo edita ann. 1631. in Appendice ad Codicem Theodosianum, hoc est Epistolæ quinque Conciliorum Italiæ ad Imperatores an. 381. plura Conciliorum & Pontificum Decreta, & viginti Imperatorum Constitutiones. Debuerat Collector indicare, unde allata Opuscula deduxerit, simulque differentias ostendere, quæ deprehenduntur inter antiquam Conciliorum Hispaniæ Editionem, & Editionem Garsiæ Loaisæ; præterea nihil supprimere eorum, quæ Spelmannus adnotavit in Concilia Angliæ, & præsertim Herhordiense ann. 676. & Pher ann. 664. neque quidquam recidere ex Epistola Pelagii II. ad Benignum.

Idem adscivit Concilium *Ostiononse*, Concilium de Benevenci vocavit *Concilium Floridi*, *Anglicum* Concilium ab Angliæ Rege coactum ad mercatum novum in Diœcesi Rothomagensi, *Gallicum* Concilium Lumbarii habitum, *Anglicum* habitum Concilium Gainsinghon, *Coloniense* Concilium Germaniæ ann. 1225. cujus locus prorsus in obscuro est. Concilium Londini habitum anno 1102. dispescuit in duo, confuditque ea, quæ coacta fuere in eadem Urbe ann. 1107. & 1108. secundo Concilio Pictaviensi ann. 1109. dat sexdecim Canones, qui ad primum pertinent, movitque loco plura Opuscula; cum scilicet ad ann. 1106. retulit Constitutiones Galonis, quæ ad ann. 1208. spectant; ad ann. 1122. Concilium Lateranense, quod est ann. 1123. ad ann. 1127. Concilium Trecense, quod est ann. 1128. ad ann. 1142. Jerosolymitanum, quod est ann. 1143. & ad Pontificatum Gregorii VIII. Constitutiones Eudis, quæ ad finem Sæculi XII. & ad Cœlestini III. Pontificatum pertinent.

ARTICULUS XI.

In quo Collectio Conciliorum a P. Labbæo & Cossartio edita expenditur.

P. Labbæus Binio, regiisque Collectoribus plus æquo favens, non solum illorum errores non effugit, sed etiam fere omnes exscripsit. Primo omnia deferens, sequutus est chronologicum ordinem, ab illo positum inter diversa monumenta, quæ Collectionis Conciliorum pars sunt; idque eo libentius fecit, quod a nemine fuerit improbatus, quodque, eo mutato, is etiam perturbatus fuisset, qui in optimis quibusque MSS. servatur. Hinc non semper attendendas putavit epochas a P. Sirmondo datas variis Opusculis, quæ ediderat in Col-

Collectione Conciliorum Galliæ. Idem Labbæus Binii Notas eo usque suspexit, aut eas etiam attulerit, quæ factæ fuerunt in Opuscula, quæ non in suam Collectionem inseruit; adhuc tamen nonnullas omisit, ut notas in Concilia Lugdunense ann. 567. Mosonii ann. 948. & Aurelianum anno 1017. neque umquam admonuit, ad quam Editionem spectarent eæ, quas adoptaverat. Sed quamvis Binii ordini tam arcte adhæreret, aliquot tamen eidem errores adscripsit, quorum reus nullo modo erat; ut cum dicit, Collectorem hunc attulisse ann. 449. Concilium Beryti, quod in tribus Editionibus suis ann. 448. refert. Ut chronologiæ errores, qui non extant, illi attribuit, ita silentio involuit plures alios, in quo revera prolapsus est; ut constat ex Concilio Aureliano ann. 538. quod collocavit ann. 540. Et sane non apparet, hunc errorem fuisse a Labbæo animadversum. Collector hic in eo etiam parum accuratus est, quod docet, seriem Regum Suecorum in Galliis; sub quibus Concilia Bracarensia habita sunt, non haberi in ejus Editione Græca & Latina, licet in prima reperiatur.

Labbæus in aliquibus Collectionis suæ locis Lectorem mittit ad Notas ampliores, quas promissas nunquam dedit: ex. gr. pag. 89. volum. primi habetur: *De titulo illo dicemus in notis*; pag. 115. *Verba Latinii notis nostris inseremus*; pag. 739. *Dicemus in notis*; Volum. secundi pag. 1593. *Hæc Binius quæ in amplioribus notis excutientur*. Sed nunquam excussit.

Non solum admonendum est cum hoc Collectore, ex Archiviis Conchæ in Hispania educta fuisse Acta Concilii Palentiæ habiti an. 1338. Sed addendum erat, ea fuisse primum detecta a Valerio Sereno, Belga. Illud etiam notandum erat, ex chronic. Cameracensi, & ex Ivone & Burchardo fuisse deducta Decreta multa Concilii ad Confluentes habiti ann. 860. vitamque S. Ansberti, Rothomagensis Archiepiscopi, ab Ægradio Monacho scriptam, in qua fit mentio Concilii Rothomagensis ann. 682. impressam esse Tomo primo Vitarum Sanctorum a Surio die 9. Februarii. Quod si Labbæus dat, quidquid habetur de Concilio aliquo fictitio, ut de Lugdunensi sub Bonifacio VIII. multo potiore jure debebat Collectioni suæ inserere Acta & Opuscula, veritatis sigillo distincta, ut juramentum a Julio II. præstitutum Cardinalibus ante suam electionem, præsertim cum ex hoc monumento Cardinales Schismatici huic Papæ perjurium objiciant, ex eoque pariter Hispaniæ Episcopi contestentur adversus Decretum, quod recitatum in Sessione 16. Concilii Tridentini habita die 28. Aprilis ann. 1552. ejusdem Concilii celebrationem per duos annos intermissam in aliud tempus differebat. Hoc Martinus Nutius ediderat in sua Concilii Tridentini Editione Antuerpiæ.

Si minuta quæque in ejus Collectione vellem perpendere, observarem, in *Syllabo* Voluminis cuique præfixo titulos omisisse plurium Opusculorum, quæ Operi inserta sunt; hinc in *Syllabo* tomi sexti nulla fit mentio de juramento, quod Robertus Apuliæ, Calabriæ Siciliæque Dux præstitit coram Gregorio VII. neque de Investitura, quam illi dedit idem Papa; neque de Acto, quo laudatus Dux duodecim annuos denarios ex quolibet boum jugo Pontifici concedebat. Credibile fortasse est, Typographi incuria stellulam irrepsisse in hunc *Syllabum*, ad titulos quorumdam Opusculorum, quæ in lucem prodierant multo ante Collectionem Labbæi; neque probabile est, Collectorem hunc sibi vindicasse, tanquam a se primum detecta, Concilia Suessionense an. 853. Magontinum an. 1075. Aversionense ann. 1080. Londinianum, & Scoticum sub Innocentio III. Germanicum ann. 1224. Salburgense ann. 1274. Ravennatense ann. 1286. & 1311. Toletanum ann. 1339. & 1347. & Palentiæ ann. 1338. Probabile autem non esse, ex eo deducimus, quod nulla apparet stellula in eodem *Syllabo* ad titulos quorumdam Opusculorum, quæ in hujus Patris Conciliis primum se produnt, ut quinque Anglicana Concilia. Illud etiam observari potest, Collectorem hunc in generali rerum tabula non citasse Constitutiones VVilhelmi, Episcopi Parisiensis, neque chronologicis Pontificum

Salmon Concil.

& Imperatorum tabulis adjecisse tabulas Regum, qui in Gallia, Hispania, aliisque in locis regnarunt.

Non omnes hic errores persequar Amanuensium, vel typographorum, qui in *Syllabo* quibusdam Opusculis annos adsignarunt diversos ab iis, quibus ea attulit in sua Collectione Labbæus: (hujus rei exemplum habetur in Concilio Papiensi Sæculo XI. habito) & verba, lineas, atque etiam articulos integros omiserunt; qui id sibi persuadere vult, conferat Concilium Turonense ann. 1510. cum Baillii Editione. In Collectione Labbæi non repetitur postulatum primum, his verbis conceptum: *an liceat Papæ bellum inferre principibus temporalibus in terris quæ non sunt de patrimonio vel dominio Ecclesiæ*, ibique legitur *prout ejus erit*, pro *prout jus erit*.

Iidem Typographi tom. 2. col. 1568. posuerunt *VII. Epistola*, pro *VI.* & tom. 5. col. 813. *propositam* pro *postpositam*. Sed bonorum Correctorum necessitas nulla re magis emicat, quam sequenti Editionis Labbæanæ exemplo. In versione Commentarii a Gelasio compositi in Acta Concilii Nicæni, undecimo & ultimo Libri primi Capitulo, ubi agitur de victoria, quam Constantinus ex Licinio retulit, verba hæc græca καὶ δυνάμει ὁ τῷ Χριστῷ καὶ τῷ αὐτῷ θεράποντος τύραννος, ita vertuntur: *Atque ita Christi Servi ejus opera sublatus ille tyrannus est*. Certe apparet, conjunctionem & fuisse omissam inter verba *Christi* & *Servi*; ita ut hic sensus sit, Licinium periisse providentia Jesu-Christi, & ejus servi Constantini armis, at versioni, quæ est in Labbæo, hæc subest sententia, Tyrannum hunc periisse Jesu-Christi ejus servi providentia; quod non modo rediculum, sed & impium esset. Porro quemadmodum Editores posteriores priorum errores plerumque describunt, nisi omnia diligenter expendant, ita P. Harduinus eundem errorem in suam intulit Editionem. Cura & diligentia multo magis necessaria est in Actis Conciliorum, in quibus agitur de præcipuis nostræ Fidei articulis, de regulis morum, de Disciplina Ecclesiastica, quæ his Monumentis omnia continentur.

Iisdem fortasse Typographis adscribendus est error, qui deprehenditur in Græco, & in Versione tituli, qui præmittitur Orationi Patrum Concilii Quini-Sexti ad Imperatorem Justinianum. Labbæus legit: ἐν τῷ τρούλλῳ βασιλικῷ παλατίῳ pro ἐν τῷ τρούλλῳ τοῦ βασιλικοῦ παλατίου: & vertit; *in Trullo Palatio Imperatorio*, cum, supposita Correctione, vertendum esset, *in Trullo Imperatorii Palatii*, italice, *sotto la cupola, o nella gran Sala del Palazzo Imperiale*. *Trullus* enim, ut observat Lambecius, *seu potius Trullum pars fuit Palatii Imperatorii, ita dicta, quod fastigium ejus tectum & ornatum fuerit Trullo sive fornice hemicielo, qui vulgo italice dicitur cupola*.

P. Labbæus Capitula compendii facta a Carolo Calvo ann. 867. qui est ejus regni 28. confudit cum iis, quæ confecta fuerunt in Concilio Suessione habito ann. 853. Eadem tamen non sunt, *neque amanuensis errore vel oscitantia factum est*, ut priora dicantur Compendiensia, & anno 868. tribuantur in MS. Codice Rivipullensis in Catalonia Monasterii. Nihil in hoc est, quod non veritati consonum sit. Tunc enim Carolus Calvus Compendii erat, ut colligitur ex die Diplomatis, quod ab hoc Principe pro Ecclesia sua obtinuit Æneas, Episcopus Parisiensis. Idem Collector ad ann. 826. attulit Capitula publice edita ab Imperatore Lothario in Conventu Papiæ habito, quorum iterum affert ad ann. 853. Præfationem, & quatuor priores Articulos. *Tom. 7. col. 1558.* *Tom. 8. col. 10.*

Extra locum suum collocavit quædam Opuscula: ex. gr. libellus supplex, quem Joannes Diaconus Symmacho Papæ obtulit, collocandus erat post Concilium Romanum ann. 449. Concilium Brennacense, quod affert ad ann. 627. celebratum fuit ann. 624. Rhemense, quod affert ad ann. 630. habitum fuit ann. 625. aut 626. Ex Epistolis ab Innocentio IV. conscriptis Pontificatus anno primo, primam facit, quæ data est mense Januario; secundam, quæ Februario; tertiam, quæ decimo septimo Junii die; quartam, quæ die Augusti vigesimo

ſimo tertio. Sed his Epiſtolis novus inducendus eſt ordo; ſiquidem Innocentius IV, cum ad Pontificatum aſſumptus fuiſſet ann. 1243. S. Joannis Baptiſtæ die, Epiſtola Auguſti debet eſſe prima; Epiſtola Januarii ſecunda; Epiſtola Februarii tertia; Epiſtola Junii quarta. Atque hæc poſtrema cum primo Pontificatus anno conſcripta fuerit, non poterat eſſe conſcripta ann. 1243. quo nondum Pontifex erat, ſed ann. 1244. ideoque harum omnium ultima habenda eſt.

Ad annum Concilii Rhemenſis, quod Labbæus collocaverat tom. 5. Collectionis ſuæ, col. 1688. promiſerat, ſe in amplioribus notis probaturum, alium huic Concilio annum eſſe adſignandum, *Imo potius Anno DCXXV. ut docebimus in amplioribus notis*. Quemadmodum in hoc non levis difficultas eſt, neque has notas Labbæus unquam protulit, ita neceſſario inquirendum eſt, quinam ex his duobus potiſſimum eligendus ſit. Quomodo hac in re ſe geſſerit P. Mabillonius, ipſe nos docet in Epiſtola data 20. Januarii 1672. „ Certum eſt, inquit ille, Concilium hoc fuiſſe habitum ante mortem Clotarii, Patris Dagoberti, „ quæ contigit ann. 628. Hujus rei ratio eſt, quod „ Dido, Epiſcopus Pictavienſis, ſuffectus eſt Joanni hujus Clotarii tempore, ut Veſin, illius „ temporis Auctor, teſtatur in Vita S. Legeri, „ Epiſcopi Auguſtodunenſis, qui S. Legerus *in Clotarii Regis Palatium adductus eſt, nec diu poſt ab eodem Rege Didani Pictavienſis urbis Præſuli, avunculo ſcilicet ſuo, litterarum ſtudiis imbuendus traditus eſt*. Jam vero Joannes „ Didonis anteceſſor ſubſcripſit Concilio Rhemenſi, quod conſequenter habitum fuit aliquot annis ante mortem Clotarii, hoc eſt ante an. 628. „ Id etiam manifeſto liquet ex tempore, quo S. „ Arnoldus fuit creatus Epiſcopus; ſiquidem creatus fuit a Theodeberto ann. 613. interfecto; „ quindecim tantum annos Epiſcopus fuit, & tamen huic ipſi Concilio ſubſcripſit, non ſecus „ ac Senocus Eluſæ Epiſcopus, qui in exilium „ pulſus fuit ann. 626. ut teſtatur Fredegarius: „ auctoritates, addit idem, quas affero, certiores „ ſunt iis, quas exhibet Baronius, aut *Gallia Christiana*. Sapientiſſimus hic Cardinalis non „ ſatis poteſt pro dignitate laudari: non tamen „ ad illum confugiendum eſt, quoties alicujus „ Eccleſiæ peculiare factum excutiendum eſt, ab „ eo temporis vel monumentorum defectu nequaquam ad trutinam revocatum. „

In Teſtamento S. Legeri Epiſcopi fit mentio de quodam 54. Epiſcoporum Conventu *Christiaco* habito anno 3. Thierrii. Id procul dubio Auguſtodunenſe Concilium eſt, cujus Acta habentur ex parte in hujus Concilii Collectionibus. Collectio Sirmondi, a qua affertur, notat annum quartum Thierrii. Mabillonius in Epiſtola die 4. Auguſti 1701. diſcrepantiam hanc tollit, dicendo, fieri potuiſſe, ut Concilium hoc inceperit anno tertio, quo P. Legerus Teſtamentum ſuum condidit, ac deinde finem habuerit anno quarto, quem impreſſa Acta exhibent. Bocchierus, ad Mabillonium ſcribens, admonuit, Sirmondum, & Labbæum deceptos fuiſſe in adſignando hujus Concilii die; cum enim vellent annum quartum Thierrii ad annum Incarnationis referre, huic Concilio dederunt annum 670. pro anno 676. VVillibaldus teſtatur in S. Bonifacii Vita, Bonifacium, quo tempore legatus fuit, quinque tantum Conciliis præfuiſſe; ex quo Pagius colligit, extitiſſe quintum quoddam Concilium habitum Anno DCCXLVII. paulo ante quam Carlomanus fieret Monachus. Nullam de hoc mentionem Labbæus. Attamen ex poſtremo hoc Concilio conſtat, primum firmari poſſe ad Annum DCCXLII.

P. Coſſartius retulerat ad ann. 1080. Concilium Burgenſe, ſed conjectura ductus, Pagius vero ad hunc annum firmat hoc idem Concilium celebratum tempore Alphonſi Legionis & Caſtellæ Regis. Hic opinionem ſuam tuetur ex tempore ſecundæ legationis Cardinalis Richardi, qui concilio præfuit; quam etiam non prius amplexus eſt, quam attulerit correctiones, quæ neceſſariæ erant in textu Pelagii Ovetani, & in exemplari, quo Sandovalus uſus eſt.

Quamvis non ſit accuſandus Labbæus, quod Concilio Baſileenſi Oecumenici dignitatem ademerit, illud appellans ſimpliciter *Baſileenſe Concilium*, titulum, quem eidem conceſſerat Binius, licet reſtricte, inquiens, *Concilium œcumenicum fuiſſe ex parte reprobatum*; vel quod eundem titulum dederit Concilio Florentino, & Lateranenſi ſub Pontificibus Julio II. & Leone X. celebratis, licet Lotharingiæ Cardinalis ad Pium IV. de priore ſcripſerit, illud in Gallia non ſolum non œcumenicum, ſed neque legitimum haberi; licet Bellarminus ipſe non auſus fuerit appellare œcumenicum Concilium Lateranenſe, ex ſolis Italiæ Epiſcopis conſtans, & a Gallis perpetuo rejectum, quod canonicas electiones oppugnet, referente Dupuy in ſua Concordati Hiſtoria; mirandum tamen ſemper erit, hæreticis adnumeraſſe religioſiſſimum hominem Rogerum VVidringtonum, cujus auctoritatem reſpuit, tanquam de fide ſuſpecti. Scio quidem, huic Scriptori contentionem aliquam fuiſſe cum Bellarmino de Principatu Regum potentiæ ſpirituali nequaquam obnoxio; ſed num hæc ſatis juſta cauſa eſt, cur aliquem in Fidei ſuſpicionem continuo voces?

Balutius plures emendavit locos in Collectione Labbæi, præſertim quoad quartum & quintum Concilia generalia, quorum varias lectiones dedit. Hic nos docet, quæ Labbæus addit Concilio Romano habito ann. 499. ſub titulo *de Sententia Synodi*, ea non eſſe, niſi compendium eorum, quæ Notarius Æmilianus recitaverat, vel potius ſequentis Capituli titulum; antiquum ſubſcriptionum ordinem ordini alphabetico præferendum eſſe; poſt ſubſcriptiones demum hujus Concilii locandum eſſe ſupplicem Libellum, quem Joannes Diaconus Symmacho Papæ obtulit; præterea Libellus hic pluribus locis corrigendus eſt, ut obſervavit idem Collector, qui adjecit verbum *ſimilia* ante verbum *attentavero*, quique verba *ab apoſtolatu veſtro*, ſuffecit in locum horum *ad apoſtolatum veſtrum*. Addam etiam, Balutium tribuiſſe Concilio Niceno in Thracia Acta, quæ Labbæus dederat cum Conciliabulo Ariminenſi, nonnulloſque locos emendare, dum legit *indiſcuſſum* pro *in diſſidium*, quæ verba diverſam prorſus ſententiam pariunt; tandem Epiſtolam Vigilii Papæ, quæ ad Eucherium miſſa putatur, conſcriptam fuiſſe ad Profuturum.

ARTICULUS XII.

Animadverſiones in Collectionem Balutii.

NON magnopere immorer in Conciliorum Collectione, quam a Balutio habemus. Grates ei profecto, & quidem maximæ referendæ ſunt, qui maximos incredibileſque labores exantlavit, ut eam aliquando in lucem daret. Ex quatuor Voluminibus, quæ promiſerat, unum tantummodo typis commiſit; mortuus tamen in ſcriniis ſuis reliquit, quibus tam utile opus abſolveretur. Collector hic, qui totam vitam in rerum præſertim Eccleſiaſticarum perquiſitionem inſumpſit, docuit, quomodo uti Bibliothecis debeant ii, quibus curæ eſt eas in ordinem redigere & recognoſcere. Plures errores in ejus editionem irrepſere; quorum alios inter errata emendavit; alios lectores ipſi deprehendent. Si Inſtructionem edidit, quam Cæleſtinus Papa Epiſcopis & Presbyteris ad Concilium Epheſinum perrecturis dederat, tanquam opuſculum adhuc ineditum, deceptus eſt; ſiquidem Chriſtianus Lupus eam ediderat poſt Pontificum Epiſtolas, quæ ad Concilium hoc, & Calcedonenſe pertinent. Admonere oportet, non eſſe legendum, *qui ex Theſſalia ejecti fuerunt*, ſed *qui ex Italia* &c. in epiſtola, quam Concilium Epheſinum ad Cæleſtinum Papam ſcripſit, ut obſervaverat P. Garnerius. Ad finem ejuſdem Opuſculi legitur, *depoſitione... depoſitis*; ſed legendum eſt, *damnatione... damnatis*; ſiquidem Pelagius, de quo agitur, in numero laicorum erat, in quos depoſitionis pœna non decernebatur. Concilium Siculum ann. 125. a quo Collector Collectionem ſuam incipit, nullius Eccleſiaſtici Scriptoris auctoritate ſul-

P. 470. Not. ad commen. Marii Merc.

fultum est; præterquam Anonymi P. Sirmondi, cujus admodum dubia auctoritas est.

Non sane liquet, cur plura Concilii Ephesini opuscula, quæ jam in Collectione Labbæana erant, reperiantur etiam in collectione Balutii cum eadem versione; ejusmodi sunt duæ Epistolæ Nestorii ad Cœlestium, Instructio Cœlestini, & plures ejusdem Papæ Epistolæ ad Clerum Constantinopolitanum, ad Joannem Antiochenum, ad Theodosium, ad S. Cyrillum, & ad Concilium Ephesinum, & secunda hujus Concilii Actio.

Ecce tibi Concilia a Labbæo data, & a Balutio aliquibus additionibus aucta. Concilia Lugdunense & Ephesinum ann. 197. Cæsareense ann. 198. Antiochenum ann. 253. Romanum ann. 257. secundum Antiochenum ann. 270. Cirtensia ann. 305. Illiberitanum ann. 318. Nicænum ann. 325. Mediolanense ann. 355. Ancyranum ann. 358. Ariminense ann. 359. Seleucianum & Constantinopolitanum ann. 359. Alexandrinum ann. 362. Antiochenum ann. 377. Sidæ ann. 383. Carbasussi ann. 393. Bagai ann. 394. quartum Carthaginiense ann. 398. Alexandrinum ann. 399. Constantinopolitanum & Ephesinum ann. 400. & 402. Carthaginiense ann. 403. Ptolemaidis ann. 411. Conventus Carthaginiensis, Concilia Diospolis ann. 415. Zelæ ann. 418. sextum Carthaginiense ann. 419. Romanum ann. 430. Constantinopolitanum ann. 459. 492. 496. & 497. Romanum ann. 499. & 501. Toletanum ann. 507. Sidonium ann. 512. Constantinopolitanum ann. 547. & Aurelianum ann. 549. Concilium Carthaginiense, in quo quæstio de lapsis discussa fuit; aliud Basilidem & Martialem afficiens; item Carthaginiense ann. 254. de Baptismo; Epistola Dionysii Alexandrini ad Basilidem; Concilium Sinuessanum; versio Canonum S. Petri Alexandrini; Concilium Illiberitanum; Epistola Constantini ad Elafium; plures aliæ ejusdem Imperatoris Epistolæ; Epistola Concilii Arelatensis ad Sylvestrum Papam, & Canones hujus Concilii; item Canones Ancyrani & Neocæsariensis ann. 314. Alexandrini ann. 321. & Nicæni; Græci duo supplices libelli oblati Comiti Dionysio, alter ab Episcopis Orthodoxis Ægypti, alter ab Alexandro Thessalonicensi; versio Concilii Antiocheni ann. 341. Græcum Concilium in Oriente habitum ann. 344. Concilium Coloniense ann. 346. Carthaginiense sub Grato ann. 348. Parisiense ann. 360. Valentinum ann. 374. Romanum ann. 370. Cæsaraugustanum ann. 380. Hipponense, & Taurinense ann. 394. tertium & quartum Carthaginiense ann. 397. primum Toletanum ann. 400. Romanum ann. 402. Cyrtense ann. 412. Toleptense ann. 418. Rejense ann. 439. Arausicanum ann. 441. Vasionense ann. 442. apud S. Patricium ann. 450. secundum Romanum ann. 495. Constantinopolitanum sub Mennade, tertium & quartum Aurelianum, secundum Nicænum, plura Beneventana ann. 1061. & 1091. Tricassense ann. 1093. Palentinum ann. 1322. & Rothomagense ann. 1335. Huc addi possent opuscula, in quæ Notas vel lectiones varias dedit, & Concilia, quorum edidit, vel correxit tantum subscriptiones; ut Sardicense & Calcedonense.

ARTICULUS XIII.

Animadversiones peculiares in Collectionem P. Harduini.

TRia perfectam Conciliorum Collectionem constituunt, cura & diligentia, qua editor varia monumenta, quibus constat, emendavit; delectus Actorum, omniumque alicujus pretii Opusculorum; studium denique & attentio, ne rejiciat, nisi ea, quæ ad ejusmodi Collectionem non prorsus pertinent. P. Harduini opus jam ex parte examinavi; quæ in hanc rem observanda supersunt, ea respiciunt correctiones & mutationes ab ipso factas; tum quas facere debebat, neque fecit; præterea quæ vel omisit, vel male interpretatus est in sua Collectione; postremo ea, quæ ejus geographica Tabula comprehendit.

§. I.

Quid proprii habeat P. Harduini Collectio.

PRoprium voco, quidquid hæc Collectio novi habet, quidquid habet, quo posterioribus & emendatioribus collectionibus præstat, ut plura monumenta ab Harduino ad nova manuscripta recognita & emendata, ut ordo perfectior inter Opuscula, quæ continet, ut studium accuratius in assignandis horum opusculorum temporibus. Supervacaneum est hoc loco repetere, quidquid novus Collector in sua Præfatione dicit de additionibus ab ipso cuique volumini factis; majora etiam his præstare potuisset. Satis esse duxit, cujusque monumenti initio indicare manuscripta, quibus usus est ad correctionem errorum, qui in antiquis editionibus deprehenduntur; neque putavit sigillatim recensenda opuscula, quæ retractaverat; eo quod cognitio hæc solis Collectoribus necessaria sit; ii vero, qui Conciliorum Collectionibus utuntur, scire debent, hoc, vel illud Concilium, quod consulunt, ad hæc, vel illa Mss. esse recognitum; inutile tamen non esset, utrumque callere: hinc placuit ob oculos hoc loco ponere monumenta ea, quæ Harduinus aliqua indigere correctione putavit. Ea vero sunt Præfatio, quam Dionysius Exiguus primæ suæ collectioni præmisit; Præfatio Isidori ad suam Canonum collectionem; ordo, qui servabatur in celebrandis Hispanicis, vel tantum Toletanis Conciliis; Canones Apostolorum; Epistolæ S. Clementis; item Anacleti, & sequentium Pontificum, quæ in Isidori collectione extant;

§. II.

De iis, quæ P. Harduinus in sua Collectione mutare debuerat.

ERuditissimus P. Pagius plura Concilia ad certum tempus revocaverat, plura esse supposititia demonstraverat. Ex Pagio poterat Harduinus proficere, aut saltem causas afferre, cur non illi adhærendum putaverit. Neutrum horum tamen præstitisse videtur. Ordo Conciliorum, quæ Symmacho Papa celebrata fuerunt, magnopere in Collectionibus perturbatus est, P. Sirmondus apposite observat, quæ plerumque appellatur *Synodus Palmaris*, eam esse numero quartam; erravit tamen, dum dixit, eam pertinere ad ann. DI. Pagius ex variis Mss. probavit, pertinere ad ann. DIII. quemadmodum autem tempora primi & ultimi ex his Conciliis nulla difficultate probantur, ita illud supererat ostendendum, secundum habitum fuisse ann. D. tertium DII. quartum DIII. quintum denique ann. DIV. Ut hunc restitueret ordinem, qui in omnibus Collectionibus perturbatus erat, usus est Mss. quæ habentur in Bibliothecis Colberti, S. Victoris, S. Germani, aliisque.

Foroliviense Concilium male collocatum vult, negligentia Collectorum, qui, cum dicatur coactum esse ann. XXIII. & XV. ipsi vel contemnendum annum XV. vel annum XXIII. delendum putarunt. Monet hoc loco doctissimus Auctor, Italos Caroli Magni annos non numerasse a tempore, quo regnare cœpit in Gallia, sed ab aliquot diebus ante diem 15. mensis Aprilis anni 774. ita ut Concilium hoc habitum sit ann. DCCXCVI. quo, Pipinus Italiæ Rex decimum quintum regni sui annum complevit; Carolus vero Magnus vigesimum tertium incæpit juxta priorem ejus epocham.

Ex Thegano, ex Annalibus Fuldæ, & S. Bertini, ex tribus Rescriptis Ludovici Pii ostendit, Concilium Lugdunense ab hoc Imperatore coactum pertinere ad ann. DCCCXXXV. Concilium Parisiense perperam fuisse in duo divisum, idque habitum sub Carolo Calvo ann. DCCCXLVI. quod probat ex Præfatione Concilii Meldensis eodem anno coacti; Concilium Papiense celebratum fuisse ann. XXX. Lotharii, & primo Ludovici II. Imperatoris; ubi habetur *Indictione XIV. & Lotharii atque Ludovici XXX. atque primo*, loco *XIV.* legendum esse XIII. annosque horum Imperatorum sejungendos, ita ut Concilium habitum fuerit

ann.

ann. XXX. Lotharii, Ludovici vero II. anno primo.

Sandovallo innixus dat annum 876. Concilio Ovetano coacto, Pontifice Joanne VIII. cum hæc urbs Metropolis renunciata fuit; atque ut hunc annum majore in lumine collocet, ex Mss. corrigit errores, quibus Amanuenses Sampirum Hispaniæ Historicum repleverant.

Opuscula a Balutio suppeditata debuissent statuere ad ann. 971. Concilium Compostellæ, quod ante ipsum relatum fuerat ad ann. DCCCC.

In Collectione Labbæi nulla erat mentio de Concilio habito in finibus Rhætiæ & Bavariæ ann. 916. sed Aventinus, qui illius Acta viderat, quædam ejusdem Decreta attulit lib. 4. Annalium Bavar. Harduinus ex Collectione Burchardi debuisset educere secundum Concilium Altheim, pluraque alia, quorum diversis locis meminit Pagius.

Hic pariter ostendit, distinguenda esse duo Ravennatensia Concilia habita, Imperante Othone Magno. Baronius & Collectores Conciliorum primum tantum memoraverant habitum ann. 967. pro Magdeburgi in Metropolim institutione; sed P. Pagius ex titulo allato a Meibomio in notis ad Vitichindum probat, aliud extitisse anno insequenti. Cossartius pariter & Harduinus hunc titulum afferunt, sed ex Exemplari ita interpolato, ut veritas inde emicare non possit.

Cum iidem Collectores afferant, duo Romana Concilia fuisse celebrata, alterum a Gregorio V. ann. 998. alterum a Sylvestro II. ejus successore anno insequenti, Pagius unum tantummodo celebratum dicit ann. 998. sub Gregorio V. erroremque corrigit, qui in unum commiscuit duo Romana Concilia habita sub Nicolao II. Papa, distinguens Concilium coactum ann. MLIX. & Concilium celebratum ann. MLXI. Deduxit ex Aelredo in vita S. Eduardi Angliæ regis secundum hoc Concilium, cui interfuit Aelredus Archiepiscopus Eboracensis.

Dedit Concilium Tremoniæ urbis VVestphaliæ fere integrum, quod repperit in Vita S. Adalberonis Episcopi Metensis edita in Bibliotheca Ms. P. Labbæi: ex qua illius temporis Historia magnopere illustratur. Ex ea tamen Harduinus paucissima dedit in sua Conciliorum Collectione ad ann. 1005. Quod peractum est in Concilio Melphitano ann. 1059. in Apulia, deductum est ex lib. 2. Poematis VVilhelmi ex Apulia, illius temporis Auctoris. Asserit autem Poeta, Concilium hoc fuisse habitum in Presbyteros, qui uxores ducebant.

Prochronismus trium annorum, quoad Concilium Mantuæ habitum Pontifice Alexandro II. & in Collectionibus omnibus relatum ann. MLXIV. pro MLXVII. sustentatur præsidio Florentini in Vita Comitissæ Mathildæ, pluribusque aliis monumentis.

In Collectionibus Labbæi & Harduini, inter Concilia Bracarensia, legimus, unum celebratum fuisse ineunte sæculo V. ann. circiter 411. ea vero, quæ habita fuerunt ann. DLXI. & DLXXII. appellata esse *primum & secundum* ab antiquis, qui mentionem de his fecerunt. Hoc sæculi V. Concilium Pagio tanto magis suppositiium videtur, quanto magis res continet ab illius temporis Historia discrepantes. Quod affertur in Concilio Ovetano, satis esse putat ad secundi etiam suppositionem evincendam.

Baronius, & Collectores Conciliorum in duo dispescunt Concilium Romanum habitum ann. MXCIX. sed ex ipsis ejus Actis ostendit, secundum esse prorsus commentitium.

Ostendit, Decretum pro sacra Unctione Lamberti, allatum a Card. Baronio ann. DCCCCIV. & a P. Cossartio, ubi dicitur: *unctionem Barbaricam Berengarii, quæ per surreptionem extorta est, omnimodis abdicamus*, interpolatum fuisse, indeque amovendum verbum *Berengarii*, itaque non sacram unctionem fuisse Berengarii Italiæ Regis, quæ a Concilio Romæ habito sub Joanne IX. Papa irrita declarata fuit, sed Imperatoris Arnulfi a Formoso Papa factam; id quod Imperator Lambertus a Joanne IX. obtinuit. Præterea admonet, Concilia Romanum & Ravennatense non esse conjicienda in ann. 904. cum Baronio & Labbæo; sed in ann. 898. *Conc. tom. 9. col. 404.*

Hæ, aliæque his plures P. Pagii observationes ann. 1695. doctorum approbatione editæ aliquam sane requirebant attentionem a novo Collectore, qui editionem suam viginti post annos dedit. Debebat, ut mihi videtur, vel iis uti, vel rationem reddere, cur negligendas putaverit.

Sed, his non obstantibus, P. Harduinus affert ann. 501. Concilium Romæ habitum sub Symmacho Papa, *Synodus Palmaris* nuncupatum; quintum ann. 503. Forojuliense ann. 791. Lugdunense ann. 829. duo Parisiensia ann. 847. Legit in Præfatione Concilii Papiensis ann. 850. habiti, *Indictione XIV.* Ponit Concilium Ovetanum ann. 873. illud vero Compostellæ ann. 900. Non memorat neque Concilium in finibus Rhætiæ & Bavariæ, neque Ravennatense ann. 968. Distinguit Concilium Romanum sub Gregorio V. a Concilio in eadem Urbe habito sub Sylvestro II. eaque affert ann. 998. & 999. Unum tantum ponit Concilium Romanum sub Nicolao II. ann. 1059. Nihil addidit iis, quæ Cossartius dederat de Conciliis Tremoniæ & Melphis. Concilium Mantuæ ann. 1064. cum præcedentibus Collectionibus tribuit. Locat Concilium Bracarense ann. 411. post Concilium Barii habitum ann. 1097. Ponit secundum Romanum ann. 1098. & tertium 1099. Adsciscit verbum *Berengarii* Cap. 6. Concil. Romani, quod locat ann. 904. *Tom. 6. col. 488.*

Præterea Monachi Benedictini, præstantissimi illi Operum Patrum editores, inter immensas prope editiones ab ipsis factas, iterum typis commiserunt nonnulla monumenta, quæ Collectionum Conciliorum partem constituunt: additis Variantibus, & Notis, & ordine luculentiore. Non videtur Harduinus eos consuluisse: fortasse quia Collectio Conciliorum ad propositum exemplar instituta peculiares unius hominis vires excedat.

§. III.

De iis, quæ P. Harduinus in sua Conciliorum Collectione omisit.

Collector curare debet, ut, quod proposuit, absolvat; si quid necessarii omittit, id non deprehendisse censetur. Propositum Harduini, ut ipse indicat, illud in primis est, ut Isidori Collectionem det; &, dum rejicit Epistolas Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, ad S. Cyprianum, ad Lupicinum, aliosque plures, ideo præcipue rejicit, *quod ea non sunt in Collectione Isidoriana, quam unam hic repræsentat*. Hinc Harduinus titulo huic suæ Collectioni inscripto: *Acta Conciliorum & Epistolæ Decretales ac Constitutiones summorum Pontificum*, addere debebat: *Quæ reperiuntur in Collectione Isidori*. Hic igitur Collector, ne a proposito aberraret, debebat in sua Collectione dare formulam fidei, quam S. Gregorium Thaumaturgum a S. Joanne noctu ferunt accepisse, Labbæus vero dat *ex veteri interpretatione, quæ refertur in Collectione Ms. Isidori*. Debebat dare Epistolam falso Melchiadi Papæ attributam, cujus Auctor est Isidorus juxta Labbæum. Non potuit Harduinus eam complecti sub titulo donationis Constantini, quam suæ Collectioni non inserendam putavit. Cum novus Collector dicat: *Isidori Mercatoris collectio integra hic repræsentatur*, credet quispiam, cum in suis Conciliis afferre vel omnes, vel plerasque S. Leonis Epistolas, quas, ut ipse fatetur, *Collectio Isidoriana complectitur*. Atqui sequitur potius collectionem Dionysii exigui, qui *Leonis Ms. octo dumtaxat edidit quas ipsas habet Dionysiana collectio, ut a Justello appellatur, antiquior quam Isidoriana*. Num hoc est integram dare Isidori collectionem? Postrema Harduini verba a me allata indigent explicatione: difficile enim ea concilies cum his: *Nulla Collectio Conciliorum antiquior quam Isidoriana*. *Conc. tom. 1. col. 841. Ibid. col. 1528. Hard. in Præfat.*

P. Harduinus plura omisit opuscula & Concilia in Opere suo, satisque duxit, eorum meminisse in Tabulis initio cujusque Voluminis appositis, rationemque reddere, cur non ea Collectioni suæ inserenda putaverit. Sed alia sunt, de quibus mentionem nullam, ne in Tabulis quidem. Sunt autem hæc. Concilium Osroene habitum ann. circiter

ter 197. Romanum ann. 253. sede vacante; Antiochenum ann. circiter 270. prout extractum est ex Eutychii Annalibus; Constantinopolitanum ann. 336. Romanum ann. 341. Mediolanense ann. 344. Romanum sub Liberio ann. 352. Conciliabulum Ariminensem ann. 359. Concilium Antiochenum ann. 360. tria Romana sub Damaso ann. 368. 373. & 382. Illiricum ann. 368. secundum Constantinopolitanum sub eodem Damaso ann. 383. Romanum sub Siricio ann. 386. Macedonicum ann. 414. Concilium adversus Messalianos; Antiochenum ann. 432. Armenum ann. 435. Constantinopolitanum ann. 439. Romanum sub Leone ann. 445. Gallicum ann. 444. Cambriæ in VVallia ann. 465. Viennense ann. 474. plures Synodi habitæ sub Felice III. Papa; Concilium Bysacenæ ann. 504. Epiri ann. 516. Jerosolymitanum ann. 518. Britannium ann. 519. primum & secundum Romanum ann. circiter 531. item Romanum sub Joanne II. ann. 532. Africanum ann. 534. Romanum sub Pelagio II. ann. 589. fragmenta primi Hispalensis ann. 590. Romanum pro Schismaticorum reconciliatione; Conciliabulum Numidiæ ann. 593. Concilium quartum Romanum sub Gregorio I. ann. 601. Concilia Bysacenæ & Numidiæ ann. 602. Cantii ann. 605. Romanum sub Bonifacio III. ann. 605. item Romanum sub Bonifacio IV. ann. 610. Concilia Numidiæ, Mauritaniæ, Pysacenæ, & Carthaginis ann. 646. Concilium Romanum, ubi actum de Episcopo Lappæ in Cretæ Insula; item Romanum ann. 680. Constantinopolitanum ann. 692. Conciliabulum Germaniæ ann. 759. Concilium Coloniense ann. 782. duo Lippiæ ann. 780. Conventus Compendiensis ann. 758. Concilium Oslavense ann. 821. Romana ann. 826. 863. 864. & 906. Ovetanum ann. 901. Constantinopolitanum ann. 975. & Pictaviense ann. 1076.

Opusculis ab Harduino omissis adjici possunt Capitula primi Lugdunensis Concilii, quæ jubet consuli in sexto Decretalium, & Concilium Rigæ ann. 1429. Hæc omnia opuscula in Collectione Labbæana impressa sunt. Verum quidem, plura Concilia ab Harduino implicite citari, ut cum dicit ad ann. circiter 603. *Africana Concilia quædam his temporibus habita fuisse Gregorii M. Epistolæ produnt;* & ad ann. 646. *Concilia quædam contra Monothelitas; Epistolæ Synodicæ quatuor referuntur in Concilio Lateranensi, Secretario II.* Sed hæc nimis generalia & confusa sunt pro Conciliorum Collectione, quæ compendium imitari non debet.

Plura alia Concilia sub aliis titulis dat, ut Constitutiones Pontificum; hujusmodi est Concilium Romanum ann. 761. quod dat tanquam *Pauli Papæ Constitutum*. Aliquando unum idemque Concilium facit ea, quæ antiqui Auctores distinxerant, ut Conventum Compendiensem, quem Ado Viennensis ponit ann. 758. & Concilium, quod in eadem urbe habitum fuit ann. 756. aliquando, ubi Concilium aliquod in alio memoratur, novus Collector ejus Concilii Decreta alterius textui inserit: ejusmodi est Concilium sub VVilfrido, quod in sequens intruiit: sed videtur Harduinus ea saltem in Tabula distinguere debuisse, Lectoremque hac de re admonere. Sed nimis longum esset, omnia recensere Opuscula, Epistolas, & monumenta ab Harduino prætermissa: nonnulla tantum animadvertam in omissiones, de quibus loquor.

Conc. Labb. tom. 11. col. 1561. Pelagii causa plura protulit Concilia, & monumenta, quæ locum in Collectionibus habere debent. Hujusmodi est Epistola Zozimi ad Africanos, in qua Papa scribit, Pelagium sibi videri Catholicum: ea ita incipit: *Postquam nobis*. Eam omisit Harduinus, hac una fortasse de causa, ne sc. ab illo quisquam sciret, Papam hunc esse deceptum. At si Pelagii Cœlestiique artibus circumventus fuit, erravit in facto, non tamen illorum probavit errores.

Tom. 2. col. 1574. Omittit Decretum Zozimi eductum a Gratiano, & in Labbæi Conciliis allatum, eo quod asserat, *contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, ne sanctæ quidem sedis posse auctoritatem*. Hoc nimis studiosum in Collectore, qui Decreta ejus omnia sibi colligenda proposuerat.

Si quæ erant S. Leonis Epistolæ in Conciliorum Collectionem inferendæ, eæ profecto erant 79. ad Nicetam Aquilejensem, 80. ad Episcopos Latii, & Piceni, 81. ad Dioscorum Alexandrinum, 88. de Privilegiis chorepiscoporum, 89. contra Hilarium Arelatensem, 93. ad Turibium, 109. ad Episcopos Comprovinciales Metropolis Arelatensis.

Epistola Symmachi Papæ ad Avitum Viennensem Episcopum egregiam sententiam continet ad observationem Legum, quas non semper interpretari oportet ad litteram, sed juxta mentem legislatoris: *quod sit præter regulam, modo sit ex justa causa, non infringit regulam &c.* Hæc tam pulchra Epistola abest a Collectione Harduini. Conc. Labbe to. 4. col. 1312.

Quamvis Anathematismi, uti vocant, S. Prosperi ex Manichæo Catholici facti, ejusque fidei professio, in qua errores suos detestatur, ad ipsum peculiariter spectare videantur, sunt tamen Capitula ex S. Augustino deducta, quæ omnes de Manicheismo suspecti publice elataque voce legere, iisque propria manu subscribere debebant. Ea Labbæus attulit in sua Collectione; mirum sane, ab Harduino fuisse prætermissa. Tom. 4. Conc. col. 1658.

Sed neque satis apparet, cur omiserit Capitula Martini Bracerensis, quæ in antecedentibus Collectionibus habentur. Ea Garsias Loaisa & Justellus corrigenda susceperunt: hic ad marginem cujusque Capituli notat locum, unde eductum est, h. e. Concilia comprehensa in antiquo Ecclesiæ universalis Codice, & Concilia, quæ in Hispania habita fuerunt, antequam condita fuerint.

Novus Collector omisit plures easque utilissimas S. Gregorii Epistolas. Hic ego Lectori, eas reposcenti aliquo modo satisfaciam.

Quidam Abbas prope Panormum conquestus est, loci ab Ecclesia pendentis incolas omnia moliri, ut fundum ad monasterium suum pertinentem sibi usurpent. S. Gregorius scripsit ad Petrum Subdiaconum, ut illuc se transferat, juribusque Ecclesiæ Romanæ cedat, si quidem deprehendat, fundum hunc a Monasterio per quadraginta annos quiete possideri. Lib. 1. Epist. 6.

Judæus nomine Joseph questus est apud S. Pontificem de Petro Terracinæ Episcopo, qui, cum Judæos expulisset loco, ubi congregari consueverant, data alibi se congregandi facultate, alluc tamen eos expellere volebat: *si ita se res habet*, scribit S. Gregorius ad Episcopum, *volumus, hujusmodi querelis modum imponi; siquidem mansuetudine, bonitate, & exhortatione, non timore & minis Infideles sunt ad Religionem Christianam invitandi.* Lib. 1. epist. 34.

Mandat Demetrio Episcopo Neapolitano, ut in suam communionem recipiat Hæreticos, licet de vera illorum conversione nihil certi habeatur; sed nititur tantummodo spe sibi indita a Stephano, qui paulo post ad Catholicam fidem vere redierat. Lib. 1. epist. 14.

Cum Petrus Subdiaconus Ecclesiæ Siciliensis bona male ex prava consuetudine administrari deprehendisset, hac de re certiorem fecit S. Pontificem, qui per epistolam omnes ejus difficultates accurate diluit. Respondet igitur, Agricolis Ecclesiæ subjectis pecuniam pro tritico numerandam esse ex communi pretio, etiam vilitatis tempore: injusteque eos ad id cogi, ut triticum suppeditent mensura majori, quam quæ in Ecclesiæ horrea ingrediatur. Præterea, cum quædam de Publicanis dixerit, generatim concludit: *Nolumus, Ecclesiæ scrinnia sordidis lucris contaminari*. Reliquum hujus Epistolæ fere similia continet, adjectis quibusdam monitis ad Subdiaconorum continentiam spectantibus. Lib. 1. epist. 42.

XLV. Quam idem Papa scripsit ad Virgilium Episcopum Arelatensem, & ad Theodorum Massiliæ Episcopum, observatione digna est. A primo usque Pontificatus S. Gregorii anno plures Italiæ Judæi, quos commercia Massiliam identidem vocabant, apud hunc Pontificem conquesti sunt, magnum Judæorum numerum baptizari vi magis, quam persuasione. Scripsit igitur Gregorius ad hos Episcopos: *Laudo Consilium vestrum, sed, nisi Scriptura regatur, periculum est, ne officiat iisipsis, quos servare vultis, neve baptismum ex necessitate suscipientes ad pristinam superstitionem mox perniciosius revertantur. Verbis igitur, & doctrina* Lib. 1. Epist. 45.

opus

opus est, ut, discussis illorum tenebris, veram lucem aspiciant.

XXIX. Epistola II. Part. II. Libri nos docet consuetudinem sane animadvertendam. Italia fere tota Episcopi suis quique locis electi Romam pergebant, ut a Pontifice consecrarentur. *Lib. 2. Ep. 29.* In Provincia Mediolanensi Archiepiscopus consecrabat Episcopos, & ab Episcopis consecrabatur; sed consentiente Pontifice. Hinc S. Gregorius Presbytero Mediolanensi nomine Magno mandavit, ut Clerum Populumque hujus Urbis de Electione Episcopi unanimi consensu facienda admoneret. Ii elegerunt Constantium hujus Ecclesiæ Diaconum, & per eundem Presbyterum Magnum, Clericumque Hippolitum nomine S. Gregorio electionis Actum miserunt; sed quia subscriptum non erat, Papam fraudem aliquam subesse veritus, Genuam, quo plures Mediolanenses Langobardorum metu sese receperant, misit Joannem Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, eique duas dedit Epistolas, alteram ad Romanum Italiæ Exarcham conscriptam, qua illi Constantium commendabat. In ea inquit se, nemini Episcopatum procurare; quod intelligendum est de Ecclesiis, quæ non ab ipso immediate dependent: neque enim in iis dubitabat Episcopos nominare, ubi Clerus Populusque non facile inter se convenirent. Constantius fuit electus & consecratus Episcopus Mediolanensis communi *Lib. 3. Ep. 2.* consensu. S. Gregorius ei dignitatem collatam gratulatus est, simulque opportuna dedit monita, pallio misso.

Lib. 3. part. 2. Harduinus omisit Epistolam 44. lib. 2. ad Andream Episcopum Tarentinum, in qua agebatur de concubina; 26. Libri 3. undecimam ejusdem Libri ad Maximianum Episcopum Syracusanum, quæ ad Ecclesiæ reditus pertinebat: in hac Epistola ei vetat, ne quemquam Clericum in Abbatem ordinet, ne adolescentulas Abbatissas faciat, ne cuiquam Virgini ante ætatem sexaginta annorum velum imponat: decimam Libri 2. ad Sabinum Subdiaconum, qua illum hortatur, ut Concilium Calcedonense recipi curet; in hac fit etiam de tribus aliis Synodis mentio; 47. ad Columbum Numidiæ Episcopum, qua illum hortatur, ut neque sollicitationibus, neque favore ad ordinandos juvenes adducatur, eumque precatur, ut certiorem faciat de iis, quæ in Concilio Episcoporum Provinciæ suæ contingent; nonam Libri tertii ad Januarium Calaritanum, qua illi mandat, ut Episcopos Provinciæ suæ bis quotannis congreget, & notat, Presbyteros pueris baptizatis non frontem, sed pectus inungere debere, ut deinde Episcopi iisdem frontem inungant; quod mandatum cum mox quibusdam displicere intellexisset, scripsit illi *Lib. 3. Ep. 25.* in hæc verba: *Nos id fecimus, antiquam Ecclesiæ nostræ consuetudinem secuti: quod si adhuc nonnulli tam graviter offenduntur, permittimus etiam hoc, ut Presbyteri, deficientibus Episcopis, baptizatis chrismate frontem inungant.* Hinc plures Theologi colligunt, etiamsi Episcopus sit Sacramenti Confirmationis ordinarius Minister, posse tamen & Presbyterum ex dispensatione illud administrare; consuetudinemque hac de re fuisse diversam in Occidentis Ecclesiis, quemadmodum & nostris temporibus diversa est in Ecclesia Græca & Latina; 37. Libri tertii ad Constantium Episcopum Mediolanensem, qua vetat, ne Episcopo Divibusque Brixianis juramentum præstet, quod ab ipso dari volebant in trium Capitulorum negotio, eique mandat, ut in Missæ Canone Joannem Episcopum Ravennatensem nominet.

Dominicus Episcopus Carthaginiensis, aliquod malis, quæ a Donatistis obveniebant, cupiens remedium afferre, ab Imperatore in eos Edictum obtinuit; quod ut executioni mandaret, Concilium habuit, in quo illud statutum fuit, ut Episcopi omnes in horum Hæreticorum perquisitionem incumberent, sua bona & dignitatem, si secus fecerint, amissuri. Hujus Concilii Acta misit S. Gregorio, qui vehementer ejus studium laudavit; sed, addit idem in Epistola tertia libri quarti ab Harduino omissa, *vereor, ne Decretum hoc aliarum Provinciarum Primates offendat: jam vero, antequam corrigantur ii, qui sunt extra Ecclesiam, curandum est, ut interius servetur Episcoporum concordia, quæ nobis adversus hæreticos vires longe majores suppeditabit.* Id autem S. Gregorius ex eo potissimum dicit, quod reliquæ Africæ Provinciæ non tenebantur Decreta pro Carthaginiensi Provincia facta observare.

Leviter percurro reliquas S. Gregorii Epistolas, quæ in Harduini Collectione non reperiuntur. Eæ vero sunt.

Quinta libri quarti ad Venantium de Saturnino Presbytero lapso.

Sexta ad Cyprianum Diaconum, qua mandat, ut Manichæos coerceat, tollatque tributa Judæis irrogata, ut facilius fidem amplectantur.

Decima septima ad Constantium Episcopum Mediolanensem.

Quadragesima quinta ad Andream Scholasticum, de violenta Mariniani ad Episcopatum Ravennatensem promotione.

Vigesima nona libri quinti ad Secundinum, de pace Agilulphi, & avaritia Episcopi Mariniani.

Trigesima prima libri sexti ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum: „ Cyriacus, inquit S. Gregorius in hac Epistola, condemnavit in sua Synodica Epistola Eudoxium quemdam, quem neque in Conciliis, neque in Synodicis antecessorum Epistolis condemnatum invenio. Verum quidem est, Canones Concilii primi Constantinopolitani condemnare Eudoxianos, sed, quisnam hujus sectæ Auctor fuerit, non ostendunt. Jam Ecclesia Romana non hactenus hujus Concilii Canones, vel Acta recepit; sed tantummodo ejus fidei definitionem contra Macedonium. Ea damnat reliquas hæreses, quæ illic memorantur; sed nondum novit Eudoxianos. Illud quoque verum est, in Sozomeni historia mentionem fieri de quodam Eudoxio, qui sedem Constantinopolitanam usurpavit: sed hæc Historia a S. Sede rejicitur, eo quod falsa plura contineat, Theodorumque Mopsuestiæ tantis laudibus efferat, ut etiam magnum eum in Ecclesia fuisse Doctorem asserat; hinc hæc Historia nequaquam convenit cum Concilio sub Justiniano habito, ubi de tribus Capitulis actum. “

Quadragesima Libri sexti ad Maximianum Episcopum Ravennatensem, qua mandat, ut videat, ne sui Clerici Diœceseos suæ Monasteriis oneri sint.

Octava libri septimi ad Leonem Catanæ Episcopum.

Undecima ad Eusebium Thessalonicensem, Urbicum ex Dyrrachio, aliosque, qua mandat, ne in Monasterium recipiat eos, qui arma detulerunt, nisi tribus annis ante probatos.

Vigesima ad Agnellum Terracinæ Episcopum, qua mandat, ut detentos acerbissimis pœnis quosdam suæ Diœcesis homines afficiat, qui Idola & Arbores adoraverant.

Vigesima nona ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, de Actis Martyrum ab Eusebio Cæsarensi collectis.

Quinta Partis secundæ libri septimi ad Januarium Episcopum Calaritanum, qua mandat, ut Judæis restituat Synagogam usurpatam a Petro Neophyto, qui, illorum relictis superstitionibus, Catholicam Religionem amplexatus fuerat.

Vigesima quarta ad Romanum, qua mandat, ut Ecclesiæ patrocinio laicos furti reos privet.

Sexagesima tertia, qua Joanni Episcopo Syracusano, & quatuor præterea aliis Prælatis mandat, ut Lucillum Insulæ Melitensis Episcopum, clericosque ejusdem criminis conscios deponat, pœnitentiæque subjiciat etiam laicos, qui aliquo modo participes fuerint.

Sexagesima quarta ejusdem Episcopi, qua se defendit ab iis, qui illum accusaverant, nonnulla immutasse, quoad ordinem, cæremonias, & Missæ cantum.

Centesima decima secunda ad Aregium Gapini Episcopum, qua illum de Ministrorum suorum morte solatur, Dalmaticorum usum illi, ejusque Archidiacono concedit, mandatque, ut intersit Synodo, quæ a Syagrio Episcopo Augustodunensi cogenda erat.

Centesima decima tertia ad eundem Syagrium, cui

cui Pallii usum concedit, ejusque Ecclesiæ secundum in ea Provincia locum post Ecclesiam Lugdunensem tribuit. In hac epistola fit mentio etiam de Synodo superius memorata.

Tertia libri octavi ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum.

Nona Libri noni ad serenum Episcopum Massiliæ.

Quadragesima quarta ad Adrianum Notarium, qua mandat, ut fœminam nomine Agathosam restituendam curet viro suo, qui Monachus factus fuerat, eique crines, invita uxore, recisi.

Quadragesima octava ad Didierum, qua eum monet, non esse Episcopi Grammaticam docere, eique commendat quosdam Monachos, quos in Angliam mittebat.

Septuagesima prima ad Mellitum, nonnulla continens mandata pro S. Augustino Anglorum Apostolo.

Tertia libri undecimi ad Cives Romanos de Sabbato, deque facultate lavandi Corporis diebus Dominicis, ubi necessitas id requirat.

Undecima ad Brunehaut de Privilegiis Monasterio & Nosocomio cuidam concessis, de absolutione Mennæ, & de quodam Episcopo, qui capite laborabat. In hac Epistola S. Gregorius vetat bigamum ordinari, & pollicetur, se in Galliam missurum, qui in Synodo aliqua pravas possit reformare consuetudines, quæ in hoc Regnum irrepserunt.

In Collectione Conciliorum in Gallia facta non erat, ut videtur, omittenda Sigeberti Regis ad Didierum epistola, in qua dicitur; *sine licentia Regis Synodale Concilium in regno agi non debere.*

In Collectione Harduini non reperiuntur Decreta vel Rescripta Nicolai I. Papæ, neque regulæ disciplinæ, Auctore Anonymo, in quibus vetitum est fœminis, ne accedant ad Altare; dum Presbyter celebrat, & Presbytero, ne celebret solus. Regulæ hæ interdicunt ebrietatem, popinas, & luxuriosa convivia; præscribunt autem vitæ sanctitatem, Orationem, Confessionem, abstinentiam quadragesimalem, jejunium ejusque observantiam usque ad vesperas, largitionem escarum, quæ ex prandio supersunt, communionem frequentem, conjugalem continentiam, permittuntque Missam privatam, modo ne publicæ officiat.

Præter Concilia, quæ Harduinus citavit in Indice volumini cuique præmisso, & præter ea, quorum dat Acta una cum Opusculis, quæ illuc pertinent; ad postremi voluminis finem nonnullorum Galliæ Conciliorum enumerationem instituit. Illud sane laboriosum est, te alicujus Concilii inveniendi causa debere tres diversos locos consulere: sed illud magis absurdum, si neque invenias ea omnia, quæ reliqui ante ipsum Collectores publice ediderunt. Quod dico, confirmat Catalogus Conciliorum, quæ sunt in Collectione Baluzii, neque ab Harduino afferuntur. Non memorato Siciliæ Concilio ann. 125. habito, omittit ille Pergamenum ann. 152. item aliud in Oriente habitum ann. 160. Hierapolitanum in Phrygia Asiæ Minoris Provincia ann. 173. Achaicum ann. 250. Antiochenum ann. 253. Palæstinæ ann. 318. Nicomediense ann. 328. aliud Achaicum ann. 359. Antiochenum ann. 377. aliud, cujus incertus locus, ann. 379. Mediolanense ann. 380. Antiochenum ann. 383. Ephesinum 402. Carthaginiense 420. Constantinopolitanum 428. Romanum, Antiochenum, Tarsense, & Anazarbi 431. Antiochenum, & Zeugmæ 432. aliud Anazarbi 433. Tarsene 434. Antiochenum & Thessalonicense 435. Ephesinum 447. Tarraconense 465. Constantinopolitana 492. & 499. Tolosanum 507. Authedonis & Constantinopolitanum 531. Illyricum 550. Africanum 551.

Tom. 1. Mus. Ital. part. 2. Mabillonius etiam ediderat Acta Concilii Romani habiti ann. 898. Pontifice Joanne VIII. quæ alii Collectores male collocant ad ann. 904. Harduinus horum Actorum principium omisit. Omisit etiam

1. Acta Concilii Parisiensis ann. 824.
2. Plura Opuscula, quæ Gothescalchi factum afficiunt, data a P. Cellot, & Mauguin.
3. Professionem Fidei Alberici.
4. Concilium Viennense ann. 1060. Pictaviense ann. 1106. Canones Concilii Rhemensis, Pontifice Eugenio III. plura opuscula in lucem edita a P. Martene in suis Anecd. & in Collectione antiquorum operum & Monumentorum.
5. Acta Concilii Rhemensis ad Arnoldi & Gerberti factum spectantia.
6. Plura Monumenta pertinentia ad controversiam Bonifacii VIII. & Philippi, cui cognomentum Pulcher, collecta a du-Puy.
7. Opuscula, quæ pertinent ad Concilia Constantiense & Basileense; Tractatum Panormi & Thomæ *de Corcellis*; duas epistolas Cardin. Juliani; Consectaria ex Ecclesiæ Gallicanæ deliberatione ann. 1432. 1438. & 1440.
8. Acta secundi Concilii Pisani.
9. Contestationes Curiæ Parisiensis 19. Mart. 1518. in *Concordatum* confirmatum Bulla Papæ Leonis X. qui Pragmaticam Sanctionem abrogat, quæque incipit; *Pastor æternus*; mandata ab Adriano VI. Papa data Francisco Cheregato, ejus Nuntio in Norimbergæ Comitiis; *Consilium delectorum Cardinalium aliorumque Prælatorum*, datum ann. 1538. a Paulo III. Articulos Facultatis Theologicæ Parisiensis contra Lutheranos; Plura opuscula præmittenda Concilio Tridentino; Collectionem Monumentorum, auctore du-Puy; Catalogum articulorum disciplinæ Concilii Tridentini, quos Gallia non recepit; Postulata Cleri pro receptione hujus Concilii, sed tamen moderata; Rescripta Regum Hispaniæ, & inferioris Germaniæ Gubernatorum, pro receptione hujus Concilii, aliqua tamen moderatione allata.
10. Concilium Melodunense ann. 1548. jussu Henrici II. habitum. *Tom. 7. Miscellan. Balut.* Exceptionem, quæ in antiquis Concilii Tridentini editionibus fert, tres Episcopos in ea fuisse sententia, ut putarent, non esse a Pontifice petendam confirmationem. Vid. Editiones Gentiani Herveti.
11. Exscripta Acta Conventuum Provincialium Episcoporum Galliæ pro recipienda Innocenti XII. Constitutione in formam Brevis adversus librum de Effatis sanctorum; Diplomata Regis; Aulæ Decreta, & exscripta Acta Conventus generalis Cleri ann. 1700. in eandem rem; Quæ Baluzius dat Tom. 7. Miscellan. in clausula session. 6. Concilii Tridentini, quod declarat, Beatissimam Virginem Mariam non comprehendi Decreto de Peccato originali omnibus hominibus communi.

Si opuscula hæc omnia in Conciliorum Collectione locum habere non debent, saltem, cum ad ea referantur, citari debent, & indicari iis, qui hæc studia serio pertractant.

Lambecius Tom. 8. suor. Commentarior. in Biblioth. Imperatoris publicaverat Græcos quindecim Canones Concilii quinti generalis adversus Origenem: Harduinus, qui eos suæ Collectioni inseruit, deceptus est duobus locis versionis, quam adoptavit. 1. Canone secundo: καὶ πρὸς τὸ χεῖρον τραπείσας κατὰ τὴν ἑκάστου ἀναλογίαν τῆς ἐπὶ τοῦτο ῥοπῆς. Versio fert: *Et in deterius conversas esse, pro eo ac unaquæque propensa fuerit in illud*; quæ sane vel admodum obscura sunt, vel præcedentibus contraria; agitur enim de productionibus creaturæ rationabilis, *quæ satietatem ceperunt divinæ contemplationis*. Igitur vertendum est: *In deterius conversas, facta secundum uniuscujusque captum in illud mutatione.* Verba hæc Græca καὶ αὐτὰ τῆς αὐτῆς τῶν λογικῶν ἑνάδος ὄντα, non bene vertuntur per hæc: *Ipsa quoque cum ex eadem rationalium unitate essent.* Melius ita: *In unitate essent.* 2. Græca hæc: τὰ λογικὰ τὰ τῆς θείας ἀγάπης ἀποψυγέντα, male vertuntur per hæc: *rationalia a divina caritate refrigerata*, quæ charitati videntur tribuere, quæ ejus naturæ contraria sunt: charitas enim accendit, non refrigerat. Melius igitur: *in quibus magis Dei amor refrixerit*, ut translata sunt in Epistola Imperatoris Justiniani ad Concilii Constantin. Patres. Conc. Labb. to. 5. col. 681. 682.

Satis observanda ea est negligentia, qua omissa, vel immutata sunt plura verba in Actis Concilii Viennensis ann. 1267. Præter omissum verbum *primævi* post verbum *juris* in hac dictione, *quod juris primævi regula nesciebat*; in eadem Gui Cardinalis Legati oratione legitur: *nunc per summorum* Tom. 7. Conc. Hard. col. 580.

morum Pontificum, nunc per sedis Apostolicæ legatos statuta, loco verborum horum, quæ habentur in Mss. Biblioth. Imperialis: *nunc per sedis Apostolicæ legatorum statuta*; Sensus Capituli primi hujus Concilii videtur clarior, si legas initio, *verum quoniam expedit*, quam si, *verum quantum expedit*.

Articulum hunc claudam, errorem indicans, qui in hac Conciliorum editione, & in præcedentibus regnat, Merliniana excepta. Is habetur Cap. 8. sess. xxi. Concilii Basileensis, ubi omnes Collectores legunt: *Abusum aliquarum Ecclesiarum in quibus . . . Missa etiam privata sine Ministro, aut per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest*; licet authentica Mss. veluti Sorbonnicum, in quo adhuc integra sunt Concilii sigilla, & antiquæ editiones, veluti Mediolanensis ann. 1511. ferant; *præter secretas orationes*.

§. IV.

De Geographica P. Harduini Tabula.

TAbulam Geographicam, in quam plus diligentiæ & laboris insumpsit; supra cæteras etiam Collectionis suæ partes videtur Harduinus diligere, & acceptam habere. Sub quolibet Episcopatu ponit nomina Prælatorum, qui Conciliis interfuerunt; quod sane & utile est, & novitatem quamdam præsefert; sed hic alphabeticus Episcopatuum elenchus obstare non debuit, quominus daret & compendium Geographiæ Episcopalis, juxta ordinem Patriarchatuum, & Metropoleon, ut præstiterant Carolus a S. Paulo in sua Geographia sacra, & P. Labbæus in Apparatu ad Concilia. Licet autem novus Collector illustraverit feliciterque stabilierit plurimarum urbium situm, licet veram indicaverit pronunciationem nominum earumdem urbium, earumque Episcoporum, qui Conciliis & interfuerunt, & subscripserunt, dissimulandum tamen non est, eum sæpius deceptum fuisse, ejusque Indici aliquid adhuc ad perfectionem deesse.

Facile id probem, si ostendam, Harduinum in eadem sede eodem tempore duos Episcopos collocasse; confudisse urbes Episcopales, quæ, licet ejusdem nominis, diversissimæ tamen sunt; distinxisse Episcopatus, qui iidem habiti sunt; quibusdam Provinciis tribuisse urbes, quæ ab aliis Geographis ponuntur alibi; quorumdam Episcopatuum titulo subjecisse Prælatos, qui nunquam eos habuerunt; Metropolis nomen indidisse Urbibus omnibus, quæ hoc nomine notantur in Notitiis; ademisse vero iis, quæ a Conciliis ornantur hoc titulo; omisisse nomina plurium Episcoporum, qui subscripserunt vel Conciliis, vel aliis monumentis, quibus ejus Collectio constat; ex uno Episcopo fecisse duos, nullaque allata ratione, pleraque Urbium Episcopalium & Episcoporum nomina immutasse. Libentius sane probarentur ejus notæ Geographicæ, *nec paucæ*, ut ipse ait, *nec fortassis aspernandæ*, si causas adduxisset, cur plura immutanda duxerit tum in situ urbium Episcopalium, tum in earumdem nominum pronunciatione. Hæc omnia profecto clariora haberemus, si quidem præstantissimus Jesuita eas in Concilia Notas dedisset, quas promiserat. Ut erat Notitiarum Numismatumque scientia peritus, facile poterat, quæ Geographico Indici deerant, explere.

P. Harduinus duobus Episcopis eamdem Ecclesiam eodem tempore adsignat. Sub titulo: *Populoniensis in Etruria*, Episcopatus Massam translatus, ponit *Regino Populoniensis. anno 1059. &c. VV. Populonia anno* 1059. Quod attinet ad primum, jubet consuli Tomum sextum collectionis suæ col. 1067. quod ad secundum spectat, eumdem Tomum col. 1068. Ughellus vult, qui designatus est duplici littera initiali VV. eum esse hu- *Italia sacra tom. 3.*
jus Ecclesiæ Episcopum; Coletus autem in nova editione Operis inscripti *Italia sacra*, affirmat, amanuensium errore Reginonem, qui Romano Concilio interfuit, in subscriptionibus appellatum *Episcopum Populoniensem*. Et Albigæ Ecclesia eodem tempore a duobus Episcopis occupata videtur: siquidem sub titulo *Albiensis* ponit *Melanius Albensis*, pro quo *Cotinus* Archidiaconus interfuit Concilio quinto Aureliano ann. 549. & *Ambrosius Albigensis*, pro quo *Viventius* Archidiaconus eidem Concilio interfuit. Atqui *Albensis* & *Albigensis* duos profecto diversos Episcopatus designant. *Harduinus inter Episcopos Portuenses in Patrimonio D. Petri Limpum Balthassarem, qui Anno* 1547. *Concilio Tridentino interfuit, enumerat, at erronee; cum Limpus non fuerit Episcopus Portuensis in patrimonio; sed alterius Portus in Hispaniis, quod advertere hic libuit, ne a sæpius taliter labante Harduino incautus Lector decipiatur*. Ita animadvertit Coletus in nova *Italiæ sacræ* editione.

Illud optandum fuisset, ut Harduinus causam reddidisset, cur confuderit *Lychnidus*, urbem, quam Carolus a S. Paulo Ptolomæi auctoritate in novo Epiro constituit; & *Achridus*, ubi Justinianus I. Imperator ortum habuit. Urbs hæc, si Carolo a S. Paulo fides habenda est, alias dicebatur Πρεβάλις, sive *Prævalis*, ut fert antiquum Bibliothecæ Regiæ Ms. Initio quidem Episcopalis fuit, & Andræas Auctor Relationis, quæ inter Epistolas Hormisdæ Papæ habetur, appellatur *Episcopus Prævalitanus*. Tandem Imperator Justinianus a Vigilio Papa obtinuit, ut Justiniana prima deinceps dicta Metropolis titulo gauderet, haberetque jurisdictionem in Daciam Mediterraneam, in Daciam *Ripensem*, & in plures alias Provincias, quarum nomina in xi. hujus Imperatoris Novella habentur. Enimvero non affirmaverim, duas hasce urbes esse distinguendas: dicam tamen, Harduini, qua erat antiquitatis scientia instructus, officium illud fuisse, ut hæc in Notis expenderet, ut in Indice Geographico de Episcopatu *Prævalitano* aliquid diceret, ut denique adnotaret, extitisse Episcopos, cujusmodi erat Andræas, de quo paulo supra. Verum est, Harduinum in Collectionem suam hujus Episcopi Relationem non contulisse: hoc ipso tamen reprehendendus est, cum sibi colligenda proposuerit, quæcumque ad Concilia spectant: hæc autem Relatio artes continet, quibus usi Synodi in novo Epiro coactæ Episcopi, nonnullos viros se anathemate percellere simularunt. Ea habetur Tom. 4. Labbæi, col. 1485.

Col. 631. geographicæ Tabulæ novi Collectoris leguntur nomina Heliodori, & Dionysii inter Episcopos *Amathuntis* in Insula Cypri, quam Notitia Græca appellat Ἀμαθοῦντα. Duæ nihilominus hujus *Antiquit. Judaic. l. 17. cap. 12.*
nominis urbes numerantur, altera in Insula Cypri, quæ Amathus plerumque a Ptolomæo dicitur, altera, quæ memoratur ab Hegesippo, & a Josepho in Palæstina trans Jordanem ponitur. Heliodorus, cujus fit mentio in Concilio Calcedonensi, prioris fuisse Episcopus creditur; Dionysius vero, qui Concilio Jerosolymitano subscripsit, posterioris.

In Indice Harduini una tantum habetur urbs nomine *Aphrodisias*, quam in Caria Asiæ Minoris Provincia locat: erat tamen & alia in Thracia Europæa, cujus Episcopus *Theosebronius*, quem novus Collector male posuit sub titulo *Aphrodisias in Caria*, subscripsit Epistolæ Episcoporum Thraciæ ad Imperatorem Leonem.

Eodem modo confundit *Colonia in Armenia & Colonia in Cappadocia*, cum dicit: *Coloniensis in Cappadocia, ex notitiis Græcis in quibus est ibi* Κολωνία. *Aliæ adscribunt Armeniæ: & Basilio Epist. CCCXII. est* Κολώνεια Ἀρμενίων. Ponit sub hoc titulo *Bosphorus Coloniensis*: jam vero *Colonia*, cujus Bosphorus dictus est Episcopus in subscriptionibus Concilii Constantinopolitani ann. 381. & in titulis Epistolarum, quas illi S. Gregorius scripsit, non ea est, quam S. Basilius in Armenia locat, sed ea potius, quam Geographia Ecclesiastica ponit in tertia Cappadocia, quæque tunc erat in secunda, ut Palladius inquit in elogio Episcoporum secundæ Cappadociæ, qui summa prosequuti [illegible]
fuerant commiseratione Prælatos ann. circiter 406. in exilium ejectos, & præsertim Bosphorum *Coloniæ*, qui quadraginta annos Episcopus fuerat. Et sane, inquit Hermant, tom. 2. in Vita S. Basilii p. 641. omnia probant, Bosphorum fuisse ejusdem Provinciæ, cujus erat S. Gregorius Nazianzenus, h. e. Cappadociæ. Etenim in Concilio Constan-

tin-

tin. subscripsit inter Episcopos Cappadociæ, teste ipso P. Harduino tom. 1. Conc. col. 815.

P. Harduinus visus est dubitare, utrum *Anastasiopolis in Phrygia & Anastasiopolis Galatiæ*, una eademque Urbs sit, dum inquit, *Anastasiopolitanus in Galatia prima ex notitiis, in quibus est ibi Αναστασιούπολις eadem fortassis Phrygiæ attributa*. Atqui subscriptiones ab Harduino citatæ, cum has Urbes duabus diversis Provinciis tribuant, dubitare non sinunt, quin & ipsæ diversæ fuerint; neque novus Collector sine confusione potuit in unum articulum conferre illarum Episcopos, qui Conciliis interfuerunt.

Sed neque potuit duobus diversis articulis subjicere *Elorensis*, & *Olorensis*, ubi utrumque ex his duobus adjectivis designat Eloronam sub Archiepiscopo Auscensi. Dum cuique ex his duobus titulis Episcopos tribuit, facit, ut ii, qui in Ecclesiarum Gallicarum statu parum versati sunt, putent, eos duos diversos Episcopatus esse. Ita *Cirtensis & Constantiniensis in Numidia* non sunt duæ diversæ Urbes; ut colligitur ex Pomponio Mela Cap. 6.

Hephæstia, cujus Episcopus *Strategius* Concilio primo Nicæno subscripsit, erat juxta Carolum a S. Paulo, & P. Labbæum, in Insula Lemno, sub Metropoli Thessalonicensi. *Thessalonicensi Macedoniæ Metropolitano subditi fuerunt .... Hephæstadiensis in Lemno insula*. Harduinus Strategium facit Episcopum *Hephæstus in prima Augustamnica Ægypti Provincia*, aut potius duas hasce Urbes nulla auctoritate commiscet. Non fuisset inutile, si Harduinus explicasset, cur discedat ab aliis Geographis, constituens *in Ponto in Provincia Honoriadis* Heracleam, cujus Episcopus Dionysius Concilio Calcedonensi subscripsit, cum alii constituant in Caria sub nomine *Heraclea Latmi*. Idem locat in Pisidia *Neapolis*, cujus Episcopus Bassonas Concilio Calcedonensi interfuit ann. 451: plures vero Auctores alii in Caria; locat in Armenia *Satala*, Episcopatum in Lydia situm, ut apparet ex subscriptione Juliani Urbis hujus Episcopi ad Epistolam Synodi Sardicensis in Lydia; locat in numero Episcoporum *Tuburbi maioris* Rutinum, quem plerique faciunt *Tuburbi minoris* Episcopum; locat in tertia Armenia Comanam, cujus Episcopus Theodorus sive Theodotus Concilio quinto interfuit, cum ipsa hujus Concilii Acta locent in secunda. *Theodorus misericordia Dei Episcopus Comanensium civitatis secundæ Armeniæ Provinciæ similiter*; tandem locat in Byzacena Africæ Provincia *Gypsariensis*, quam plerique Geographi cum Ptolomæo locant in Mauritania Cæsariensi, alii vero in Arabia Petræa. Verum est, Tabulas Peutingeri, & Anonymum Ravennatensem eam in numerum Urbium Byzacenæ referre. Hos sequutus est Harduinus, nulla allata causa, cur eos Ptolomæo præferendos duxerit.

Tom. 3. Conc. Hard. col. 906.

Coletus vult, verbis iis in sess. 10. Conc. Lateranensis ann. 1515. *Bartholomæus Episcopus Justinopolitanus dedit Mandatum R. P. D. Bernardi Episcopi Clusiensis*, amanuensis errorem subesse, legendumque *Clugiensis*, quo significatur *Capo d'Istria*, Episcopatus Patriarchæ Veneti suffraganeus, cum *Clusium* significet *Chiusi* Urbem Etruriæ fere dirutam in Vicariatu Romano. Episcopatus hic ann. 450. institutus Senæ suffraganeus est. Harduinus igitur errorem amplexus est, posuitque *Clusiensis* pro *Clugiensis*.

Hard. in Indic. Geogr. Episcopat. col. 697.

Inter Episcopos, qui Concilio Lateranensi interfuerunt ann. 1512. legitur *Dominicus Episcopus Lucerinus*. Hunc Harduinus in tabula geographica ponit sub titulo *Lucerinus*; sed legendum *Nucerinus* pro *Lucerinus*, ut animadvertit Coletus in nova edit. *Italiæ sacræ* tom. 8. p. 323. & tom. 7. ubi loquitur de Dominico Jacobatio Episcopo Nuceriæ.

Mirum sane est, Harduinum, dum distinguit duas *Larissas*, alteram, quæ est in Macedonia prima, alteram in Syria secunda, sub prioris titulo collocare Episcopum, qui proculdubio secundæ erat. Is est *Diogenes Larissæ*, qui affertur hoc titulo *Larissenus in prima Macedonia*, citatque Epistolam scriptam ad Imperatorem Leonem, quæ est Collectionis suæ Tom. 2. col. 714. Nihilominus hæc, quam citat, Epistola inscribitur: *Epistola Episcoporum Syriæ secundæ ad Leonem*. Novus Collector sub titulo *Abydus in Hellesponto* affert Eusebium ex Abydo in secunda Phœnicia, qui subscripsit Epistolæ Episcoporum postremæ hujus Provinciæ ad Imperatorem Leonem: *Epistola Episcoporum Phœniciæ secundæ*.

Sed insignis Harduini error est in nomine *Vabrensis*. Nemo ignorat, Episcopatum *Vabrensem* institutum fuisse ann. 1317. a Joanne XXII. Nihilominus ecce tibi Episcopum, quem Harduinus ponit ann. 1059. sub titulo *Vabrensis*; is est *Dominicus Vabensis* pro *Vabrensis*, *anno* 1059. Mittit ad Tom. 6. col. 1067. ubi apparet, Episcopum hunc Subscripsisse Concilio Romano ann. 1059. Sed ex hoc ipso deprehendimus, Dominicum Italiæ potius, quam alterius regionis fuisse Episcopum, siquidem agitur de Concilio Romano, cui Itali tantum Episcopi interfuerunt. Consuli potest tom. 1. col. 1060. novæ editionis *Italiæ sacræ*, ubi reperitur Dominicus hoc tempore inter Episcopos Valvæ. Hinc nullum dubium est, quin *Vabensis* amanuensium errore suffectus fuerit in locum *Valvensis* in Concilii Romani subscriptionibus. Indic. Geogr. col. 899.

Ut ut Harduino curæ fuerit sue Conciliorum editionis correctio, nulli nihilominus satis insignes typographiæ errores in eandem irrepserunt, ex. gr. Novus Collector in Indice Geograph. ad verbum *Segobiensis*, Segobia urbs Hispaniæ in regno Castellæ, voluerat dicere, Episcopatum hunc Toleti suffraganeum esse; Typographi posuerunt *sub Archiepiscopo Tolosano* pro *Toletano*; adeo ut sensus sit, Segobiam esse, vel fuisse Tolosæ suffraganeam; quod falsissimum est.

Harduinus Metropolis titulo non ornavit quasdam Urbes, quæ revera Metropolis erant, ut Thessalonica & Gortyna; hæc in Actis Concilii quinti Generalis dicitur *Metropolis Cretæ*; citatum vero Concilium OEcumenicum non minorem habet auctoritatem, quam Notitia, vel quodvis aliud Monumentum.

Novus Collector in Indice Episcopatuum geographico omisit nomina Anastasii & Theophili Thessalonicæ Metropolitanorum. Quintillus Episcopus Heracleæ in Macedonio pro primo Concilio Calcedonensi subscripsit: Theophilus vero per se interfuit definitioni secundi Concilii Nicæni. Atqui Anastasius & Theophilus cum insignioris Sedis essent Episcopi, ab Harduino memorandi erant. Conc. Hard. tom. 2. col. 83. 269. & 366. Ibid. tom. 4. col. 748.

Qui hunc Indicem legat, putet Eliam Thessalonicensem ipsum per se Concilio quinto generali interfuisse: *Elias Thessalonicensis in Concilio quinto anno* 553. Atqui aberat, siquidem Benignus Heracleæ Episcopus ejus nomine subscripsit.

In Indice geographico Harduini, ejusque Tabula alphabetica eorum, qui Conciliis interfuerunt, frustra quæras nomina plurium Prælatorum, qui quibusdam Monumentis in hac Collectione allatis subscripserunt. Ita Tom. 2. col. 982. inter subscriptiones Episcoporum, qui Romano Concilio interfuerunt ann. 502. habetur subscriptio *Eusebii Fauesiritis*; & tamen nulla mentio neque de hoc Episcopo, neque de illius Episcopatu in Tabulis novi Collectoris; quemadmodum neque de *Felice a Municipiis & Gernisiis*, qui subscripsit Epistolæ Stephani Byzacenæ Primatis ad Imperat. Constantinum, neque de Sabiniano de Perre, qui Concilio Calcedonensi interfuit, & Thoma de *Evania*, qui subscripsit Epistolæ Episcoporum secundæ Phœniciæ ad Imperatorem Leonem. Tom. 3. col. 740. Ibid. tom. 2. col. 483. Ibid. col. 720.

Nomina quorumdam Prælatorum, de quibus fit mentio in Tabula geogr. non reperiuntur in Tabula alphabetica eorum, qui Conciliis interfuerunt; ex. gr. non fit mentio de *Heliodoro Narensi*, pro quo Nicolaus Archidiaconus subscripsit; neque de Roberto VVancop Ardinachæ Archiepiscopo, qui Concilio Tridentino interfuit. In nulla harum Tabularum habetur *Longinus Orestensis*, qui Concilio Romano subscripsit ann. 504. quem si forte novus Collector confundere voluerat cum alio ejusdem nominis Episcopo, quem in Tab. geographic. affert sub titulo *Orcistensis in Galatia secunda*, quique Concilio Calcedonensi interfuit ann. Tom. 2. Conc. Hard. col. 736.

451. nihilominus admonendum erat, cum Rom. Concilio subscripsisse.

Harduinus, ut apparet, ex uno duos Episcopos fecit, cum Tabula alphabetica eorum, qui Conciliis interfuerunt, primum posuit: *Romanus in Concilio Carthaginensi anno 416. tom. 1. col. 1213.* ac paulo post: *Romanus Megalopolitanus in collatione Carthaginensi, tom. 1. col. 1088.* credibile enim est, unam eandemque personam fuisse.

Quicumque geographicum P. Harduini Indicem legerit, magnum in eo discrimen deprehendent inter nomina, sub quibus de quibusdam Episcopalibus urbibus loquutus est, & nomina, quæ iis indiderunt Carolus a S. Paulo, Labbæus, aliique Collectores. Dum hæc nomina afferebat juxta pronunciationem, qua efferenda putabat, non erat ab eo antiquorum Collectorum pronunciatio negligenda. Si varie hæc nomina pronunciata fuerunt, diversæ lectiones omnes afferendæ sunt, modo ne sint falsæ; si falsæ, earum falsitas probanda. Hoc vero utile fuisset. At dare tabulam hanc Episcopatuum sub novis nominibus, neque admonere, quomodo in præcedentibus Collectionibus legantur, hoc est novum Geographiæ Dictionarium condere, idque nullius fere utilitatis, cum, qua de Urbe agatur, vix conjicias: hoc est antiquas notiones evertere, novis suffectis; quod nullius emolumenti est, præsertim ubi non inductæ mutationes probentur.

PARS TERTIA.

De Conciliorum legendorum modo.

EXposita jam utilitate, quæ ex Conciliorum lectione haberi potest; tum variis horum Collectionibus, antiquis recentibusque, generalibus & particularibus sub oculos positis; commonstrato præterea ordine, quem nobiliores Collectores sequuti sunt: restat nunc, ut expendamus, qua ratione, quove modo Conciliorum lectio facienda sit iis, qui aliquam inde utilitatem percipere student. Scio quidem, in rebus moralibus finem præcipue spectandum: inutilemque esse omnem notitiarum congeriem, susceptosque in studiis labores & contentiones, nisi una veritatis cognitio conquiratur, & ex veritatis cognitione animus melior fiat; in quod demum unum non Ecclesiastici solum, sed omnes etiam Christiani intendere maxime debent. Præterea, si in Conciliorum lectione id tibi proposueris, ut te iis præsertim doctrinis imbuas, quæ ad mores voluntatemque referuntur, hinc tibi abunde suppetent, unde & mentem veritatis luce perfundas, & animum virtutis quasi pabulo nutrias. Tantum certe sibi aliisque pollicebatur Merlinus, primus Conciliorum Collector, cum in Præfationis suæ fine afferebat, ex Conciliorum Editione *doctos pariter & indoctos in promptu habere, quo cedat veritati error, & luceat veritatis lumen in Sion, & agnoscatur verus zeli caminus in Hierusalem*. Crabbe vero Conciliorum Volumina judicabat *esse, tanquam pretiosas advectas merces, ut anima illis nostra & refici spiritualiter, & mores componi salubriter, & fides roborari possit validius*. Romani demum Conciliorum Generalium Editores immensum afferunt ab iis *Ecclesiæ thesaurum contineri, in quo incomparabiles non humanæ sapientiæ, sed cælestis doctrinæ condita sunt opes*. Igitur manifestum est, ex his purissimis fontibus deducendam esse veritatem, & virtutem, quæ studiorum omnium nostrorum debent esse principium & finis; sed quænam in hoc via maxime tenenda sit, non satis est manifestum. Nos plures commonstramus, ex quibus unusquisque eam pro ingenio sibi ineundam eliget, quæ tutior probatiorque videbitur.

CAPUT I.

De varia Conciliorum legendorum ratione.

VEritas ex nulla re melius emicat, quam ex Conciliorum Actis, quæ eorumdem compendiis vel excerptis semper præferenda sunt. Qui Concilia addiscere volunt in Collectionibus, antiquiora habebunt in Collectione Justelli duobus Voluminibus comprehensa. Erunt igitur legendæ Præfationes, una cum Dissertatione de Marca in has diversas Collectiones. Eam Balutius dedit in Editione Opusculorum doctissimi hujus Prælati ab ipso facta.

Gratianus hujusmodi Collectiones ultimus inter Latinos confecit; hinc ejus Decretum (sic enim appellatur) amplius est, quam præcedentium Collectiones: Canonibus, quos affert, suas animadversiones adjecit, ut ante ipsum præstiterant Abbon & *Deusdedit*. Ut utilis sit hujus Decreti lectio, consulendæ sunt observationes & emendationes, quas Antonius Augustinus edidit sub titulo *de Emendatione Gratiani*. Balutius edidit hoc Opus, novis adjectis observationibus in Gratiani Decretum.

Legendum quoque est, quod idem Antonius Augustinus de antiquis Canonibus edidit, licet ibi falsas Decretales citet; item Collectio Beveregii in Anglia impressa.

Quod ad Concilia attinet sine ulla interruptione legenda, varie se res habere potest: quidam enim putabunt fortasse sibi legenda tantummodo quinque vel sex priorum sæculorum Concilia, quibus Ecclesiæ disciplina, ut diximus, maxime floruit; licet posteriorum sæculorum disciplina negligenda non sit.

Alii satis esse credent Concilia generalia legere. In hac sententia videtur fuisse P. Lupus Augustinianus, qui publice edidit quinque Volumina observationum in plura Concilia, præsertim vero in ea, quæ generalia judicabat.

Nonnulli Conciliis generalibus addenda censebunt suæ quisque nationis Concilia. Hinc Gallus Gallicana, Hispanica Hispanus, Anglus Anglica libentius leget. Non tamen negligenda sunt Africæ Concilia, quorum Decreta alias plures Ecclesiæ, tanquam normam, sibi proposuerunt; neque antiquæ Pontificum Decretales, tribus Voluminibus collectæ. Primæ usque ad Siricii Papæ Decretales parum necessariæ sunt, cum, earum suppositione a Blondello detecta, inter falsas ab eruditis amandatæ sint. Fusius & utilius incumbemus in Concilia Generalia & Particularia omnium gentium, omniumque nationum.

Conciliorum per compendia legendorum ratio brevior & facilior est, licet valde imperfecta. Sed quemadmodum multis usui esse potest, ita inferius plerasque Conciliorum summas vel Epitomes percucurri.

Joverio Conciliorum lectionem aggredienti visum est in magna quadam Sylva esse, in qua facilius est errare, quam exitum invenire; hinc sensit methodum aliquam necessario esse excogitandam, quæ lectionem hanc facilem, utilem, & jucundam efficiat. Id facile præstare nos posse putavit, si strenuum militiæ Ducem imitemur, qui non ante prælium committit, quam Equites a peditibus, cataphractosque a militibus levis armaturæ sejunctos suo quemque loco & ordine collocaverit. Id ipsum Joverius præstitit, ut ipse ait, in sua

sua Conciliorum summa, deditque primum, quæ præcipua in Conciliis Generalibus habentur, Pontificumque Decreta post Concilia Particularia collocavit; siquidem ita naturalis ordo postulare videbatur.

CAPUT II.

De Conciliorum nomine & varietate, de eorumdem celebratione; tum quinam usus obtinebat in cogendis, confirmandisque Conciliis, & in suffragiis dandis.

I.

Quid sit Concilium?

Concilii vocabulum notius est, quam ut indigeat explicatione. Hoc nomine intelligitur Conventus Episcoporum coactus ab eo, qui Præsidis jure gaudet, vel ejus consensu, ad ea reformanda, quæ fidem & Disciplinam Ecclesiasticam afficiunt.

Plura habentur Concilia ab aliis coacta, quam a Præside; quæ tamen legitima semper sunt habita, quia ejus tacito saltem consensu celebrata fuerunt.

Conciliabuli vocabulum dicitur de Conventu, cui deest aliqua ex iis conditionibus, quæ in Concilio requiruntur; proindeque illegitimus habetur; vel de Conventu Hæreticorum.

Latini Auctores usi sunt vocabulis *Concilius* & *Concilium*, ad Conventum aliquem significandum, ut inter cæteros observarunt Balutius in nova sua Collectione, Du-Cange in Glossario, & de la Lande in Glossario, & in postrema Supplementi sui Nota.

II.

Quotuplex sit Conciliorum genus?

Concilium dicitur Generale, cum omnes totius Christiani orbis Prælati in unum conveniunt, nisi legitime impediantur. Dicitur etiam OEcumenicum a verbo Græco οἰκουμένη, quod terram habitabilem significat. De Conciliorum generalium numero non convenit inter Scriptores. Quidam titulum hunc dant quibusdam Conciliis, quibus alii adimunt. Inter Concilia OEcumenica unum dicitur Generale κατ᾽ἐξοχήν, ratione scilicet Episcoporum plurimorum, qui vel per se, vel per Procuratorem interfuerunt. Hoc vero est Concilium quartum Lateranense ann. 1215. quod in Decretalibus sæpissime citatur sub Concilii Generalis nomine.

Etiam magnitudo rerum, quæ in quibusdam Conciliis agitatæ fuerunt, effecit, ut nonnulli Scriptores OEcumenici nomen iis darent, ut Arelatensi, Francfordiensi, aliisque. Plenarii nomen datum est Conciliis Particularibus, quibus interfuerunt Episcopi omnes unius Nationis, vel unius Provinciæ, siquidem ratione tantum hujus Nationis vel Provinciæ vim legis habuerunt. Hujus rei exemplum extat in Codice Ecclesiæ Africanæ, ubi hujus Ecclesiæ Concilium dicitur Universale. Concilium quartum Toletanum ann. 633. appellatur Generale, licet huic Concilio nonnisi Prælati Hispani, nonnullique Galliarum Episcopi interfuerint. *In Præfat.*

Concilii Particularis nomine intelligitur Conventus plurium Episcoporum coactus ab eorum aliquo, qui cogendi jus habet. Jam vero, quemadmodum tres sunt, qui Episcopos congregare possunt, Patriarcha scilicet, Primas, & Metropolitanus, ita tria Conciliorum Particularium genera distingui possunt, Patriarchalia, Primatialia, & Provincialia. Cum quinque Patriarcharum aliquis suos Metropolitanos, eorumque Suffraganeos congregabat, tum Concilium Patriarchale appellabatur. Episcopi a Primate suo convocati Primatiale Concilium constituebant. Concilium demum Provinciale erat conventus Episcoporum unius Provinciæ cum Metropolitano. Tribus his Conciliorum Particularium generibus addi possunt Concilia Nationalia, vel conventus Episcoporum totius alicujus Nationis. Nationalia Concilia, cum nullum plerumque habeant Nationis Episcopum, qui in omnes ejusdem Nationis Episcopos jurisdictionem habeat, a nullo peculiari Episcopo cogi possunt, sine Principis jussu: reliqua vero Particularia Concilia cogi possunt, permittente Principe, ab eo, qui jus præsidendi habet; hujusmodi fuere plura Aureliana Concilia in Gallia, quædam Londinensia in Anglia, & Toletana in Hispania.

Concilia Romæ habita sunt peculiari quodam sensu Particularia; siquidem eorum Decreta non afficiunt nisi Diœceses Papæ peculiari modo subjectas. Nihilominus cujus ordinis dicemus esse hæc Concilia, quæ ex Episcopis Papæ immediate subjectis constant? Num Patriarchalia? At nullus ibi adest Primas. Num Primatialia? Nullus ibi Metropolitanus. Num demum Provincialia? Papa in imperio sua jurisdictionem immediate exercet in Diœcesanos Episcoporum, qui illi immediate obnoxii sunt. Hinc cum hoc immediatum Papæ imperium neque Metropolis, neque Primatia, neque Patriarchatus proprie sit, Concilia horum generum nullo comprehendi possunt.

Historici Constantinopolitani sæpe memorant Synodos, quæ dicebantur Ἐνδημοῦσαι, compositas ex Episcopis, qui in Urbe Imperiali degebant. Hujusmodi sunt Concilia habita sub Nectario, & S. Chrysostomo; in quibus de rebus gravissimis actum est.

Ex Conciliorum Particularium numero expungi possent Synodi Diœcesanæ; siquidem hæ non Episcoporum, sed Cleri Episcopo subjecti conventus sunt. Sed quemadmodum usus eas in Conciliorum numerum retulit, cum quibus etiam sæpe conveniunt, ita de his quoque dicemus. Et sane Synodi Diœcesanæ controversias plures diremerunt ad fidem & mores spectantes, collabentemque Disciplinam restituerunt. Hujus rei argumenta eaque gravia suppeditant Synodi a Labbæo allatæ in Conciliorum Collectione, & a Bouchello in Collectione Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ. In iis enim non solum habentur plures particulares constitutiones, quæ ad Diœceses optime administrandas spectant, sed plures etiam decisiones ad fidem & mores pertinentes. Constitutiones a Synodis Diœcesanis factæ tota Diœcesi obligant, ut decisiones constitutionesque Conciliorum in sua quæque obligant jurisdictione. Sed & alia inter Synodum Diœcesanam & Concilia similitudo intercedit, quod Synodi Decreta non obligant Diœcesanos, qui extra Diœcesim versantur, neque eos, qui in Diœcesi degentes Decreta hæc ignorant; eodem modo & Decreta Conciliorum definitæ auctoritatis non obligant eos, qui sunt extra loca, pro quibus condita sunt; neque eos, qui hæc ipsa Decreta nulla sua culpa ignorant. Ut Conciliis, ita & Synodis quidam intersunt, ut Judices; alii, ut judicentur; nonnulli ut res suas exponant; quidam demum, ut consilium dent. Quemadmodum Conciliorum Particularium Canones Juris partem constituunt particularium Ecclesiarum proprii, ita Constitutiones Synodales jus Diœceseos proprium constituunt, ut & reliquæ Constitutiones Episcopis extra Synodum factæ. In Conciliis quidam judicant auctoritate accepta a Deo, ut Episcopi; quidam vero auctoritate ab Ecclesia accepta, ipsisque privilegio aliquo, aut consuetudine communicata, ut Abbates Generales, & Cardinales non Episcopi. Idem etiam animadverti potest in Synodo, ubi alii, præter Episcopum, intersunt, ut Judices. Tandem Synodalia statuta non secus atque Conciliorum Decreta obligant Clericos & Religiosos immunes extra terminos immunitatis. Quædam Synodi Diœcesanæ, ut Vaurii ann. 1368. Biduscasii ann. circiter 1300. & Oxonii ann. 1222. plura Decreta condiderunt, quam ipsa Generalia Concilia. *Tom. 11. Conc. col. 1957. 1447. & 270.*

III.

De numero & conditione eorum, qui Conciliis intersunt.

Numerus Episcoporum, qui Conciliis intersunt, non parum iisdem auctoritatis impertiunt; hinc

S. Hi-

S. Hilarius loquens de ὁμοούσιον ab octuaginta Episcopis rejecto sæpæ inculcat, id ipsum a 318. Episcopis fuisse receptum. Nihilominus, utut copiosissimum Concilium sit, ejus leges vim omnem acquirunt a totius Ecclesiæ approbatione, ut optime vidit S. Augustinus in Epist. XLIII. ubi loquitur de Concilio septuaginta Episcoporum, quorum numerus & auctoritas, tanquam magnum aliquid, jactabatur. Sed *id tamen*, inquit ille, *non impediit tam sapientes Judices* (Melchiadem & Episcopos, postulantibus Donatistis, ab Imperatore nominatos, ut una cum Concilio Romano Cæciliani causam dijudicarent) *qui, cum vidissent ab his Episcopis Confratres suos absentes, indicata causa, & animi quodam cæco impetu condemnari, non putarunt, neque quot numero essent, nec unde essent, magnopere attendendum.*

Qui Conciliis intersunt, sunt fere omnes Ecclesiastici; Laici non intersunt, si quando id accidit, nisi ut præsentia sua excitatos tumultus componant. Hi nihilominus nonnullorum Toleti Conciliorum Decreta approbarunt; & ea, quæ Episcopi definierant vel statuerant in Concilio Arelatensi ann. 813. Caroli magni judicio subjecerunt. *Ut si quid hic minus est*, inquiunt, *ejus præsentia suppleatur. Si quid secus quam ratio se habet, ejus judicio emendetur.*

Extiterunt etiam Conventus mixti, ex Ecclesiasticis Laicisque compositi; hujusmodi est ille, qui habitus fuit apud urbem Cenomanum; hujusmodi Concilium habitum Becanceldæ in Anglia an. 694. cui præfuit Rex VVithredus, interfueruntque quinque Abbatissæ, quæ statim post Episcopos subscripserunt Decreto, quo Ecclesiæ Cantii, Rosæ, aliæque plures in ejusdem Regis Charta nominatæ, omni servitute immunes declarantur, constituiturque hujus Privilegii conservationi, libertatique electionum in Monasteriis. Hujusmodi fuerunt Concilia Aenham an. 1009. Coyac in Diœcesi Ovetana ann. 1050. ubi interfuerunt Episcopi, Abbates, & Laici, quorum Canones partim Ecclesiasticam, partim civilem Disciplinam afficiunt.

Episcopi non semper condiderunt Canones, qui, cum de rebus Ecclesiasticis ageretur, confecti fuerunt ad spiritualem administrationem pertinentes, licet eos subscriptione approbarint. Canones Concilii Pontis ad Icaunam ann. 846. nomen tantum præferunt Caroli Calvi, qui ibi loquitur solus. Sic septimus Canon Concilii Magontini ann. 847. non continet, nisi ipsa verba Imperatoris Lotharii pro Episcopis.

I V.

De temporibus ordinariis, & extraordinariis, quibus habita sunt Concilia.

Non constat, Concilium ullum habitum fuisse ab Apostolorum tempore usque ad medium seculum secundum. Tunc plura celebrata sunt in Oriente & in Africa ad Pascha & Baptisma spectantia, in reliquo Occidente pauca. Cum Concilia haberi non potuerunt, ut persecutionum tempore, quo Episcopi & Presbyteri vel fusi, vel occulti vivere cogebantur, Episcopi etiam diversarum Provinciarum negotia Ecclesiastica per litteras agitabant. Nihilominus supra cætera persequutionis mala Episcopi maxime dolebant Concilia interrupta; siquidem judicabant, sine Conciliis non posse Ecclesiasticam Disciplinam retineri.

Sæculo secundo habentur Provincialia Concilia; ex quo colligi fortasse potest, ea, quoad fieri potuit, etiam vigentibus persequutionibus, in usu fuisse. Ex Concilio Nicæno duo quotannis celebrari debebant, alterum quidem vere ante quadragesimam; ut, inquiunt hujus Concilii Presbyteri, simultate omni sublata, pura Deo oblatio fiat; alterum vero Autumno. Ex his frequenter habitis conventibus duo bona proficiscebantur, concordia & amicitia inter Episcopos, & in disciplina consensio. Si extra persequutionum tempus observatum est, quod Apostolorum Canones præscripserunt, ut scilicet duo quotannis Concilia in quacumque Provincia celebrentur, dici potest, Concilia non ita rara fuisse post sæculum secundum, saltem quibusdam in locis. Et sane Concilium Nicænum, eaque omnia sæculi quarti, quæ aliquid in hanc rem constituerunt, renovarunt tantummodo, quæ antea præscripta & consueta fuerant. Certum etiam est ex Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum, in Oriente quotannis de more habita fuisse Concilia pro restauranda Ecclesiæ disciplina; in Occidente vero S. Cyprianus docet pluribus in locis, hanc pariter in Africa consuetudinem obtinuisse, ut Concilia quotannis post Paschatis Festum haberentur. Processu temporis a Concilio Hipponensi statutum fuit, ut quotannis habeatur totius Africæ Synodus, non Carthagine solum, sed in variis etiam Provinciis; ut sæpe factum est in Numidia, & Byzacena. Canones XCVI. & XCVII. Concilii Carthaginiensis, & nonus Concilii Milevitani, allati in Codice Ecclesiæ Africanæ, & in Collectionibus Burchardi, & Ivonis Carnotensis, addunt, omnes Africæ Episcopos per litteras esse invitandos, ut Carthaginem se transferant, quotiescumque communis necessitas postulabit; sin privata res agatur, tum satis esse, si Judicia in Particularibus Provinciis habeantur.

Concilium igitur Provinciale, ex Concilii Nicæni tempore, difficultates omnes communiter expendebat dirimebatque. Provinciæ Episcopi tenebantur adesse; ut præscriptum fuit Canone 38. Apostolorum, 40. Laodicæno, 19. & 20. Antiocheno, & 19. Calcedonensi. Convocabantur etiam ab Episcopis magnarum Sedium, & a Pontificibus; & antiquæ Decretales, licet nomina tantum illorum præferant, erant eorumdem Conciliorum confectaria.

Temporibus extraordinariis, & cum Ecclesiæ universæ utilitas id postulabat, ut inquit Papa Hormisda in Epist. 7. ad Sallustium, vel quando magna inter Episcopos exardebat animorum divisio, ut observat S. Gregorius, & Concilium octavum Toletanum cap. 11. habita fuere Concilia magis vel minus numerosa pro conditione causarum, propter quas coacta sunt. Cum divisio erat inter magnarum Sedium Episcopos, tum habita fuerunt Concilia Generalia, vel OEcumenica: hujusmodi sunt Nicænum, Calcedonense, & cætera usque ad Concilium Tridentinum, omnium postremum.

Lib. 7. Epist. 108. ad Syagrium & 110. ad Ætherium & lib. 11. Epist. 37. ad Felicem Ep. Sicul.

Concilia Nationalia habebantur in summa alicujus Nationis necessitate. Ea cogebant Principes, ubi Episcopos cogere poterant.

Romæ habebantur Conventus, quotiescumque in Ecclesia nova aliqua controversia excitabatur, vel quotiescumque agebatur de publicandis novis Operibus ad Religionem spectantibus. Exemplum Conventus primi generis habetur, Pontifice Symmacho. Quidam Orientis Episcopi cum per litteras certiorem fecerunt de damnis malisque, quæ Eutychiani in eorum Diœcesibus agitabant; Pontificemque rogarunt, ut, quid illis respondendum esset, sibi significaret. Symmachus, vocatis Episcopis, qui tum Romæ erant, suique Cleri Principibus, omnibusque, qui in Senatu, & ex Populo Pietate & Doctrina pollebant, Episcoporum Orientalium Epistolam protulit, eorumque sententiam exquisivit. Alterius generis Conventus habetur exemplum; cum, Vigilio Papa, insigniorum Auctorum Opera ad examen revocata sunt. Cum Aratoris Opera Vigilio Papæ oblata in Presbyterio ante S. Petri Confessionem, præsentibus pluribus Episcopis & Clero, ex parte perlecta essent, ac deinde in Archivis reponerentur, Litterati omnes precibus a Pontifice contenderunt, ut legi omnia juberet. Ecclesia igitur S. Petri ad vincula ad hoc delecta, quicumque Romæ aliqua vel doctrina vel dignitate antinebant, convenerunt, & Arator ipse, his præsentibus, duos Libros suos recitavit septem Sessionibus, diebus diversis habitis; siquidem coactus fuit sæpius repetere nonnulla loca, quæ Conventui magis arriserant.

Papa cogebat etiam Romæ quotannis Italiæ Siciliæque Episcopos. Mox nonnisi tres Romam pergere coacti erant. S. Gregorii tempore Romam adibant quinto quoque anno ad res, quæ acciderant, expediendas. Ante ipsum semel tertio quoque anno. Sed laudatus Pontifex ne Siciliæ Magistratus, hisce Conventibus Episcoporum convocatis, in suspicionem aliquam adduceret, hujus Insulæ Episcopis scribebat, ut veluti motu proprio convenirent, pariterque Nuntio suo mandabat, ut

Epis-

Episcopos Insulæ Liparæ, & Rhegii Julii exhortatione Romam compelleret. Numerus Episcoporum, qui Romanis Conciliis intererant, erat prægrandis, ut colligitur ex Epistola Gallæ Plaudiæ ad Theodosium Juniorem. Epistola Concilii Sardicensis ad Julium Papam, quæ inter fragmenta S. Hilarii habetur, docet, Sardiniæ, Siciliæque Episcopos se conjunxisse cum Italiæ Episcopis in Synodo Romana. Quemadmodum Fides se late disseminaverat in hac Urbe Orbis Principe, & in Italia tota, & in omnibus Insulis Italiæ adjacentibus, ita longissimo temporis spatio sub Papæ jurisdictione vixerunt, nec nisi admodum sero Metropolitanos habuerunt a Summo Pontifice distinctos. Quamvis enim Historia memorat Concilia Provincialia contra Jovinianum a S. Ambrosio coacta, nulla tamen reperiuntur Concilia habita vel in Sicilia, aut Sardinia, aut ea Italiæ parte, quæ a Roma usque in Siciliam protenditur. Quædam fuere Romana Concilia, quibus una cum Italiæ Episcopis interfuerunt Episcopi Mediolanensis, & Ravennatensis; sive quod casu Romæ fuerint, sive quod quædam essent veluti Nationalia Concilia. Octavum Concilium Romano Concilio non interesse jubet, nisi Metropolitanos, qui a Papa ordinationem vel Pallium acceperant.

Conc. Calced. part. 1. c. 25. Conc. Tom. 4. col. 45.

Critic. in Annal. Bar. tom. 1. p. 375. Romanorum Conciliorum celebratio Sæculis XI. & XII. plerumque incipiebat die 2. hebdomadis. Pagius observat, secundum Lateranense Concilium ann. 1112. incepisse die 18. mensis Martii, qui eo anno inciderat in *Feriam II. quæ de more Concilia inchoabantur*.

Romano Imperio jam inclinato, & evulso, ex ejus ruinis plura extitere regna, in quibus sæpe plura Nationalia Concilia habita sunt. Hujusmodi fuerunt in Hispania Concilia Toleti sub regibus Gothis celebrata, pluraque Galliæ Concilia. In his generalibus Conventibus commorantes Episcopi sua sibi invicem munia inculcabant, Ecclesiastica negotia expendebant, suosque ipsos Confratres judicabant: judicandi regula, quam sequebantur, S. Scriptura, & Canones erant. Quamvis in Africa Concilia Provincialia sæpe celebrarentur, Nationalia tamen erant universalia & ordinaria. *Epist. 95.* Epistola S. Leonis ad Turibium notat, in Hispania pariter habita fuisse universalia, h. e. totius Nationis Concilia. Concilium quartum Toletanum Can. 3. vult, ad fidem firmandam, vel ad res ad modum publicas reformandas, omnes Hispaniæ Galliæque Prælatos congregari; ad res vero privatas Episcopos tantum cum Metropolitanis in eorum Provinciis xv. Kal. Junii, h. e. medio Majo. Similis fere Constitutio habetur in Præfatione Canonibus Concilii secundi Bracarensis præmissa. Suas etiam Italia habuit Synodos Nationales, & Joannes VIII. Papa ad Archiepiscopum Ravennatensem scribens de Concilio, quod *Conc. Labbè tom. 9. col. 48.* in ea Urbe commode cogi poterat, vocat *Italici regni universale*.

Caroli Magni tempore Concilia fuere frequentia, siquidem diversarum ditionum Conventus ex duobus Cleri & Nobilium ordinibus constabant; sed non ea amplius erant Concilia tam sapienter a Canonibus quacumque Provincia inter propinquos Episcopos instituta; sed potius Concilia Nationalia totius Gallici Imperii, quo Galliæ, Italiæ, Saxoniæ, & Aquitaniæ Episcopi confluebant. Constitutiones inde exortæ erant eæ quidem æquabiliores; sed parum utiles, Episcopis a gregibus suis plerumque absentibus. Supremæ Curiæ, seu, uti vocant, *Parlamenta*, erant revera civiles Conventus, qui nonnisi civilia tractabant; Episcopi, ad hoc adsciti, sua etiam judicia immiscebant. Conventus porro, hi, ex occasione tot Episcoporum, qui simul aderant, fiebant aliquando Concilia. Duo igitur Conventuum genera eo casu distinguenda sunt, unum, in quo Episcopi cum Regni optimatibus conjuncti de rebus publicis deliberabant pro ingenio Principis; alterum, in quo soli Episcopi spiritualia tantum negotia tractabant.

In Conventibus Attiniaco an. 822. & Magontino ann. 813. tria erant invicem sejuncta cubicula. In uno Episcopi, in altero Abbates, in tertio optimates degebant. Monachi cœperunt sejunctim habitare sub Carolo Magno, ante quem in cubiculo Episcoporum vivebant. Aliquando quæ in Cleri cubiculo statuta fuerant, non prius obtinebant, quam accederet Nobilium consensus, qui ea vel confirmarent, vel rejicerent pro rei necessitate, hinc plura Decreta Concilii Meldensis an. 845. Carolo Calvo regnante, a Comitibus rejecta fuerunt.

Consuetudo Ecclesiastica & civilia eodem tempore, eodemque loco tractandi non unius Galliæ propria fuit. In Germania Imper. Lotharius Ludovici Pii filius, Maguntiæ ann. 852. indixit generalem Conventum, ubi Episcopi Concilium habuerunt, dum interim Optimates de regni negotiis pertractabant. Episcoporum deliberationes confirmavit Imperator.

IV, V. VI. & VII. Toletana Concilia erant pariter generales Conventus Episcoporum & Optimatum Regni Hispaniæ in duo cubicula distributi. Non omnes Nobiles interfuerant, sed tantum illustriores, ut ex duodecimo apparet. Actum ibi est de rebus Imperii, præsertim XIII. & XVI.

Pipino rege, præter Conventum a Clero habitum Generalium regni Ordinum tempore, duo quoque erant Conciliorum genera, unum, in quo soli aderant Episcopi Metropolitanorum potestate seu dignitate exornati; alterum a Metropolitanis indictum ex suffraganeis, Abbatibus, Presbyterisque eorum jurisdictioni subjectis constabat. Ita statutum fuit in Conventu Vernonii ann. 755.

Cleri Conventus plerumque habebantur in Palatio Regis; ut Vernonii ann. 755. rege Pipino; Francofurti ann. 799. rege Carolo Magno; Aquisgrani ann. 816. 817. & 860. & Triburiæ an. 895. Ita Trosley, Pons ad Icaunam, Compendium, Ingelheimum erant Ædes Regiæ, unde plura Concilia sua nomina desumpserunt. Hi conventus in Palatio Principis habiti eo justiores erant, quo magis a Principe cogebantur; Conventus Francfordiensis ann. 799. contra Elipandum, & Concilium sextum Arelatense ann. 813. convocata fuerant a Carolo Magno eo jure, quo gavisi fuerant Imperatores antiqui.

Pro generali totius Cleri Conventu aliquando tres vel quatuor, ex pluribus quique Provinciis, indicebantur, horum deliberationes Concilii Nationalis loco erant; hinc Carolus Magnus anno ante obitum suum eodem tempore quinque Concilia indixit; Ordinum vero Conventus sub Ludovico Pio ann. 828. quatuor indixit.

Initio mensis Augusti quotannis plerumque habebatur Concilium Nationale ad Clovesham in *Canon. 7.* Anglia. Locus hic ad hoc delectus fuerat a Patribus Concilii Erfordiensis ann. 673. Anno 747. ibi aliud celebratum est, cui interfuerunt Episcopus Roffæ, tres Episcopi Mercianorum, duo VVestsex, unus Estangle, unus Essexiæ, unus Sussexiæ, & duo duarum aliarum Provinciarum.

Concilia Nationalia frequentia fuerunt in Africa, eo quod in qualibet Provincia magnus erat Episcoporum numerus, qui ordine iisdem interesse poterant; hinc ex Canon. 10. Concilii quinti Carthaginensis ann. 398. cujusque Provinciæ Episcopi in tres erant classes dividendi, & ex qualibet classe per vicem certus Episcoporum numerus deligendus, qui Concilio non interesse non poterant.

Ab hac consuetudine decretis exemplisque tam luculentis statuta Gallia recessit jam usque a sæculo quinto; ut conqueritur Avitus Viennensis Episcopus. Verum quidem est, ad hoc malum averruncandum a Concilio Turonensi ann. 567. statutum fuisse, ut quotannis saltem Concilium habeatur: Decretum tamen non satis constat executioni mandatum. Medio fere Sæculo VIII. S. Bonifacius, Germaniæ Apostolus, ad Zachariam Papam scribens observat, Gallos octuaginta abhinc & amplius annis neque Archiepiscopum ullum habuisse, neque Concilium aliquod celebrasse. Id tamen non de tota Gallia intelligendum est; siquidem clare innotuerunt ii, qui hoc tempore Principes hujus regni sedes occupabant, & S. Ansbertus Rothomagensis Archiepiscopus Concilium celebravit an. 688. sed accipiendum est de duabus Provinciis Germanicis citra Rhenum, quæ nullum Ar-

chie-

chiepiscopum habuerant a Pontificatu S. Amandi secundi VVormatiensis Episcopi, qui duarum harum Provinciarum Metropolitanus fuerat.

Sæculo nono Normanorum irruptiones Conciliorum celebrationi magnopere obstiterunt: auxit etiam malum parvorum Principum inter se dissensio: præterea Episcopi, quorum studium deferbuerat, frequentium itinerum incommoda sumptusque reformidabant. Nihilominus identidem recurrebat, Concilia esse habenda; sæpe etiam revocabatur Concilii Nicæni Decretum, quo duo quotannis Concilia celebrari oportet. Summi Pontifices præibant exemplo, & de more duo Concilia habebant, unum quadragesimæ tempore, alterum Mense Novembri, ut videmus Sæculo XI. sub Leone IX. Alexandro II. & Gregorio VII. Atque hic postremus, licet acerrimus potestatis suæ assertor & custos, nullam tamen alicujus momenti rem aggrediebatur, Concilio non ante coacto.

Sæculo XII. ita invaluerat, quod falsæ Decretales præseferebant, videlicet, Papa non jubente, aut saltem annuente, non posse haberi Concilia, ut nulla sine illius Legatis haberentur. Hinc Richardus, Albanus Episcopus, Legatus, tria Concilia in Gallia coegit ann. 1110. Nihilominus sæculo undecimo Legatis convocandi Concilii facultatem in Germania petentibus Episcopi omnes audacter restitere, contendentes, id sine exemplo esse, suisque juribus contrarium, declararuntque, se nunquam concessuros, ut, præter Papam ipsum, quispiam alius Concilio præsit. Et sane jure communi, in Conciliis Provincialibus Episcopis præerant Metropolitani; & nunc primum invectum est, ut Legati Papæ in his Conciliis adessent. Sed illud hac occasione Germanicos Prælatos vehementius accendit, quod eorum plures Simoniaci erant.

Sæculo XIV. Concilium Valentiæ in Hispania præscripsit, ut duobus quibusque annis Concilium celebretur; atque ita aliquantulum discedebatur a regula in Toletano tertio ann. 589. præscripta, quæ jubet, ut, salvis sanctis legibus, quæ duo quotannis Concilia præscribunt, & longinqui itineris, & Ecclesiasticæ paupertatis ratione habita, Episcopi semel quotannis congregentur in locum a Metropolitano delectum, locorumque Judices, & Regis Ministri Concilio intersint primo Novembris die, ut Populorum regendorum rationem addiscant ab ipsis Episcopis, qui ipsis, tanquam cognitores, a Deo dati sunt. *Can. 18.*

Tandem, sæculo insequenti, ex Concilio Basileensi, tribus quibusque annis haberi Concilia Provincialia debebant; quæ regula mox a Concilio Tridentino confirmata fuit. Hoc vult præterea, ut Concilia Provincialia celebrandi consuetudo renovetur iis in locis, in quibus in desuetudinem abierat; ut tribus saltem quibusque annis quilibet Metropolitanus Concilium cogat in sua Provincia, & ut omnes Episcopi, cæterique, qui in Conciliis locum suo jure habent, iisdem intersint, pœnis in eos propositis, qui secus fecerint. Hujus Decreti exequutioni provisum fuit edicto Melodunensi, item edicto ann. 1610. & Declaratione ann. 1646. Nihilo tamen minus in Gallia nullum Concilium celebratum fuit post Burdigalense ann. 1624.

V.

De ratione convocandi ad Concilia.

Qui de Conciliis generatim tractarunt, quæstiones omnes ad tempus, ad locum, ad convocationem pertinentes fusius examinarunt. Campegius, qui hæc omnia discussit, ait, citari Prælatos ad Concilia posse, solum edita publice Bulla convocationis. Pontifices una eademque Epistolæ formula plerumque usi sunt ad convocandos ejusdem ordinis Prælatos, ut Archiepiscopos; hujus rei exemplum habetur in Conciliis Lateranensi sub Innocentio III. & Viennensi sub Clemente V. In Labbæi Collectione habentur exempla epistolarum, quibus ad hæc convocanda Concilia usi sunt. In tertio Concilio Toletano ann. 589. Metropolitanus exemptus est cura mittendi Convocationis Epistolas ad suffraganeos suos, ubi Provinciæ Concilium cogendum esset, statutumque fuit, ut, antequam dimitteretur Concilium, indiceretur locus & tempus, quo se iterum congregare deberent. Eodem modo Concilia Constantiense & Basileense statuerunt, ut in fine cujusque Concilii Generalis, quod per decennium cogeretur, aliud Papa indiceret, adempta in futurum protrahendæ convocationis facultate. Peculiaris quædam agendi ratio servabatur in convocatione Nationalium Africæ Conciliorum. Episcopus Carthaginiensis scribebat ad Primates omnes convocationis Epistolas, quæ *Tractoria* dicebantur. Hi, lectis epistolis, cogebant Concilium Provinciale, in quo Episcoporum numerus Provinciæ tractui accommodatus eligebatur, ut Nationali Concilio interesset. *Tom. 11. Conc. col. 119. 1539. 1545.*

VI.

De sessione Episcoporum, &c.

Nonnullis in locis, ut in Africa, in Conciliis primas tenebant Episcopi ordinatione antiquiores; alibi Episcopi, qui digniores sedes occupabant. In Conciliis in Oriente habitis Presbyteri & Diaconi, absentium Prælatorum Procuratores, inter Episcopos tenebant eorum locum, quorum personas repræsentabant. Id probant subscriptiones duorum Conciliorum Generalium habitorum Nicææ, duorum Constantinopolitanorum, & Ephesini, & Calcedonensis. In occidente Presbyteri, qui Episcopos repræsentant, subscribunt separatim & extra ordinem Episcoporum, ut apparet in primo Arelatensi, aliisque bene multis. Legatis Papæ, licet tantum Presbyteris, vel Diaconis, semper concessum fuit, ut etiam in Occidente inter Episcopos locum haberent.

VII.

De Mitra Episcoporum & Abbatum.

Clemente IV. Papa, cum Episcopi indignarentur, Abbates, qui ferendæ Mitræ jus habebant, in Conciliis & Synodis a se ipsis nequaquam distingui, laudatus Pontifex, data Viterbii Bulla 19. Kal. Septemb. Pontificatus sui anno secundo, illud inter ipsos discriminis intulit, ut Abbates exempti deferrent in Conciliis mitras *aurifrigiatas*, sed nullis margaritis, nullo lapide pretioso, neque auro argentoque distinctas; non exempti vero deferrent mitras simplices, colore candido, nullo accedente opere phrygio; utrique alibi delaturi eas mitras, quas ipsis Pontifices concessissent. Ordo in Concilio Romano ann. 313. servatus, cum de Cæciliano Episcopo Carthaginiensi ageretur, in eo admodum insignis est, quod tres Galliæ Episcopi, qui ibi adfuerunt, primum post Papam, qui præerat, locum tenuerunt, quodque inter Italos, Episcopi Ostiensis & Prænestinus, licet Papæ suffraganei, nullam peculiarem sedem habuerunt.

VIII.

De ordine, quem quisque in Conciliis tenebat.

In Concilio Pisano Cardinales altius sedebant ad dexteram in Chori Cathedralis aditu; Episcopi & Abbates ad duo Navis latera, Legati Capitulorum & Monasteriorum inferius; Oratores, qui non erant Episcopi, & Doctores media area. Hujusmodi fere est ordo statutus a Campegio, qui Conciliis Generalibus præficit Papam, vel ejus Legatos, ac deinde collocat Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Generales Ordinum, & Capitulorum Legatos. Laudatus Auctor asserit, Romanorum Rege, nisi in Imperii societatem vocatus sit, Regem Galliæ priorem esse.

Clarius hæc explicentur: Præsides sublimi trono sedebant, Oratores pro suorum Principum dignitate & ipso loco distinguebantur; Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi primum locum tenent in quemdam velut circulum distributi pro antiquissima Ecclesiæ consuetudine. A tergo eorum Clerus secundi Ordinis sedet. Media Prælatorum corona exsurgit Tronus, in quo ex more antiquissimo SS. Evangeliorum liber collocatur. Patres Concilii Calcedonensis in eodem Trono cum Evangelio posuerunt Canonum Librum, ut ostenderent, omnia decidenda esse secundum Divini Verbi sanctitatem, severitatemque Canonum.

Consuetudo sanctorum Corpora in quibusdam Conciliis deferendi eo spectabat, ut his sanctissimis Conventibus venerationem conciliaret, eorumque mali-

maliniam comesceret, qui turbas excitare potuissent. Auctor Historiæ Concilii Charrau habiti sæculo sexto (Letaldus Monachus) narrat, delatas fuisse ad Concilium S. Juniani Reliquias. Sæculo sequenti ad Concilium Aturi delata sunt plurium sanctorum corpora, inter cætera corpus S. Bercharii, ut apparet ex Libro Miraculorum ejusdem Sancti. In Concilio Ansæ habito prope Lugdunum, sæculo undecimo, expositæ fuerunt Reliquiæ S. Hugonis, Monachi Augustodunensis. Et allatæ sunt & in alio Concilio; ut testatur Anonymus illius Vitæ Auctor.

Mabill. Sæc. IV. Bened. part. 2. p. 434.

Sæc. V. Bened. p. 104. n. 27. & 28.

I X.

De modo procedendi.

Modus, quo se gerebant in Hispaniæ Conciliis, describitur, vel potius præscribitur in Canon. 4. Concilii Toletani ann. 633. procul dubio ex antiqua traditione profectus. Summo mane jubebantur omnes exire ab Ecclesia (in Ecclesia enim plerumque Conventus habebantur) januæ omnes claudebantur, una excepta, ad quam Ostiarii omnes se recipiebant. Ingrediebantur Episcopi, tum Presbyteri, ac deinde Diaconi, qui interesse Concilio debebant, ejus plerumque Ecclesiæ, in qua habebatur. Admittebantur pariter Notarii, h. e. Clerici in exscribendo periti, qui Acta legerent, disputationesque in Acta redigerent. Episcopi sedebant in circulum, a tergo Presbyteri, Diaconi stabant. Silentio diu observato, Archidiaconus admonebat, ut se orationi darent; illico, omnibus humi stratis, Episcopus senior, conceptis precibus, Spiritum Sanctum invocabat, ut peccatorum veniam, justeque judicandi facultatem obtineret, neque pateretur, se vel largitione, vel præpotentia ab æquitate & justitia removeri. Diaconus legebat Evangelium, vel Canones: Metropolitanus autem Confratres suos hortabatur, ut amanter demisseque exciperent, quæ de illorum officio dicerentur; iidemque sententiam suam exponerent libere quidem, sed omni prorsus contentione remota.

Ita tres primi dies orando & exhortando transigebantur. Etiam nonnullis Laicis aditus dabatur, ut morum inde sibi exempla sumerent; iidem tamen dimittebantur, ubi ad disceptationes ventum erat. Archidiaconus sedebat ad januam, ut per eum Presbyter, vel Monachus, vel Laicus, si quid haberet; posset Concilio exponere. Rebus omnibus confectis, antequam Patres alio abirent, obsignabant, quæcumque statuerant vel ad Causas particulares, vel ad universam disciplinam pertinentia. Indicebatur dies Paschatis, isque, quo primum se congregare debebant. Concilio finem imponebant preces, quibus commissorum errorum veniam, conservationemque pacis & unitatis postulabant; Episcopi omnes sibi mutuo pacis osculum dabant, Metropolitanusque solemnem benedictionem impertiebatur.

X.

De ratione, qua dabantur suffragia.

Quod ad suffragia pertinet, id moris antiquitus obtinebat, ut quilibet Episcopus suum subscriberet; aliquando consilium ab aliquo Episcopo datum cæteri approbabant, dicentes: *Placet*.

Ante Concilium Constantiense suffragia numerabantur per capita: sed, quoniam in hoc Concilio Episcopi solius Italiæ Prælatos cæterarum nationum omnium numero valde excedebant, statutum fuit, ut Concilii Patres in quinque nationes distribuerentur, Italicam, Gallicam, Germanicam, Anglicam, & Hispanicam: ut negotia, de quibus deliberandum esset, expenderentur definirenturque suffragiorum pluralitate in qualibet natione: ut deinde ad Concilium delata suffragiorum item pluralitate in qualibet Natione confirmarentur. In Concilio Basileensi Prælati omnes in quatuor classes æqualiter distributi sunt, in quas æqualis, quoad fieri potuit, personarum numerus ex quolibet Ordine, & Natione conjectus est. Prima dicebatur Classis Fidei; secunda, Pacis; tertia, Reformationis; quarta, communium negotiorum. Quælibet Classis habebat Præsidem, Promotorem, & Ministros suos: congregabantur separatim ter in hebdomada, & deliberabant de rebus, quæ proponebantur. Earum quæque tres habebat Procuratores, qui coacti expendebant, & præparabant negotia, ad eam deinde classem remittentes, ad quam eorumdem cognitio pertinebat. Ubi hæc de iis deliberaverat, sententia, quæ potior fuerat, ad tres alias classes deferebatur, eaque ab omnibus, aut saltem a tribus classibus approbata ad generalem Conventum deferebatur, ubi Præses Concilii nomine concludebat suffragiorum classium pluralitatem sequutus; conclusio deinde publicabatur in solemni sessione, quæ in Principe Urbis Basileensis Ecclesia habebatur.

Concilii Ferrariensis initio quæsitum est, utrum per Nationes vel classes agi deberet; neque enim quidquam concludi poterat, si in Conventu generali suum quisque suffragium dedisset. Statutum fuit, ut Concilium in tres Ordines distribuatur, quorum primus Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos; alter Abbates, aliosque Regulares; tertius comprehendebat Ecclesiasticos, Doctores, eosque, qui dignitatem aliquam in Ecclesiis Cathedralibus haberent, tum in Theologia, & Jure Canonico & Civili, uti vocant, Licentiatos, adeo ut ratum conclusumque haberetur, in quod duo ex tribus Ordines convenirent. Sed nova exorta est controversia in Ferrariensi Græcorum Latinorumque Conventu. Græci observarunt, eos paucissimos numero esse, causaque profecto casuros, ubi in Concilio suffragiorum pluralitas attendatur. Postquam igitur demonstrarunt, Concilium hoc differre a præcedentibus, in quibus inter Græcam Latinamque Ecclesiam conveniebat, cum in hoc inter se discreparent, ita ut iidem & Judices, & Partes essent, illud proposuerunt, ut cujusque Ordinis suffragia non numerarentur juxta numerum personarum, ex quibus constabat, sed ut ex. gr. viginti Græcorum suffragia ducenta Latinorum æquarent. Contendit Imperator, ut Papa Græcorum propositionem probaret. Et sane in aliquibus cum illo convenit, sed Episcopos in eam studuit opinionem adducere, ut crederent, a Papa sibi fuisse concessum, quod petebant.

Tom. 13. Conc. col. 1162.

X I.

De ratione decidendi.

Quod ad decidendi rationem pertinet, illud primum animadvertendum est, antequam judicium aliquod ferretur de Scriptis, quæ vel recipienda, vel rejicienda proponebantur, ea conferri consuevisse cum definitionibus Conciliorum Generalium; hinc quintum Concilium Generale, secundum Constantinopolitanum nuncupatum, voluit institui comparationem Epistolæ Ibæ cum definitione Fidei a Concilio Calcedonensi facta, & cum Patrum Scriptis; voluit item considerari, quæcumque Hæretici Theodorus & Nestorius dixerant huic Epistolæ consona, atque ita loquutum est: Manifestum est, quomodo Concilia consueverunt approbare, quæ illis proposita fuerunt; siquidem, nulla ratione habita tantorum virorum (S. Cyrilli, & Pontificum Cælestini & Leonis) qui has litteras scripserant, non eas statim approbarunt, nullo facto examine, sed solummodo postquam cognoverunt, eas in omnibus convenire cum Patrum doctrina, quacum collatæ fuerunt.

Tom. 5. Conc. col. 541.

Quod legimus Sessione 12. Concilii sexti Generalis, aliam animadversionem nobis faciendam exhibet. Quælibet Sessio incipiebat a lectione Actorum præcedentis Sessionis. Constantinus Primicerius Notariorum Patriarchæ Constantinopolitani inquit: Scitis, quomodo Sessione ultima Imperator declaravit, sibi a Macario datas fuisse chartas, quas nondum legerat, easque vobis se esse missurum. Joannes Patricius & Quæstor ad januam est, quasdam secum chartas habens; sed antequam admitteretur, perlecta sunt, ut solet, Sessionis præcedentis Acta.

Tom. 6. Conc. col. 912.

Animadvertendum hoc loco est, verbum *Sessio* (juxta Horatium Justinianum in Præfatione sua ad secundam Partem Concilii Florentini) dici de qualibet Sessione, in qua judicium aliquod fertur, & aliquid deciditur: quælibet alia Sessio, in qua nihil concluditur, dicitur Colloquium, Conventus, græce *συνέλευσις*. Idem Auctor reprehendit

Matthæum Cariophylum, quod verbum hoc græcum latine verterit *Sessio*.

Notarii, de quibus dixi, eligebantur post publicatum Indictionis Actum. In quibusdam Conciliis quatuor Ministrorum genera occurrunt; primi appellantur *Consultores*, quorum erat Legatis in omnibus rebus præsto esse. Secundi, qui Notarii sunt, scriptis committunt, quæ in Concilio dicuntur, vel proponuntur, vel fiunt. Diximus alibi, cur in quibusdam Conciliis magnus Notariorum numerus reperiebatur. Tertii, qui Promotores sunt, curant, ut disciplina in Concilio præscripta observetur, transgressoresque persequuntur. Quarti dicuntur *Scrutatores*. Horum officium est, ut Patrum suffragia exquirant, ut in scripta referant, ut demum eadem deferant ad Consultores, a quibus numerentur.

In antiquis Conciliis Generalibus res excutiebantur in Sessionibus, quas deinde Notarii ad verbum describebant, ut observavimus. In Tridentino peculiares quædam statutæ sunt Congregationes, quæ res fundiius examinarent. Non possumus de hoc Concilio non magnifice sentire, si observemus, quanta quamque incredibili omnia diligentia & attentione decisa sint. Non hic de una, vel duabus quæstionibus agebatur. Cum impetus in Ecclesiam ab ultimis hæreticis undique factus esset, eo Patres adducti sunt, ut, quicquid ad Sacramenta spectabat, sedulo examinarent; ex ipsis Hæreticorum Libris extrahebantur propositiones, quæ invisæ suspectæque erant. Confecti inde Articuli in Doctorum virorum congregationibus exponebantur. Ab iis in utramque partem diu agitabantur, collectis, quæcumque vel in Scriptura, vel in Traditione huc pertinebant. Quæstiones Scholasticæ Scholasticorum disputationibus perpetuo relinquebantur. Postquam deprehensum fuisset, quinam erat, & fuerit in his Congregationibus Ecclesiæ sensus, Prælati varia Decreta instituebant, examinabantque; atque ubi inter ipsos de re tota convenisset, indicebatur publica Sessio, in qua privatim facta acceptatio publice repetebatur. Hæc saltem omnia observata sunt in Concilio Tridentino, ita ut proprie quidem non habeamus hujus Concilii Acta, quemadmodum habemus Acta antiquorum Conciliorum; sed solummodo Concilii consectaria. Cæterum Acta Romæ servantur in Castro S. Angeli.

X I I.

De peculiaribus nonnullorum Conciliorum clausulis.

In nonnullorum Conciliorum Decretis peculiares quædam clausulæ leguntur: hinc, quemadmodum Papa præfuit Concilio quarto Lateranensi ann. 1215. ita ejus omnia Decreta Papæ nomen præseferunt: nonnullis tamen adjecta fuit hæc clausula: *Cum approbatione Sancti Concilii*. Ea primum occurrit in Decretis Concilii tertii Lateranensis. Hæc autem clausula ostendit, Decreta ad fidem & Disciplinam Ecclesiasticam pertinentia tum demum plenam auctoritatem habere, cum approbantur a Concilio, a quo universa Ecclesia repræsentatur.

In Concilio Tridentino magna fuit disputatio de his verbis: *Repræsentans universam Ecclesiam*. Quæsitum est, utrum Concilium hunc sibi titulum adsciscere deberet: plures id fieri volebant: licet enim Concilium Tridentinum numero non æquasset Constantiense & Basileense, a quibus sumptus fuerat, existimatione tamen & auctoritate non erat ipsis inferius. Alii rejecerunt hæc verba tanquam nova & inusitata in primis Conciliis: præterea ajebant, verba *OEcumenicum & generale* æquivalere verbis, *repræsentans universam Ecclesiam*; postrema hæc posse turbas excitare; exemplum Concilii Basileensis pluribus de causis non esse adducendum; Constantiensi peculiarem fuisse causam, cur sumeret hunc titulum, quia scilicet cum ageretur de tollendo schismate, quod jamdiu Ecclesiam dilacerabat, dicendum erat, eam universam repræsentari a Concilio generali, cujus Decretis in unum iterum colligenda erat. Postremi hi, accedente Legatorum auctoritate, vicerunt.

X I I I.

De confirmatione Conciliorum.

Quod ad confirmationem attinet, ea inter Ecclesias Orientalem, & Occidentalem plerumque mutua erat, Occidentales Orientalium, Orientales Occidentalium Concilia confirmabant. Hinc in Epistola Episcoporum Orientis Sardicæ coactorum dicitur, Concilium Romæ habitum Novati tempore fuisse ab Orientalibus confirmatum. Hispani non receperunt Concilium sextum Oecumenicum, antequam serio examinaverint ejus Acta in decimo quarto Toletano Concilio ad hoc coacto; *Debemus*, inquiunt hujus Concilii Patres, examinare Acta, quæ Roma nobis missa fuerunt; siquidem juxta Canones cogendum est Concilium Generale, ubi agitur de reformanda fide, hoc est, non habebant tanquam Generale Concilium Constantinopolitanum, ad quod convocati non fuerant, licet satis magna essent Ecclesiæ pars; hic nolebant ejus decisiones sine examine recipere: sed, ubi eas contulerunt cum quatuor antiquis Conciliis, addunt: *Nos eas approbamus & recipimus cum veneratione tanquam illorum doctrinæ consonas*. Non loquuntur de quinto, in quo nihil decisum fuit ad fidem pertinens. Imperator Justinianus, ut Oriens Concilium quintum reciperet, ejus Acta Jerosolymam misit, ubi Episcopi Palæstinæ in Concilium coacti ea approbarunt, & voce scriptoque confirmarunt. Concilium hoc in Occidente oppugnatum, & a pluribus Ecclesiis rejectum, tanquam, damnatis tribus Capitibus, Concilii Calcedonensis auctoritatem imminuens, satis probat, confirmationem prorsus requiri: quin & Concilium septimum initio statim a Gallis rejectum fuit, eo quod, præter Papæ Legatos, nemo alius ex Ecclesiarum Occidentalium parte interfuerit, ejusque decisiones Gallorum consuetudini contrariæ extiterint. Quæ res aperte demonstrat, illud Gallis persuasum fuisse, præter Papæ auctoritatem etiam expressum insigniorum Ecclesiarum consensum ad hoc requiri, ut Concilium aliquod recipiatur. Carolus Magnus hæc eadem Acta in Angliam misit, sed ab Anglis rejecta fuere.

Conc. Labbè Tom. 6. col. 1281.

X I V.

Quantum Principes ad publicationem Conciliorum contulerint.

Imperatores, aliique Principes ad publicationem confirmationemque Conciliorum non mediocriter contulerunt. Constantino Magno satis fuit, omnia approbare, quæ in Concilio Niceno decisa fuerant, missis etiam in omnem Imperium litteris, quibus Concilium ratum habebat confirmabatque. Secundum Concilium generale CP. contendit ab Imperatore Theodosio Magno, ut confirmaretur, suæque Constitutiones promulgarentur, ut actum fuit, Theodosius Junior promulgari jussit Concilium Ephesinum; Imperator Marcianus confirmavit, promulgarique jussit Calcedonense; Justinianus secundum Constantinopolitanum. Sextum & septimum Concilia generalia pariter promulgata fuerunt Imperatorum Orientalium auctoritate. III. XII. XIII. & XVI. Concilia Toletana Hispanorum Regum Diplomatibus confirmata fuerunt: idque fuit in causa, cur Binius observaret, *Leges condere post acta Concilia, in eorum confirmationem, ab Imperatoribus Romanis Reges Gothorum accepisse*. Idem præstitere Reges Galliæ primæ secundæque stirpis. Gontramus confirmavit evulgarique jussit Canones secundi Concilii Matisconensis. Clotarius II. edicto confirmavit Concilium quintum Parisiense; Carolus Magnus Francfordiense, Concilia Rhemense, Turonense, Magontinum, Arelatense & Cabillonense sua eidem Decreta miserunt, ut prius approbata promulgari juberet. Ita Ludovicus Pius præstitit quod Concilium Aquisgranense, ejusque filii Lotharius & Ludovicus quod Parisiense. Concilia Meldense, Coloniense, & Valentinum Decretorum suorum confirmationem promulgationemque a Carolo Calvo petierunt. Mos hic non interiit cum sæculo nono, ut fortasse quis credat. Sequentibus sæculis Imperator Constantinus edicto confirmavit Concilium Constantinopoli sub Alexide Patriarcha habitum.

Tom. 5. Conc. col. 993.

Jus Græco-Romanum Leunclavii, p. 118.

Ibid. p. 121. & 134.

Ibid. p. 167. tum. Nicephorus Botoniates confirmavit Concilium sub Patriarcha Xiphilino celebratum. Alexis Comnenus pariter Concilium aliud sub eodem Xiphilino habitum. Manuel Comnenus lege lata confirmavit Decretum de Matrimoniis conditum in Synodo Constantinopolitana sub Patriarcha Sisinnio. Imperator Isaacus Angelus idipsum præstitit quoad Concilium suo tempore Constantinopoli habitum. *Ibid. p. 169.*

X V.

Quomodo terminantur Concilia.

Romæ, elata voce coram populo Conciliorum Acta legebantur. Ita actum est in Concilio Romano ann. 704. Finito autem Concilio ann. 769. Notarius, suggestu ascenso, ejus Acta elata voce legit. Tres pariter Episcopi suggestum adscenderunt, & anathema in Decretorum suorum transgressores pronunciarunt.

Tandem, rebus, quarum causa Concilia coacta fuerunt, prorsus confectis, decisisque, acclamationibus, gratiarumque actionibus concludebantur. Ita actum est in Concilio Calcedonensi & Constantinopolitano ann. 618. Ita a populo in Ecclesiis Thyatiræ & Constantinopolis. Ita a Papa Gelasio in Concilio Romano ann. 495. Ita in pluribus aliis Conciliis. Acclamationes hæ, quæ alias ex ingenti animorum lætitia proficiscebantur, in Concilio Tridentino solemnes fuerunt. Propositiones & responsiones data opera confectæ fuerunt a Cardinali Lotharingiæ, a quo etiam pronunciatæ fuerunt. Sed in hoc tamen erravit, quod in his acclamationibus non Galliæ Regem nominatim appellavit; atqui non ignorabat, nominatim acclamatum fuisse Imperatori in Concilio Calcedonensi, in tertio Constantinopolitano, & in secundo Nicæno; eo magis reprehendendus, quod sciebat, Galliam ob eandem causam adversus Bullam Convocationis Pii IV. graviter contestatam fuisse.

X V I.

De subscriptionibus Conciliorum.

Præses, declarato Concilio, dataque Patribus Apostolica benedictione, iisdem vetat sub pœna excommunicationis, ne alio discedant, antequam Decretis subscripserint. Pœna hæc intentata fuit a Canone *Si quis autem*, *dist.* 18. Secundi Concili Arelatensis. Varias harum subscriptionum formulas habemus, ut: *Subscripsi*, *collaudavi*, *annui*, *confirmavi*, *consignavi*, *consolidavi*, *firmavi*, *cum gaudio consensi*, *acquievi*, *confortavi*, *corroboravi*, *conclusi*, *consentiens subscripsi*, *concessi*, *propria manu confirmo*, *signo Crucis confirmo*, *libenter annuo*, *gratum habui*, *concedo*, *pro viribus assensum præbeo*. Observandum est, Sessionem quartam Concilii Constantinopolitani sub Mennade ann. 536. varie a Latinis, Græcis, Syrisque fuisse subscriptam. Primi latine, secundi græce, postremi numero quadraginta Syriace subscripsere.

Nimis longum esset, afferre hoc loco differentias, quæ in ordine Subscriptionum deprehenduntur; ego tantum afferam, quod in secundo Concilio Nicæno peractum est. Legati Papæ in primis Imperatorem & Imperatricem invitarunt, ut signarent. Patriarcha iis obtulit Librum, qui Concilii definitionem continebat, eosdem rogans, ut suas subscriptiones apponerent. Imperatrix Irene prima librum accepit, cumque a se subscriptum tradidit Imperatori Constantino filio suo, qui pariter subscripsit. Duo Papæ Adriani Legati, h. e. Petrus Archipresbyter Ecclesiæ Romanæ, & Petrus Presbyter, & Monasterii S. Sabæ Romæ Abbas, nominantur primi; tum Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, deinde Joannes & Thomas Legati, & Apostolicarum Orientis Sedium Vicarii; scilicet Joannes pro Patriarchis Theodoro Antiocheno, & Elia Jerosolymitano, & Thomas pro Politiano Patriarcha Alexandrino. Tandem habentur nomina Agapii Episcopi Cæsariensis in Cappadocia, Joannis Ephesini, Constantini ex *Constantia* in Cypro Insula, Nicolai Cyziceni, Euthymii Sardicensis, aliorumque. Numerantur 377. Episcopi, qui huic Concilio interfuerunt, omnes ex ditione Imperatoris Constantinopolis, Græciæ, Thraciæ, Natoliæ, Insularum Arcipelagi, Siciliæ, & Italiæ. Aderant pariter duo Imperatoris Legati ante Ecclesiæ Odeum sedentes; h. e. Petronax Exconsul Patricius, & Comes de *Obsequio*, & Joannes Apparitor Imperialis, & Militaris Quæstor. Aderant etiam plures Abbates & Monachi, qui non nominantur.

Salmon Concil.

X V I I.

Quædam Animadversiones de modo cogendi habendique Concilia in Hispania.

Simon exhibet Hispaniæ Synodos, & modum, quo illas ejus Regni Episcopi celebrant. Synodales Constitutiones suas condunt consensu eorum tantum, qui convocati sunt. Convocant autem per Legatos non solum Ecclesiasticos & Regulares, sed etiam Laicos Optimates, hac tamen differentia, quod hi tantummodo exhortantur, ut Synodo intersint, ne quicquam fiat, quod eorum rebus officiat. Ex Constitutionibus Synodalibus Diœcesis Malacensis Hispali impressis anno 1674. multa habentur de modo præparandi Concilia. Universus Clerus generatim Concilio interest per Legatos suos. Quatuor Legati intersunt pro Urbis Malacæ Ministris; quatuor item pro Presbyteris, aliisque ejusdem Urbis Ecclesiasticis, qui sacris ordinibus insigniti sunt. Quælibet urbs, & quodlibet oppidum suos pariter Legatos habent; alii duos, alii unum pro locorum natura. Præterea numerantur Judices, qui propositas controversias expendere debent. Horum plerique desumuntur ex Dignitatibus, Canonicis, & Doctoribus. Suus cuique adsignabatur locus, neque quisquam Synodo intervenit, nisi ante Secretario ostenderit, se interveniendi facultatem habere. Congregationes hæ & Sessiones, quæ in Ædibus Episcopalibus haberi debent per plures dies, jam designatæ sunt. Proponere quisque potest, quæ Diœcesi utilia esse judicaverit. Religiosi omnes, ne Jesuitis quidem exceptis, huic Synodo intersunt per Legatos suos, ne quid transigatur, quod illorum rebus officere possit. Hic nonnulli privati supplices libellos offerunt, alii contestantur. Cujusdam Ecclesiæ Beneficiarii obligationem detrectant, qua quolibet die celebranda ipsis erant Missa *del pueblo*. D' Alcala Castrorum præfectus petiit quamdam sibi decimam adsignari. Ejus petitionem Episcopus Synodi Judicibus examinandam tradidit.

Finitis sessionibus omnibus, in quibus Constitutiones Synodales perlectæ sunt, Synodi secretarius clamat elata voce: *Venerabiles Sacerdotes, placet ne vobis, ut omnes Constitutiones, quas audistis, & illustrissimus ac reverendissimus Dominus meus Episcopus in hac Synodo Diœcesana statuit & decrevit, statuta, decreta ac stabilita sint?* Omnes respondebant: *Placet*. In Præfatione Synodalibus hisce Constitutionibus præposita testatur Episcopus, se nihil decisisse, nisi omnibus ante perfecte cognitis, totaque Diœcesi ad hunc finem perlustrata. Addit, se confirmasse antiquas Constitutiones, novasque adjecisse, quod eas tempori magis convenire judicaverit; in reliquis studuisse, ut Juris Canonici regulis adhæreret. Hujus facti hanc rationem offert, quod Episcopi non solum instituti sunt, ut gregibus suis invigilent, sed etiam ut sanctos Canones fideliter observent & exequantur. Tandem, antequam Synodus prorsus concludatur, Episcopus hortatur eos, qui interfuerunt, ut conditas in ea Constitutiones servent; tum secretarius elata voce clamat: *Venerabiles Sacerdotes placetne vobis ad laudem & gloriam Dei omnipotentis ut hæc Sancta Synodus Diœcesana dimittatur & dissolvatur?* Respondent omnes: *Placet*. Quod ad nova statuta pertinet in hac Synodo condita, Malacæ Episcopus declarat, ea Constitutionibus Canonicis, tanquam fundamento, niti debere, atque inde suam omnem auctoritatem desumere.

Ad marginem Constitutionum harum Synodalium accuratissime notantur probationes. Ex quo non solum canonicæ regulæ generatim innotescunt, sed peculiariter etiam id, quod in Hispaniæ Ecclesiis obtinet; tum id, in quo illorum mores a nostris differunt.

CAPUT III.

Generales quædam observationes ad Conciliorum materiam pertinentes.

Etudes Monast.

QUemadmodum Concilia leguntur, ut inde dogmata, Disciplina, consuetudines, & Ecclesiæ Historia percipiantur, ita legenti multa animadvertenda sunt ad hæc varia capita pertinentia. P. Mabillonius, qui conficiendæ Collectionis modum indicavit, alias insuper proponit, quarum ope colligi possunt, quod in lectione se offerunt, ne infideli memoriæ concredita omnia prorsus evanescant.

Ut hæc via planior fiat, quædam animadvertam in nomina, titulos, inscriptiones, tempora, subscriptiones Conciliorum, aliorumque Ecclesiasticorum monumentorum; in ordinem Canonum seu Actorum Conciliorum, & in Manuscripta, ex quibus deducta sunt.

§. I.

Multa falso attributa in Collectionibus Conciliorum.

I. Credet fortasse quispiam, quæcumque habentur in impressis Conciliorum Collectionibus, ea eodem modo reperiri in Mss. & ordinem in utrisque observatum prorsus eundem esse; sed, si eas inter se comparet, facile intelliget, Editores Conciliorum plura de penu suo addidisse; in quo non semper res bene cecidit. Hinc P. Sirmondus, nominum similitudine deceptus, S. Leoni attribuit Epistolam Leonis Episcopi Bituricensis.

Conc. Gall. tom. I.

Antonius Augustinus putabat se posse reprehendere antiquos Canonistas Burchardum, Ivonem, & Gratianum, quod Concilio Arverniensi adscripserint Decretum, quo vetitum est ordinari Episcopum pro aliqua Ecclesia ante mortem ejus, qui eam administrat. Non poterat vir doctissimus sibi persuadere, decretum hoc esse Concilii Arverniensis, in cujus Canonibus nondum fuerat impressum; illud autem tribuebat quinto Aureliano, in quo habebatur; sed ejus animadversio deprehensa est non justa, cum prodiere Concilia Galliæ, auctore P. Sirmondo, in quibus laudatus Canon inter Canones secundi Concilii Arveniensis impressus est.

Sirmondus ipse in eundem fere errorem prolapsus est ex occasione Capitulorum, *& quæsitum*, & *sane quia*, quæ Gratianus attribuit Concilio Arveniensi sub Urbano II. Cum hæc Jesuita non reperisset inter Canones impressos hujus Concilii Claromontani; eadem autem legisset in Ms. inter Canones Concilii, quod Urbanus anno post Arverniense Nemausi habuit, in secundo Antirrhetico contra Petrum Aurelium animadvertit, horum Capitulorum inscriptionem falsam esse in Gratiano, legendumque: *ex Concilio Nemausensi*; id quod ipsemet addidit in Exemplari Gratiani impresso. Atqui compertum est, ut deinde observavit Cossartius, duos hosce Canones pertinere ad Concilium Claromontanum, sub cujus nomine habentur in antiquo Codice Monasterii Anianensis, unde ea Baluzius transtulit in Additiones suas lib. 6. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*.

Tom. 10. Conc. col. 590.

I I.

Diversa nomina eidem Concilio attributa.

Unum idemque Concilium pluribus locis habetur sub diversis nominibus; ex. gr. quod P. d'Achery in Notis ad Vitam Lanfranchi, & P. Lupus in Parte quarta Commentarii sui appellant *Andegavense*, Labbæus in Collectione sua vocat *Turonense*. Labbæus item appellat *Aragonense* Concilium, quod, juxta Cardinalem Aguirrium & Blancam alibi dicitur *Pinnatense*. Concilium *Magalonense* dictum, in Collectione Conc. Galli a Sirmondo vocatur *Concilium apud Tuncarias*. Baluzius vocat tantummodo *Tulugiense*, quod Labbæus *Concilium Helenense in prato Julugiense*. Hæc exempla do, ne unice amplectamur nomen, quod Concilium habet in Collectione aliqua; sed ut observemus, utrum alio nomine alibi appelletur.

Tom. 6. Conc. col. 1173.

De concord. Sacerd. & Imp. p. 250.

Et Marc. Hisp. l. 4. p. 444.

Tom. 9. Conc. col. 1249.

I I I.

Sunt quædam Concilia, quorum Mss. vel non extant, vel non cognoscuntur.

Scire præstat, quænam sint Acta ex Mss. educta; quænam Mss. ex quibus educta sunt, & utrum hæc Mss. adhuc extent: neque enim credendum est, in Mss. cognitis haberi, quæcumque legimus in impressis Conciliorum Collectionibus. In Collectione Surii habetur Concilium Coloniæ habitum ann. 346. Ex hac editione illud Sirmondus dedit, nuspiam alibi illius Exemplar Ms. reperiens.

Tom. I. p. 606.

In Mss. & in impressis desunt Opuscula, quæ ad Concilia pertinent. Ex. gr. non habemus Epistolam Concilii Arelatensis, cui Constantinus Imperator responsum dedit ita incipiens: *Æterna & Religiosa*. Utilis admodum fuisset peculiaris enumeratio Conciliorum, quorum nulla nobis Acta supersunt, & monumentorum amissorum, quæ Conciliorum pars erant.

Concil. Labbe tom. I. col. 1430.

Animadvertendum est, utrum Mss. quibus Conciliorum Acta continentur, antiqua sint, an recentia: utrum accurate conscripta fuerint: utrum omnia, an aliqua solummodo eorum, quæ de quolibet Concilio habemus, ex primis extracta fuerint; sunt enim nonnulla Mss. quæ nonnisi aliqua quorumdam Conciliorum Decreta continent. Hinc vigintiquinque postremi Agatensis Concilii Canones in pluribus antiquis Exemplaribus desunt.

I V.

Multis sæpe Mss. opus est, ut unum Concilium cognoscatur.

P. Sirmondus observat, in uno eodemque Mss. perraro haberi omnia ad Concilium aliquod penitus cognoscendum necessaria; si Exemplar aliquod Consulis nomen contineat, aliud Indictionem, aliud diem, hoc mensem, illud annum exhibere. In quibusdam Mss. reperiuntur subscriptiones Episcoporum, sed sine urbium Episcopalium nominibus; in aliis & Episcoporum, & Episcopalium urbium nomina habentur.

V.

Non semper inhærendum est ordini a Mss. servato.

Non semper inhærendum est ordini, quem Concilia habeat in Mss. licet antiquis; is enim aliquando anachronismos parit. Extant indicia, quorum ope suo ordine collocari possunt antiqua Ecclesiastica Monumenta, ut Consulum anni, &c. Hac ratione & via cognitum est, Anathematismos S. Prosperi eductos ex Capitulis S. Augustini adversus Manichæos, Concilio Carpentoratis priores esse, quamvis in antiquo Ecclesiæ Lugdunensis Mss. post hoc Concilium afferantur.

§. I I.

Diversi tituli dati Opusculis ad Concilia spectantibus.

I. Datis quibusdam observationibus in Mss. quibus Conciliorum Decreta continentur, aliæ quædam faciendæ sunt in varias cujusque Monumenti partes, cujusmodi est titulus, inscriptio, ratio dierum, & subscriptiones, ne quid scitu dignum omittatur.

Non omnia Concilia *Concilii* nomen in Mss. habent. Secundum Arausicanum ann. 529. habitum in Mss. Lugdunensi inscribitur: *Constitutio Episcoporum in civitate Arausicana de gratia & libero Arbitrio*. Quædam opuscula in diversis Mss. varios titulos præferunt; hinc Epistola a Labbæo allata hoc titulo: *Epistola Episcoporum Africæ quam Leporii libello miserunt ad Episcopos Galliæ*, in Leodiensi Mss. inscribitur: *Epistola Aurelii, Augustini, Florentii & Secundini ad consacerdotes Proculum & Eglinium de quodam Leporio* &c. Epistola Innocentii ab eodem Labbæo allata juxta nonnulla Mss. ad Concilium Tolosanum, juxta alia ad Toletanum conscripta fuit.

Tom. 2. col. 1676.

Tom. 2. col. 1279.

I I.

Inscripti Conciliorum dies, anni Pontificum Rom. & Regum Galliæ.

Quamvis Pontificum anni signentur in inscriptis diebus Conciliorum Galliæ ex editione P. Sirmondi, inde tamen non sequitur, Collectorem hunc eos reperisse in horum Conciliorum Mss. non aliæ adhibebantur epochæ, præter Regum Galliæ

annos,

annos, ut animadvertit du-Puy: Id optime probant antiqua Mss. & primæ inde confectæ editiones. Sirmondus igitur Pontificum annos ideo adjecit, ut historiam magis illustraret.

III.

Consulatus. Honoratus Episcopus Bituricensis, subscribens Arverniensi Concilio ann. 535. habito, aperte notat, id factum fuisse sexto Idus Novembris, *post Consulatum Paulini junioris*, anno primo post Consulatum Paulini, hujus nominis secundi Consulis. Id autem eo contigit, quod, Italia bellis afflicta, nulli fiere Consules in Occidente post ann. 634. quo Paulinus secundus hanc dignitatem habuit usque ad ann. 539. Hinc annus 535. signabatur his verbis: *Post consulatum Paulini junioris*; annus vero 536. & sequentes his: *Iterum, tertio, quarto, post Consulatum Paulini junioris*.

IV.

Divisio Canonum. In legendis Conciliis ordini & divisioni Canonum advertendum est. Jam observavimus, ordinem duorum priorum Canonum primi Arausicani Concilii vitiosum esse, primumque hujus Concilii Canonem habendum illum, qui in Collectionibus secundus est, secundumque, qui primus. Testatur Sirmondus, decimum septimum Canonem Concilii primi Arelatensis ann. 314. partem esse decimi sexti in duobus Mss. Rhemensi sc. & Castri Bagaudarum prope Parisios, quibus magis standum est, quam Impressis, & Collectionibus Ivonis & Gratiani; præterea in Concilio Vasionis ann. 442. Canonem ultimum ita incipientem, *Sane si quis*, non esse sejungendum a præcedenti, a quo non distinguitur neque in Mss. Lugdunensi, neque in Mss. Castri Bagaudarum; tandem in Concilio Andegavensi ann. 453. verba, *Tum si quid*, quæ in Impressis & in aliquibus Mss. quarti Canonis pars sunt, ab eo sejungenda esse, & cum sequenti Canone conjungenda.

V.

Ordo subscriptionum. In Mss. quorumdam Conciliorum exemplaribus, ut primi & tertii Aureliani, secundi Parisiensis, & secundi Matisconensis, subscriptiones Episcoporum ordine alphabetico dispositæ sunt; quod nullum habet antiquum Mss. juxta Sirmondum. Cum Episcopi scribendi artem nesciebant, alius pro illis Conciliorum Decretis subscribebat: hinc in Conventu Carthaginiensi Quintus subscripsit *pro Pan-lino litteras nesciente*. Inde tamen non sequitur, eos fuisse indoctos: siquidem Carolus Magnus, qui litteras impense diligebat, licet omnem contentionem adhibuerit, numquam tamen consequi potuit, ut characteres effingeret. *Conc. tom. 2. col. 1385.*

VI.

Documenta, quæ duci possunt ex variis argumentorum generibus, eorumque discussione. Argumenta, quæ in Conciliis pertractata, & ratio, qua pertractata sunt, proprium nobis patefaciunt cujusque Nationis ingenium, apud quam habita fuerunt. Hinc in Conciliis Hiberniæ Nationis deprehenditur indoles & consuetudo, qua via & ratione res penitus rimatur & explanat, &, ut recens quidam Auctor egregie dicit, ratiocinationis inductionisque ex principio semel statuta consequentia longe lateque derivat. Hinc iis religio est, observare ad litteram præceptum illud Apostolicum: *Abstinere sanguine & carnibus suffocatis*. Hinc illæ ab Episcopis cautiones adhibitæ, ut pericula evitent, & conscientias in tuto constituant. Similia fere observari possunt quoad alias Nationes.

VII.

Multiplex Canonum citandorum ratio. Animadvertendum est, Gratianum citare Canones modo juxta versionem Isidori, modo juxta versionem Dionysii Exigui. Concilia Hispaniæ, ut duodecimum Toletanum, citant Canones Græcos, & Canones Conciliorum in Africa habitorum juxta Isidori, non Dionysii methodum. Quædam Synodi in Galliis Dionysii tempore habitæ citant Canones Conciliorum Nicæni & Laodiceni, non juxta ejus versionem, quæ nondum extabat, sed juxta aliam antiquiorem, quæ tunc temporis in ea regione obtinebat.

CAPUT IV.

Nonnulla iis observanda, qui Conciliorum Collectiones utiliter legere, atque inde proficere cupiunt.

QUI Conciliorum lectionem aggrediuntur, in id maxime intendere debent, ut ad hasce sanctissimas regulas vitam moresque suos dirigant & componant. Si suam quisque vivendi rationem exigat ad Leges, sacrasque Constitutiones, quas Concilia continent, facile conveniet cum Cardinali Aguirrio, qui Dissertationes & Notas in Hispaniæ Concilia dedit. Cum Concilia leguntur, inquit ille, in iisque deprehenditur vitæ innocentia, severitas disciplinæ, pœnitentiæ rigor, & Religionis divinique cultus integritas & sanctimonia, quæ tunc inter Christianos, & præsertim Clericos emicabant ecquis erit, qui, facta cum præsenti rerum statu comparatione, non acerbe doleat, graviterque ingemiscat? Ecquis non summa animi contentione enitatur, ut scintillulam aliquam in se ipso excitet ejus ignis, quo Christiani omnes multorum sæculorum spatio conflagrarunt? Hinc Christianus, præsertim vero Ecclesiasticus, qui ex officio suo legere & callere Conciliorum Canones tenetur, debet procul dubio ad hanc se lectionem precibus & orationibus comparare.

Qui ex Conciliorum lectione aliquam percipere utilitatem vult, debet Conciliorum ipsorum mentem & consilium sequi. Hac via & ratione distinguet etiam Canones abrogatos ab iis, qui adhuc vigent. Si contingat, aliquam Ecclesiæ Legem, vel Pastorum incuria, vel Christianorum repugnantia, non amplius observari, num idcirco abrogata censebitur? Minime. Si enim maneat ratio eadem, inquit S. Thomas. propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit. Cum Lutheri hæresis Germaniam aliaque regna occupavit, quamvis quæ Clericis & viris Ecclesiasticis sancita fuerunt, fere ubique ignorata parum observarentur, Concilii tamen Tridentini Patres non idcirco in desuetudinem abiisse putarunt; quin iidem Ordinariis mandarunt, ut, si qua intermissa essent, *ea quamprimum in usum revocarent, & ab omnibus accurate custodiri studerent, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque*. *1. 2. qu. 97. art. 3. ad 2.* *Sess. 22. de Reform. c. 1.*

Sunt sane occasiones quædam, in quibus Canones non eo stricto jure, quo concepti sunt, accipi debent; tunc vero vis legis, non verba attendenda sunt. *Non debet*, inquit S. Cælestinus Papa, *aliquis verba considerare, sed intentionem ac voluntatem: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Hac regula multa ad mores referri poterunt, quæ primo aspectu videntur nullo modo posse referri, nec, nisi ἀδιάφορα, continere. Ejusmodi sunt ex. gr. Canones, qui Ecclesiasticis vetant, ne Fidejussores, Negotiatores, Curatores, Tutoresve sint; ejusmodi, qui eosdem militiæ onere liberant; ejusmodi, qui vetant, servum, non consentiente Domino, ordinari, qui decimas moderantur, qui Ecclesiasticos a publicis vectigalibus eximunt, qui eisdem interdicunt, ne nuptias contrahant, ne arma deferant, ne eas causas cognoscendas suscipiant, in quibus de hominum vita agitur, aliique pœne innumeri. Qui horum Canonum causas rationesque diligenter introspicient, magnam de statu Ecclesiastico sibi opinionem excitabunt, & cum sanctis iis Legislatoribus, Ecclesiæque Patribus omnino sentient. *Apud Grat. 22. qu. 5. c. Humanæ.*

Qui Conciliis, eorumque Decretis honor deferri debet, non obstat, quominus, quod principale est ab accessorio distinguatur, quodque mores afficit

ficit ab eo, quod ad externam tantum disciplinam pertinet. Laudabile certe est observare, quæ præscripta sunt, quoad ritus & cæremonias, retenta Diœcesum consuetudine: sed laudabilius, nihil eorum negligere, quæ morum candorem & sanctitatem afficiunt. Pro varietate rerum, quæ in Canonibus pertractantur, de earumdem momentis judicari oportet.

Extant nonnulla Concilia, quæ delectus & præstantia eorum, ex quibus constabant, magnopere nobis commendat. In Conciliis quatuor vel quinque priorum sæculorum deprehenditur, quantumcumque doctrinæ, sanctitatis, ardorisque Ecclesiæ nascenti inerat. Prima Antiochenum, Carthaginiense, Toletanum, & Aurelianum eorum animis, qui ea diligenter legunt, sensum quemdam sacræ antiquitatis injiciunt, hominumque attentionem magis, quam posteriorum sæculorum Synodi sibi conciliant. Ita observat Agobardus l. adv. Legem Gundobardi t. 1. p. 119. & de Dispens. p. 289.

Conciliorum decisiones ex numero eorum, qui Conciliis interfuerunt, cæteris paribus, venerationе digniores fiunt. „ Quod per universæ Ecclesiæ „ statuta firmatum est, vel unius Episcopi aucto„ ritati, vel unius Provinciæ Concilio præferen„ dum est . . quis nesciat . . . Ipsa plenaria sæpe „ priora posterioribus emendari cum aliquo expe„ rimento verum, aperitur quod clausum erat, & „ cognoscitur quod latebat; sine ullo typo sacri„ legæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogan„ tiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum „ sancta humilitate, cum pace catholica, cum „ charitate christiana. Si autem Concilium ejus „ (loquitur de Concilio Carthaginiensi pro S. Cy„ priano) attenditur, huic est universæ Ecclesiæ „ posterius Concilium præponendum . . . nam & „ Concilia posteriora prioribus apud posteros præ„ ponuntur, & universum partibus semper jure „ optimo præponitur. “ Ejusmodi est Ecclesiasticæ Disciplinæ ordo, a S. Augustino statutus.

Lib. 2. de Bapt. cont. Donat. c. 3. & 5.

Canones in diversis Conciliis renovati plerumque habendi sunt tanquam utiliores. Quis dubitat, quin Leges & Constitutiones, quæ initio statim pro quibusdam tantum Ecclesiis conditæ, mox, universali accedente approbatione, tanquam generales quædam regulæ evaserunt, firmis, perpetuisque in Ecclesia legibus æquiparandæ sint? Ejusmodi sunt plures Canones Conciliorum Laodiceni, Carthaginiensis, Antiocheni, & Aureliani.

Ratio etiam habenda est Canonum, qui Codicibus, vel Ecclesiarum Collectionibus inserti sunt. Ecclesiæ, quæ eos sibi inde adsciverunt, eosdem aliquo modo distinxerunt ab aliis Canonibus, qui in hosce Codices illati non sunt; eorum utilitas apparet ex diuturnitate temporis, quo observati fuere, quove hæ Collectiones in usu fuerunt. In harum Collectionum numerum referri debet Gratiani Decretum, quod, si quædam minus accurata excipias, Juris Canonici scientiam funditus continet, magnæque est utilitatis, tum varietate rerum, tum ordine & methodo, quam observat, tum eo etiam, quod uno obtutu legentibus repræsentat, quidquid pulchri in antiqua Ecclesiastica disciplina continetur in quædam capita redactum: Non eadem dici possunt de Decretalibus Gregorii IX. quæ non eandem cum Conciliorum scientia affinitatem habent; neque de Sexto, qui non ejusdem cum aliis Decretalibus auctoritatis est. Non hic ego dicam, qua isthæc animi provisione legenda sint. Tantummodo animadvertam, illud fuisse magnopere optandum, ut omnes Codicum Conciliorumque Canones inter se collati fuissent: inde enim constaret, quinam ex iis horum Codicum partem constituant, quinam in Conciliis recepti fuerint, vel OEcumenicis, vel iis, quæ majoris auctoritatis sunt; tum quoties fuerint, quibusque in locis renovati.

Qui Concilia legit, debet etiam rationem habere temporis, locorum, personarum, causarumque, propter quas coacta fuere; alioquin eo aliquando fortasse deveniat, ut Concilia contrarietatis accuset. Hæc sane est Juris regula, sanctorum Patrum auctoritate confirmata, ut *Capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore consideranda sint . . . ideo in erroris labyrinthum nonnulli impingunt, quod ante judicant, quam intelligant*. Hoc S. Isidori Hispalensis effatum S. Gregorius hac ratione confirmat, quod *Regulæ SS. Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio, instante necessitate, traditæ sunt*. Non est igitur mirandum, si non semper observati sunt Canones Apostolici, & antiquæ Regulæ, quæ vetabant; ne Neophyti ordinarentur, duoque Episcopi in una eademque Ecclesia collocarentur. Locorum diversitas sæpe disciplinæ varietatem inducebat. Plena est Historia Ecclesiastica ejusmodi consuetudinibus, quæ locales appellantur, quod in aliquibus tantum locis obtinuerunt. Ita varia variis temporibus concessa fuere. Tunc vero Pontifices & Episcopi satis se habere causæ putarunt, cur a communi jure liberarent.

Canones, qui mores vel dogmata afficiunt, non omnes æque clari apertique sunt. Vera Ecclesiæ fides, & mores ex Canonibus eruenda est meridiana luce clarioribus, non autem ex iis, qui verborum obscuritate, & ambiguitate laborant.

Ecclesiæ doctrina de Clericorum matrimonio non est petenda ex sexto Apostolorum Canone tam varie a Græcis Latinisque explicato. Sed & doctrina de cultu Angelorum ab aliis potius, quam a Laodiceno Canone petenda est. Neque, quid Ecclesia credat de Imaginibus, ex solo Francofordiensi Concilio judicari oportet. Vocabulum *consubstantialis* a Concilio Antiocheno ex sensu Pauli Samosateni rejectum, a Nicæno recipitur eo sensu, quem vere habet. Nunquam profecto quæstiones, & proposita argumenta probe intelligas, nunquam veram verborum, quam tunc habebant, significationem percipias, nisi lectionem SS. Patrum & Historiæ Ecclesiasticæ cum Conciliorum lectione conjungas. Qui de *Persona* intelligeret explicaretque loca, in quibus Patres vocabulum *hypostasis* adhibuerunt, prorsus recederet ab eo sensu, quem illi indiderunt Patres ante Concilium Nicænum, Nicænique ipsi: utrique enim *hypostasis* verbo nihil aliud, quam substantiam intellexerunt: raro adhibebatur ad *Personam* & proprietatem numericam significandam. Patres Concilii Constantinopolitani non dubitarunt Imaginis nomen usurpare, etiam cum de Eucharistia ageretur. Si nostris temporibus usurpetur, periculum esset, ne inde eo abutendi ansam Protestantes arriperent. Contra vero, vocabula quædam extant, quæ antiquitus omnino non adhibebantur, ut vocabulum *Transubstantiationis*, præsertim ante nonum & decimum sæculum. Nihilominus usu receptum est, ad exprimendum Ecclesiæ dogma de mutatione panis in Christi Corpus, & vini in ejus Sanguinem. Verbis utimur ad res significandas; ubi de rebus convenit, molesta est omnis de verbis disputatio.

Quod ad varias consuetudines attinet; legendæ sunt Regulæ, quæ in Tractatu de Patrum lectione habentur. Earum nonnullæ a Judæis & Paganis ortum habent. Eædem tamen cum & in nostris Conciliis memorentur, mirari subit, cur his Græci offendantur. Loquor de unctionibus, aspersionibus, aquis lustralibus, azymis, exorcismis, purificationibus, aliisque, quæ omnia, exceptis observationibus legalibus prorsus ab Ecclesia removendis, licet ortum suum a Paganis Judæisque ducant, non idcirco tamen indigna sunt, quæ locum etiam inter Christianos obtineant; ut sentiunt Vicecomes, & Cardinales Baronius & Bona. Sane Ecclesia & quodammodo expurgavit, ex quo iis usa est, Catholicique, qui iis pariter in suis Festis vel cæremoniis utuntur, omni culpa carent. Qui Concilia legunt, oportet, se quodammodo transferant in sæcula anteacta, Populorum mores sibi ante oculos ponant, quamdam sibi imaginem exhibeant legum etiam Civilium, quibus politica rerum administratio stabat. Ecclesia se jam tunc ad Leges imperiales accommodabat. Imperatores, adhuc Paganismi tenebris occupati, administrabant, quicquid ad Commercium, ad Privatorum bona, ad Imperii utilitatem pertinebat; eorum præscriptis primi Christiani putabant sibi esse obtemperandum. Cum enim ipsis cum Paganis vivendum esset, non poterant facere, quin in Judiciis,

ciis, in communium negotiorum tractatione, in ratione demum vitæ civilis Constitutiones Legesque Romanas sequerentur. Hinc factum est, ut multa perferre debuerint, usque dum certi aliquid de fœnoribus decretum fuit, aperteque vetitum conjugatis, qui se invicem adulterii causa separabant, ne ad secunda vota transirent. Ecclesiæ mente ab Imperatoribus semel percepta, absurda omnia sublata sunt, pravæque consuetudines sensim evanuerunt.

Observandum etiam est, quam late patere debeant Constitutiones pro quibusdam tantum peculiaribus Ecclesiis conditæ. Hinc, quamvis in Conciliis Carthaginiensibus, pro Africæ tantum Ecclesiis, præscriptum fuerit, ut jejuni communicent, & Missam celebrent, id tamen non obstat, quominus alibi etiam post comestionem communicent. Eodem modo quæ statuta sunt quoad capillos, & barbam in Africæ Conciliis, huic Ecclesiæ probabiliter peculiare erat: porro contra historiæ varietatem peccat, qui legem aliquam ultra fines, quibus detinebatur, protendit.

Regulæ externæ disciplinæ in Conciliis præscriptæ non observandæ sunt, nisi quatenus possunt convenire cum consuetudine, cum personis, quibuscum vivendum est, cum tempore locoque, quo degitur; siquidem singularis vivendi ratio periculosa est. Ne modus igitur excedatur, Canones conferendi sunt cum eo Jure, cui propiores sunt, sive illud sit naturale, sive divinum, sive tantum humanum. Leges magis vel minus obligant, quo propius ad hæc Jura accedunt, vel longius ab iisdem recedunt. Qui veterem disciplinam ex hodiernis moribus judicat, is sensum suum sequitur, tanquam unicam judiciorum suorum normam, & in errorem prolabitur eorum, qui nihil comprehendunt, nisi ad ea referant, quæ suismet oculis subjecta sunt: *Consuetudo cernendi est modus intelligendi*, inquit S. Gregorius. Plerique hominum, inquit hujus sæculi Auctor, sibi persuadent, res in Ecclesia eodem semper, quo nunc sunt, in statu fuisse; iidemque, qui antiquam disciplinam nunquam probe consideraruntt, omnia in Ecclesia ad præsentem nostrorum temporum consuetudinem accommodanda, esse censent. Difficile sane quis sibi persuadeat, res aliter alias sese habuisse: sed, qui doctrina & rerum experientia pollent, optime intelligunt, *Veteris Ecclesiæ mores ex præsentibus æstimandos non esse*. „ Nam, pergit idem Cardinalis Bona, de sacris Ecclesiæ ritibus eorumque veneranda antiquitate, illi procul dubio male merentur qui priscos mores, præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterem disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil unquam ab his usibus diversum fuerit, quos a parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti comparantes, & si forte in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt & nutant, vel inconsulto respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes, quidquid a suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit ut in maximos errores, inque rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirum illorum causas & fundamenta ac ipsasmet definitiones ignorant, quas bene percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ disciplinæ in mente habeat. “

Rer. Liturg. Tom. I. c. I.

In studiis pertractandis, inquit etiam P. Lupus, sibi cavendum est a consuetudine Scholasticorum, qui abstractis & metaphysicis disputationibus se totos dantes, sanctos Canones negligunt. „ Quid dicam, inquit ille, de Doctoribus Scholasticis? Palam lucet negligi ab illis antiquos Canones, & raro hinc inde ipsorum disputationibus insertos, non pro digno & vero tractari &c. Ex quo antiquorum canonum & intelligendorum & observandorum cura apud nos cæpit tepescere, irrepere in scholas cæpit subtiliter disputandi & probabiliter opinandi licentiosa, cum prurigine & sine fræno libertas. E scholis in Ecclesiæ ambones, & hinc in fidelis populi mores transiit; atque ita purum avitæ moralis præsertim Theologiæ vinum, canoso humanæ per peccatum obscuratæ rationis aqua miscuit, & lucidum evangelicæ vitæ aurum vertit in scoriam multæ corruptionis. Patrum cordibus in filios reducendis nulla via compendiosior, quam reditus, verum sale conditus, ad antiquos Canones. “

Praef. in Conc. Tom. I.

„ Et quidem veteres . . . scholæ Doctores cum summa ingenia scholæ subtilitatibus devovissent, parum fuere in Synodorum ac Patrum lectione versati, Hinc eruditionis defectu, quasdam opiniones obstrusere, a quibus antiquioris Ecclesiæ magistri longius distarunt. “ Ita queritur doctissimus Cardinalis Norisius.

Vind. August. cap. 3. §.

Parum firma fundamenta jacit, qui posteriorum temporum Conciliis unice inhæret, eo quod ista contineant, quidquid in antiquis continetur, & quidquid etiam nostris temporibus in usu est. Nihil hodie habemus, quod ad puram simplicemque scriptorum priorum sæculorum pulchritudinem accedat. Magna inest hisce Conciliis gravitas, & majestas, quam nos vix assequimur. Possunt quidem & medii ævi ultimorumque temporum Concilia legentibus utilia esse: non possunt tamen cum primis conferri, quin maximum inter illa discrimen se prodat. Non inutile est percurrere sæcula omnia, & Conventus singulis sæculis habitos, ut qualis quisque fuit, exhibeatur. Licet enim Concilia sint, quæ temporum sapiunt barbariem ruditatemque, in quam bella, irruptiones, & inde consequuta mala & incommoda demiserunt, non tamen offendi oportet vel stylo, quo conscripta sunt, vel rebus, quas pertractant. In his habentur Canones de Interdictis, de Excommunicationibus, Beneficiis, jurisdictione externa Episcoporum, de decimis, patronatibus, bonis Ecclesiæ, censuris, Jurisprudentia Ecclesiastica; argumenta arida, injucunda, & moribus parum utilia; non tamen negligenda, modo ne in ea tantummodo incumbamus. Vidimus scientiam Decretalium Jurisque novi Conciliorum scientiæ prævaluisse. Universitates in Italia & alibi institutæ post sæculum decimum secundum, eos fere solos protulerunt, qui rem beneficiariam, qui Judicia, qui Decimas funditus scirent. Pauci admodum prodiere in generalium Canonum scientia versati, ut non injuria dixerint Græci, in Ecclesia Latina *nullos reperiri Canonistas, sed multos Decretalistas*. Et sane, nostri Auctores ipsi fassi sunt, ex quo Decretales in Occidente prodierunt, Conciliorum studia admodum deferbuisse: dejecto jure antiquo, extulit se judiciarius ordo: nec quidquam fere aliud perceptum est, quam res Beneficiaria. Sed *utinam*, inquir Vanespen, *nec hodie in Academiis par esset dolendi ratio, dum fere nihil in Canonum scolis auditur quam ad lites causasque forenses decidendas spectans*.

Marca de Concord. l. 3. c. 6. n. 4. 5. Tract. hist. Can. Part. 10. c. 1. Sess. 4.

Saltem admonendum est, harum rerum studium non esse prorsus necessarium; parum enim utilitatis habet. Satis igitur est, leviter percurrere Concilia, quæ de his tractant: immorari autem iis, quæ habita sunt sex vel septem prioribus sæculis, Codicique, ut dicebatur, Ecclesiæ universalis, h. e. Canonibus Conciliorum Generalium & Particularium a duabus Ecclesiis receptis & confirmatis. His necessario addenda est Concilii Tridentini Lectio. In hoc enim reperientur decisiones certiores, quam in præcedentibus; sententiæ & doctrinæ Patrum aliorumque Conciliorum explicationes clarioresque; vocabula propria, veroque eorum sensu usurpata; disciplina, quæ & nostris temporibus magis accommodata est, & nobis priora illa sæcula sanctitate & vigore quodammodo repræsentat. Licet illud in Gallia receptum non sit, dignum tamen est, quod recipiatur. Addiscendæ sunt pariter controversiæ, quæ nos a Græcis schismaticis sejungunt: tum quid utrinque actum est ad conciliationem. Hinc legendum est Concilium Florentinum, ejusque Historia, quæ exhibet statum tum temporis duarum Ecclesiarum, tum ea, in quibus convenerunt, de numero Sacramentorum, de Azymis, de Purgatorio. Lectio hæc conjuncta cum lectione quorumdam Græcorum Auctorum, qui de hac Ecclesia tractarunt, omnino necessaria est.

Jam

Serm. 39. in Cantica c. 1. Jam vero hæc omnia perdiscenda, ut S. Bernardi verbis utar, *eo ordine, ut id prius, quod maturius ad salutem, eo studio, ut id ardentius, quod vehementius ad amorem, eo demum fine, ut non inanem gloriam aut curiositatem aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam, vel proximi*. Hinc cum eum in studiis suis plerumque Ecclesiastici finem proponant, ut inde vel ad Dei verbum prædicandum, vel ad Libros conficiendos, vel ad animas dirigendas se comparent, cumque hæc ad utilitatem publicam omnia referantur, quilibet etiam potest in hoc studiorum genere ista sibi, tanquam legitimum finem, proponere.

Multa etiam inde trahere in suam quisque utilitatem potest; plena sunt enim Concilia doctrinis certissimis, plena regulis firmissimis, plena exemplis splendidissimis. Hæc serio legens viam salutis tuto invenias, & his salutaribus divinisque præceptis obtemperans animæ tuæ perfectionem inducas. Sed qui secum animo reputet ea tantum bona, quæ ex Concilio Tridentino profecta sunt, facile sibi persuadebit, publicam Christiani Orbis utilitatem Synodicarum Constitutionum cognitione mirifice promoveri. Luculentissimum hujus rei exemplum habemus in S. Carolo Borromæo, qui statim ac Christi doctrinam ex purissimis hisce fontibus hausit, totam amplissimæ Diœceseos suæ faciem immutavit.

Ut veritates in Conciliorum Collectionibus comprehensæ per Christianum orbem diffundebantur, ita admirabiles mutationes inducebant, & in iis Diœcesibus, ubi Simonia & ignorantia inter Ecclesiasticos impune regnabant, visa est Religio sanctitatem suam omnem late explicare. Quod si Gallia, Italia, cæteraque regna tam excellentia bona tanquam accepta referre debent præstantissimis Prælatis iis, quorum opera & labore Evangelium refloruit, dubitandum non est, quin iisdem præsidiis & conserventur & augeantur. Nos quidem felices, si, quæ hactenus scripsimus, possint aditum ad hoc Sanctuarium patefacere, & hominum sensum & amorem erga veritatem, quæ ibi comprehenditur, excitare. Nimirum veri omnes Christiani id unice optare debent, ut fidem a Christo Jesu stabilitam videant in omne tempus propagari, eaque in Dei præsidio collocata, possint læte hilariterque repetere pulcherrima hæc S. Leonis verba ad Anatolium Archiepiscopum Constantinopolitanum: *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in Urbe Nicæna Sacrilego Arrio cum sua impietate damnato mansuras usque in finem Mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis Constitutionibus vivunt*.

FINIS.

CATA-

CATALOGUS

Præcipuos Collectionum Conciliorum Auctores, Librosque huc spectantes comprehendens, una cum Observationibus in horum Operum aliqua, & in eorumdem Editiones.

Asteriscus in hoc Catalogo pluribus Librorum Titulis præpositus admonet, Librum in hoc Studii genere utilem vel necessarium esse. Si plures ejusdem Operis Editiones extent, asteriscus meliori tantum Editioni præficitur. Non datur Catalogus omnium Conciliorum Particularium Editionum; id enim nimis longum esset.

I.

Collectiones antiquæ Conciliorum & Codicum Canonum.

Codex Canonum, seu Canones SS. Apostolorum & priscarum Synodorum Decreta Græce, Opera Joannis Tilii, in quarto Parisiis 1540. *Editor eduxit Codicem hunc ex MS. S. Hilarii Pictaviensis. Nova hujus Codicis Editio per Eliam Ehingerum, quæ prodiit 1614. Virtembergæ, confecta fuit ad MS. Biblioth. Augustæ Vindelicorum.*

Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ, in octavo Parisii 1609. *Editio hæc data fuit a Pithæo.*

* Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ a Francisco Pithæo ad veteres MSS. restitutus & Notis illustratus, in fol. Parisiis e Typographia Regia 1687. *Postrema hæc Editio a Pelletier data est omnium pulcherrima.*

Theodoreti Collectio Canonum. *Collectio hæc extat MS. in Biblioth. Regia; ejus Præfatio tantum impressa* fuit in quadam Librorum rarorum Collectione, quæ paulo *post prodiit in Germania*, p. 291.

Codex Canonum Ecclesiæ universæ a Justiniano Imper. confirmatus, Græce & Lat. a Christophoro Justello, in 8. Parisiis 1610. *De hoc diximus in Introductione Critica* &c.

* Codex Canonum Ecclesiasticorum Dionysii Exigui editus a Christophoro Justello, in 8. Parisiis 1628.

—— Idem in 8. Parisiis 1643. *Collectio* hæc Dionysii *Exigui* quæ est proprie versio & emendatio Canonum, quibus Rom. Ecclesia utebatur, magno est in pretio. Ejus pars prima, quæ Canones continet, impressa est in Biblioth. Juris Canonici per Voellum tom. 1. pag. 101. Pars secunda, quæ continet Pontificum Decreta, habetur impressa in eodem Tomo p. 183. Vid. Introduct. Critic.

* Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ Græce & Lat. editus a Christoph. Justello, in 8. Parisiis 1614. *Voellus & Justellus* plura hujus Collectionis loca emendarunt in Editione ab ipsis facta tom. 1. pag. 321. Biblioth. Juris Canonici. De hoc Codice & Collectionibus ad usum Ecclesiæ Africanæ in Introduct. Critic.

Codex Canonum Ecclesiasticorum & Constitutorum Sedis Apostolicæ, omnium qui huc usque prodierunt vetustissimus & amplissimus, qui quidem in usu fuit in Ecclesia Romana Innocentio I. Zosimo, &c. ac Leone I. Pontificibus, nunc primum editus ex MSS. Codicibus Thuanæo & Oxoniensi. *Codex hic* fuit excusus in nova S. Leonis Editione per P. Quesnellum, pag. 5. tom. 2. Editionis Parisiens. in 4. 1675. & pag. 1. Appendicis Edition. Lugdun. 1700. in folio Introduct. Critic.

Martini Bracarensis Episcopi Collectio Canonum Orientalium. *Collectio hæc Canonum* Orientalium aliorumque ex Conciliis Toletanis excusa fuit in Biblioth. Juris Can. per Voellum tom. 1. pag. 7. Appendicis, & tom. 5. Concil. P. *Labbæi* col. 903. Quidam Auctores eam citant sub nomine secundi Concilii Lucensis ann. 572. eo quod missa ad hoc Concilium fuerit. Vid. Baronium, ad ann. 569. & ad ann. 572. & Introd. Critic.

Joannis Antiocheni Scholastici dicti, Patriarchæ CP. Collectio Canonum in L. Titulos distributa Græc. & Lat. *Compendium* hoc in 50. titulos ordine rerum divisum, fuit impressum tom. 2. p. 499. Biblioth. Canon. per Voellum post MS. Biblioth. Colleg. Jesuitar. Paris.

—— Ejusdem Nomocanon. Græc. & Latin. *Hic nomocanon* excusus fuit tom. 2. p. 603. Biblioth. Canon. per Voellum ex MS. Biblioth. Regiæ. Hic CP. Patriarcha in hac Collectione affert Leges Civiles, quæ ad Canones referuntur. Vid. Introduct. Critic.

Cresconius, Liber Canonum. *Opus hoc* impressum fuit in Append. tom. 1. Biblioth. Juris Can. per Voellum p. 33. Vid. Introd. Critic.

Collectio Hibernica. *Ea impressa est* in Spicilegio P. d'Achery tom. 9. Edition. ant. p. 1. & tom. 1. Edit. novæ p. 492. Huic adjici oportet Additamenta, quæ extant in Anecdot. P. Martene tom. 4. pag. 2.

Corpus Canonum Apostolorum & Conciliorum ab Adriano I. oblatum Carolo Magno, editum a Joanne Vendelstino, in folio Moguntiæ 1525. *Collectio hæc impressa* est tom. 6. Concil. Labb. col. 1828.

Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ Canones breviculi. *Hos* dedit Leunclavius græc. & latin. in Collectione sua Juris Græci & Romani. Cotelerius addidit triginta septem alios in tom. 3. Monumentorum Eccles. Græcæ pag. 445. & pag. 451.

* Bibliotheca Juris Canonici, in qua Canonum Ecclesiasticorum Collectores antiqui Græci & Latini; Item insigniores Juris Canonici Collectores Græci; omnia cum Notis & Lat. versione, edita a Guillelmo Voello & Henrico Justello in fol. Parisiis 1661, 2. vol. *Collectio hæc*, inquit Lenglet, licet parum conquisita, vehementer æstimanda tamen est, quia continet omnes antiquos Canones, & primas Canonum Collectiones; idcirco necessaria est ad cognoscendam antiquam disciplinam Ecclesiarum Græcæ & Latinæ.

Remedii Curiensis Episcopi Canones. *Hi Canones* ab hoc Episcopo collecti habentur inter Scriptores Germanicos Goldast pag. 157. Notingus Constantiensis Episcopus his Canonibus addiderat plura Capitula pro Ecclesiis Germaniæ, cujus Presbyteri admodum imperiti erant; sed ea interiere.

Flori Diaconi Ecclesiæ Lugdunensis Collectio Canonum in septem capita divisa. *Ea impressa fuit* in Spicilegio Patris d' Achery tom. 12. antinq. Edit. p. 48. & tom. 1. novæ p. 597.

Herardi Archiepiscopi Turonensis Capitula excerpta

pta ex Corpore SS. Canonum. *Hæc collectio* Legum Ecclesiasticarum ex Capitularibus deductarum impressa est in Labbæo tom. 8. col. 627. & in Balutio tom. 1. Capitular. p. 1283.

Isaac Lingonensis Episcopi Collectio Canonum. *Ea impressa est* tom. 3. Concilior. Gall. per Sirmondum p. 644. in Labbæo tom. 8. col. 598. & in Balutio tom. 1. Capitular. p. 1234.

Isidori Mercatoris collectio Canonum. *Merlinus, primus* Conciliorum omnium Collector, putavit se hanc Collectionem dedisse. Vid. Introd. Critic.

VValterii Episcopi Aurelianensis Capitula. *Hæc Canonum* collectio, pro sua Diœcesi ab hoc Episcopo facta, habetur in Conciliis Labbæi tom. 8. col. 637. & in Notis, quas dederat P. Cellot, post primum Concilium Duodeciaci impressum primum in 4. Parisiis 1658. Capitula hæc extant pag. 491.

* Reginonis Abbatis Prumiensis libri duo de Ecclesiasticis disciplinis & Religione Christiana. *Duæ sunt hujus* Operis Editiones, una Helmestadii in 4. 1659. altera in 8. Parisiis 1671. Hæc priori anteferenda est propter Notas Balutii, & Opuscula ab hoc Editore adjecta.

Abbonis Floriacensis Collectio, seu Epitome Canonum. *Collectionem* hanc publici juris fecit P. Mabillonius tom. 2. Analector. p. 248. antiquæ Editionis, & habetur p. 133. novæ.

Anselmi Lucensis Collectio Canonum. *Licet nomen Anselmi* præferat, ejus tamen non esse credibile est. Ejus fragmenta occurrunt in Collectione Romana Holstenii Part. 1. pag. 215. & Part. 2. p. 214.

* Burchardi VVormaciensis Episcopi Decretorum Libri XX. sive loci communes congesti ex Decretorum Libris, in fol. Coloniæ 1548.

— Idem in 8. Parisiis 1550.

— Idem in fol. Coloniæ 1560. Editiones in fol. sunt & pluris æstimandæ, & minus communes. Præter cognitionem, quam hæc Collectio exhibet antiqui Juris Canonici, possunt per eam restitui Canones Conciliorum, qui non reperiuntur nisi in paucis Exemplaribus MSS. Hic Collector usus est Collectione Reginonis, cui plura addit. Ordo in ea laudabilis, sed improbandus delectus; præterea plures errores insunt. Vid. Introd. Critic.

Yvonis Carnotensis Liber Decretorum seu Pannormia; in 4. Basileæ 1449.

— Pannormia seu Decretum Yvonis restitutum, correctum & emendatum per Michaelem a Vosmediano, in 8. Lovanii 1557. *Ejus MS. extat* in Biblioth. S. Victoris. Ut antiquius est Hugone Cabillonensi, ita apertum est, hoc Opus ad hunc Auctorem non posse referri.

Decretum Yvonis Carnotensis editum cura & studio Joannis Molinæi Gandensis, in fol. Lovanii 1561. *Collectio hæc præcedente* amplior habetur in Editione Operum Ivonis Carnotensis publicata Parisiis 1647. in fol. iis longe emendatior, quæ huc usque prodierunt.

* Gratiani Decretum & Decretales. *Lenglet in Catalogo* Auctorum Juris Canonici, omnes hujus Operis Editiones recensuit. Romana 1582. vol. 4. in fol. Lugdunensis 1513. vol. 3. Parisiensis 1687. vol. 2. sunt æstimatiores: prima propter typorum elegantiam, secunda propter diligentiam impressionis, tertia propter accuratum Textum, & Criticen, quæ se prodit in Notis Pithæi. Vid. Introd. Critic.

Septimus Decretalium Liber cum Paratitlis & Notis Petri Matthæi, in 8. Francofurti 1590.

Antiquæ Decretalium Collectiones quatuor, Commentariis & emendationibus illustratæ ab Antonio Augustino, in fol. Ilerdæ 1676.

— Idem cum ejusdem Antonii Commentariis & Jacobi Cujacii Notis, in fol. Parisiis 1609.

— Idem in fol. Parisiis 1621.

Quinta Collectio Decretalium Honorii III. ab Innocentio Cironio edita in fol. Tolosæ 1645.

* Capitularia Regum Francorum, additæ Marculphi Monachi & aliorum Formulæ veteres & Notæ doctissimorum virorum; omnia a Stephano Balutio collecta, emendata, Notis illustrata, in fol. Parisiis 1677. 2. vol. *Hæc est accuratior* & plenior Editionibus omnibus Capitularium Regum Francorum. Vid. Introduct. Critic.

* Synodicon, sive Pandectæ Canonum Sanctorum Apostolorum & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum, nec non Canonicarum SS. Patrum Epistolarum cum Scholiis antiquorum & Scriptis aliis, ex recensione Guillelmi Beveregii, in fol. Oxoniæ 1672. 2. vol. Hæc collectio, quæ magno est in pretio, continet commentaria Græcorum medii ævi in antiquos Codices, & Monumenta Canonica Ecclesiæ Græcæ.

Laurentii Bochelli Decreta Ecclesiæ Gallicanæ, in fol. Parisiis 1609.

— Idem in fol. Parisiis 1621. Collectio hæc, quæ uno exhibet, quidquid majoris momenti est in Constitutionibus Conciliorum Nationalium & Provincialium, & Synodorum in Gallia habitarum, in Edictis Regum Galliæ, & in Decretis Parlamentorum, haberi potest tanquam Codex Legum Ecclesiasticarum Regni Gallicani. Vid. Introd. Critic.

I I.

Collectiones Generales omnium Conciliorum.

MErlini Tomus primus quatuor Conciliorum Generalium, quadraginta septem Conciliorum Provincialium authenticorum, Decretorum sexaginta novem Pontificum, ab Apostolis & eorumdem Canonibus usque ad Zachariam I. Isidoro Auctore in fol. Parisiis in Ædibus Galioti a Prato 1523.

Ejusdem Tomus secundus Conciliorum Generalium. Practica quintæ Synodi Constantinopolitanæ. Sexta Synodus Constantinopolitana. Acta Concilii Constantiensis. Decreta Concilii Basiliensis. Adprobatio Actorum Concilii Basiliensis per N. P. (Nicolaum Papam V.) Confirmatio Constitutionum Friderici & Karolinæ, in fol. Paris. in Ædibus Galioti a Prato 1524.

— Idem in 8. Coloniæ 1530.

— Idem in 8. Parisiis apud Franciscum Regnault 1535. 2. vol. *De hac Collectione* dictum est in Introduct. Critic.

Petri Crabbe Concilia omnia tam Generalia, quam Particularia, ab Apostolorum temporibus in hunc usque diem a sanctissimis Patribus celebrata, & quorum Acta litteris mandata ex vetustissimis diversarum Regionum Bibliothecis haberi potuere, in fol. Coloniæ 1538. 2. vol.

— Idem in fol. Coloniæ 1557. 3. vol. *De hac Collectione* vid. Introd. Critic.

Laurentii Surii Concilia omnia tum Generalia, tum Provincialia atque Particularia, quæ jam inde ab Apostolis usque in præsens habita obtineri potuerunt, magna insignium Synodorum aliorumque maxime utillum accessione adeo nunc auctorum, ut in Tomos quatuor distributa sint, aliquot locorum millibus in Synodis & Epistolis Decretalibus hactenus editis, ad vetustissimorum Codicum fidem diligenter emendatis & restitutis, per Fr. Laurentium Surium Carthusianum, in fol. Coloniæ 1567. 4. vol. *Vid. Introduct. Critic.*

Conciliorum omnium tam Generalium, quam Provincialium, quæ jam inde ab Apostolorum temporibus hactenus legitime celebrata haberi potuerunt, volumen. In fol. Venetiis apud Dominicum Nicolinum 1585. 5. vol. *Vid. Introd. Critic.*

Concilia Generalia Ecclesiæ Catholicæ, Pauli V. Pontificis Maximi authoritate edita, in fol. Romæ ex Typographia Vatic. 1608. 4. vol. *Vid. Introduct. Critic.* P. Sirmondus Præfationem dedit, cum esset Romæ, unde in Galliam rediit 1608. In hoc consequutus est, ut omnibus Italiæ eruditis viris anteferretur.

Concilia Generalia & Provincialia quæcumque reperiri potuerunt; item Epistolæ Decretales & Romanor. Pontificum Vitæ. Omnia studio & indu-

industria Reverend. D. Severini Binii. S. Theologiæ Licentiati & beatæ Mariæ Virginis ad gradus Coloniæ Canonici, in fol. Coloniæ Agrippinæ 1606. 4. vol.

— Idem in fol. Coloniæ 1618. 4. volum.

— Idem in fol. Parisiis 1638. *De hac Collectione*, ejusque variis editionibus diximus in Introd. Critic.

Conciliorum omnium Generalium & Provincialium Collectio Regia, in fol. Parisiis 1644. e Typographia Regia 37. vol. *Vid. Introd. Critic.*

* Sacrosancta Concilia ad Regiam Editionem exacta, quæ nunc quarta Parte prodit Auctior, studio Philippi Labbæi & Gabrielis Cossartii Soc. Jesu Presbyterorum, in fol. Lutetiæ Parisiorum 1672. 18. vol. *Collectio hæc est omnium amplissima*. Vid. Introd. Critic.

Collectio maxima Conciliorum Generalium & Provincialium, Decretalium & Constitutionum Summorum Pontificum, Græce & Latine: studio & opera Joannis Harduini e Societate Jesu, in fol. Parisiis e Typographia Regia 1715. 12. vol. *Vid. Introd. Critic.*

* Nova Collectio Conciliorum; Stephanus Balutius Tutelensis in unum collegit, multa notatu dignissima nunc primum edidit, Notis illustravit, reliqua emendavit ad vetustissima Exemplaria MSS. Tomus primus in fol. Parisiis apud Franciscum Muguet 1683. *Hujus Collectionis primus tantum* Tomus habetur. Licet Auctor haberet, unde quatuor alia ejusdem molis volumina conficeret, non edidit tamen, nisi secundi argumentum 1688. Vid. Introd. Critic.

Thesauri novi Anecdotorum Tomus quartus, in quo continentur varia Concilia, Episcoporum Statuta Synodalia, illustrium Monasteriorum ac Congregationum edita, præsertim in Capitulis Generalibus, Decreta: studio & Opera D. Edmundi Martene, in fol. Lutetiæ Parisiorum 1717. *P. Martene in Collectione* antiquorum Scriptorum & Monumentorum Ecclesiasticorum, sibi edendam proposuit amplam segetem Conciliorum Statutorum Synodalium, & aliorum hujus generis Opusculorum, quæ in diversis Bibliothecis deprehenderat.

III.

Collectiones Conciliorum Particularium unius Regni, vel unius Provinciæ.

JOannis Sichardi Concilia Carthaginense primum, Milevitanum, Nicænum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, Chalcedonense, Romanum sub Damaso, una cum constitutionibus Apostolicis: Opera Bovii, in 8. Parisiis Nivelle 1568.

Conradi Gesneri Collectio, continens partim Apostolorum & undecim Sanctorum & veterum Conciliorum Decreta, in fol. Tiguri 1552. *Concilia hæc sunt Nicænum*, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, Sardicense, Carthaginiense, in Trullo, & secundum Nicænum. Collectio hæc pars est Operis inscripti: „ Theologorum aliquot „ Græcorum veterum orthodoxorum Libri Græ„ ci & iidem latinitate donati, in fol. ibidem. Vid. Introd. Crit.

Lucæ Holstenii Collectio Romana bipartita veterum aliquot Historiæ Ecclesiasticæ monumentorum, in 8. Romæ per Jacobum Dragondellum 1662. *Vid. Introd. Critic.*

* Concilia antiqua Galliæ tres in tomos ordine digesta; cum Epistolis Pontificum, Principum Constitutionibus, & aliæ Gallicanæ rei Ecclesiasticæ Monumentis: Opera Jacobi Sirmondi, e Societ. Jesu, in fol. Parisiis Cramoisy 1629. 3. volum. *Ad finem cujusque* voluminis hujus Collectionis, quæ incipit tempore Imperatoris Constantini, & desinit fere cum sæculo decimo, habentur Notæ P. Sirmondi admodum probandæ. Sirmondus decessit 1651. *Vid. Introd. Critic.*

Conciliorum antiquorum Galliæ a Jacobo Sirmondo editorum supplementa: Opera Petri de La Lande, Ricomagensis, Thesaurarii Ecclesiæ Regalis Sancti Frambaldi Silvanectensis, in fol. Parisiis 1666. De La Lande in lucem edidit cum Notis hanc Collectionem Conciliorum, quæ P. Sirmondi diligentiam effugerant, ut supplementum esset ejus Collectionis antiquorum Conciliorum Galliæ.

Concilia novissima Galliæ, a tempore Concilii Tridentini celebrata, edita per Ludovicum Odespum De La Mechiniere, in fol. Parisiis 1646. *Vid. Introd. Critic.*

* Concilia ac Synodalia Decreta S. Ecclesiæ Rothomagensis, edita studio Francisci Pommeraye, Benedictini e Congregatione S. Mauri, cum Notis Angeli Godin in 4. Rothomagi 1677.

* Concilia Rothomagensis Provinciæ, accedunt Diœcesanæ Synodi, Pontificum Epistolæ, Regia pro Normanniæ Clero Diplomata, nec non alia Ecclesiasticæ disciplinæ Monumenta. Ex illis non pauca hactenus inedita; quæ prius edita fuerant ad manuscriptos Codices recognita & emendata sunt; collata quædam cum Autographis: disposita omnia juxta Chronologiæ ordinem, & Observationibus, ubi convenit, illustrata studio D. Guillelmi Bessin Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri, Rothomagi apud Franciscum Vaultier. 1717. *Vid. Introd. Critic.*

Concilia Provinciæ Turonensis, studio Joannis Maan. *Concilia hæc sunt* impressa ad finem suæ Ecclesiasticæ Historiæ Turonensis, in fol. Augustæ Turonum 1697. Vid. Introd. Critic.

Concilia Galliæ Narbonensis, collecta & Notis illustrata a Stephano Baluzio, Tutelensi, in 8. Parisiis 1668. *Vid. Introd. Critic.*

Collectio Conciliorum Hispaniæ diligentia Garsiæ Loaisa elaborata, ejusque vigiliis aucta, in fol. Madriti 1593. *Editor, Jacobita Hispanus*, sui Ordinis Generalis, tum Episcopus Oxamensis, ac deinde Hispalensis Archiepiscopus, usus est MSS. quæ Cardinalis Caspar Quiroga, prius Episcopus Chonchi, ac deinde Toletanus Archiepiscopus, misit Gregorio XIII. cum hic correctam Decreti Gratianæi editionem faciendam curabat; eadem MSS. Baluzio communicata sunt a Caspare Mendoza.

* Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ & novi Orbis, Epistolarumque Decretalium celebriorum, nec non plurium Monumentorum ad illam spectantium, cum Notis & Dissertationibus, quibus sacri Canones, Historia, ac Disciplina Ecclesiastica & Chronologia accurate illustrantur, per Josephum Saenz De Aguirre, Romæ 1693. in fol. 4. vol. *Vid. Introd. Critic.*

Lima limata Conciliis, Constitutionibus Synodalibus &c. quibus Toribius Alphonsus Mogrovejus Archiepiscopus Limanus Provinciam Limensem, seu Peruanum Imperium, elimavit, & ad normam Canonum composuit. Omnia fere ex Hispanico Latine reddita, Notis & Scholiis illustrata a Franc. Haroldo, in fol. Romæ 1673. *Vid. Introd. Critic.*

Concilia, Decreta, Leges, Constitutiones, in re Ecclesiarum Orbis Britanici; Opera Henrici Spelman, in fol. Londini. Duo tantum hujus Collectionis habentur Volumina; primum prodiit 1639. secundum 1664. Postremum hoc rarissimum. *Vid. Introd. Critic.*

Guillelmi Lindvood Provinciale seu Constitutiones Ecclesiasticæ Angliæ, in fol. Parisiis apud Jodocum Badium 1502.

— Idem in fol. Antuerpiæ 1525.

— Idem in fol. Oxonii 1679. *Anglus Auctor erat* Doctor Oxoniensis, & Cancellarius Ecclesiæ Cantianæ.

Concilia Ecclesiæ Armenæ. *Habentur* impressa in Historia Armeniæ, quam Galanus edidit sub titulo *Historia Armena Ecclesiastica, & Politica, & Ecclesia Armena cum Romana Conciliatio*.

* Synodicon S. Beneventanensis Ecclesiæ continens

Concilia XIX. per Vincentium-Mariam Ursinum Cardinalem, in fol. Beneventi ex Typographia Archiepiscopali 1695.

I V.

Compendia & Summæ Conciliorum.

FErrandi Fulgentii Diaconi Breviatio Canonum. *Hoc Canonum Ecclesiasticorum* compendium, in quasdam classes pro rerum diversitate divisum, excusum est in Biblioth. Juris Canonici tom. 1. p. 445. in Biblioth. Patrum ex Edition. Lugdunensi tom. 9. p. 486. cum Codice Dionysii Exigui in 8. Parisiis 1609. & 1628. & cum compendio Cresconii editum Parisiis per Petrum Pithæum 1588.

Cresconii Breviarium Canonum. *Variæ extiterunt hujus Operis Editiones;* prima & antiquior est Parisiensis 1588. quæ debetur Petro Pithœo; altera Pictaviensis 1630. debetur de Hauteserre; tertia prodiit Divione opera Francisci Chifflet: tandem hoc Opus insertum fuit Biblioth. Juris Canonici tom. 1. p. 456. & Biblioth. Patrum Lugduni excusæ tom. 9. p. 486. Ordine & diligentia Ferrandi compendium Cresconii Breviario præstat.

Photii Patriarchæ Constantinopolitani Opusculum de septem Synodis. *Plures hujus Operis habentur Editiones*, quod nihil aliud est, nisi pars Epistolæ, quam Photius scripsit ad Michaelem Bulgarorum Regem, de officio Principis. Excusum est in Biblioth. Juris Canonici tom. 2. pag. 1141. Id Labbæus in membra dispecuit, quæ suo cuique Concilio OEcumenico adjecit. Integrum Harduinus edidit tom. 5. Collectionis suæ col. 1493.

Auctoris Anonymi de sex OEcumenicis Synodis Opusculum. Opusculum hoc impressum est græce & latine in Biblioth. Juris Canonici tom. 2. p. 1161. per partes in Collectione Labbæi, integrum in Collectione Harduini tom. 5. col. 1485.

Synodicon, seu Libellus Synodicus Auctoris Anonymi, omnes Synodos tam orthodoxas, quam hæreticas complectens a tempore Apostolorum ad octavam OEcumenicam. *Collectio hæc fuit primum edita Græce* & Latine per Joannem Pappum. Voellus & Justellus eam inseruerunt Biblioth. Juris Canonici tom. 2. p. 1166. Eamdem Conciliorum Collectores per partes dederunt, excepto Harduino, qui integram edidit tom. 5. Collect. suæ col. 1491.

Michaelis Pselli de septem primis Conciliis OEcumenicis Græce, in 8. Basileæ 1536. *Hujus operis Bosquet* cum nonnullis poematibus editionem græcam & latinam dedit Parisiis 1632. Idem opus habetur in Conciliis Binii tom. 3. Part. 1. p. 400.

Matthæi Blastaris Synopsis Canonum Græce & Latine. *Hoc Canonum* compendium habetur in Collectione Beveregii, inscriptum *Synodicon sive Pandectæ Canonum.*

Constantini Harmenopuli divinorum & sacrorum Canonum Epitome Græce & Latine. *Collectio hæc habetur initio* Juris Græci & Romani Leunclavii impressi in fol. Francofurti 1596.

Anastasii Junioris Recensio compendiaria Conciliorum. *Lambecius hoc* Opus edidit in Commentar. suis ad Biblioth. Imperatoris tom. 8. pag. 444.

Alexii Aristini Synopsis Canonum. Ea excusa est in Biblioth. Juris Canonici tom. 2. p. 673. *Hic Auctor Sæculi* XII. *composuit* etiam Synopsim Epistolarum, quæ dicuntur Canonicæ. Ea est inter Pandectas Beveregii tom. 2. Part. 1. p. 189.

Simeonis Magistri & Logothetæ Epitome Canonum. *Hæc Epitome, quæ impressa* est in Biblioth. Juris Canon. tom. 2. p. 710. continet eosdem Canones, ac Aristeni compendium, sed alio ordine.

Arsenii Autoriani Constantinopolitani divinorum Canonum Synopsis. *Auctor hujus Operis in* 141. *Titulos divisi* magis adhæret sensui Canonum & Patrum, quos citat, quam eorum verbis; Canonibus adjecit Leges Imperatorum, & in Notis, quas addidit quibusdam in locis ostendit, quæ inter ipsos mutua concordia intercedit. Hæc Synopsis excusa est in Biblioth. Jur. Canonici tom. 2. p. 749.

Augustini Patricii summa Conciliorum Florentini, Basileensis, Lausanensis & Pisani. *Hæc Acta habentur in Collect.* Labbæi tom. 13. col. 1488. Hæc compendiaria Historia ann. 1480. Francisci Piccolominei Cardinalis Senensis jussu confecta, edita fuit ex MS. Biblioth. Regiæ.

Promptuaire des Conciles par Le Maire, in 8. Paris 1546.

Gasparis Contareni Conciliorum magis illustrium summa. *Hæc summa habetur* in collectione suorum operum in fol. impress. Vid. Introd. Critic.

Francisci Joverii Sanctiones Ecclesiasticæ tam Synodicæ quam Pontificiæ in tres Classes distinctæ, in fol. Parisiis apud Audoenum Parvum 1555. *Vid. Introd. Critic.*

Joannis Sagittarii Collectio Conciliorum, in fol. Basileæ 1555. *Vid. Introd. Crit.*

Summa Pontificalium, Synodalium, Constitutionum in locos seu titulos communes redacta a Joanne Sotteallo, in 8. Lovanii per Petrum Zambrium 1570.

Bartholomæi Carranza summa Conciliorum & SS. Pontificum usque ad Julium III. in 16. Parisiis 1555.

— Eadem cum accessione ad hæc usque tempora, in 16. Genevæ 1600.

— Eadem cum Appendice Conciliorum Gallorum a Jacobo Sirmondo, in 8. Lugduni 1675. *Vid. Introd. Critic.*

Ægidii Gonzales d'Avila Societ. Jesu Concilia Generalia omnia in locos communes redacta. *Hic Auctor obiit* 1596.

Compendium Sanctarum & universalium Synodorum nunc primum in latinam linguam conversum per Abrahamum Sculretum Silesium Græce & Latine, in fol. apud Commelin 1604.

Conradi Rittershusii compendium septem Conciliorum universalium. *Hic Criticus Brunsvicensis* claruit ineunte Sæculo XVII. obiitque 1613.

Antonii Augustini Epitome Juris Pontificii veteris in fol. Romæ per Ægidium Spadam 1611.

— Idem per Stephanum Paulinum 1614. 2. vol.

— Idem Parisiis 1641.

Joachimi Camerarii compendium SS. & universalium Synodorum Græce & Latine, in 8. Helmstadii apud Lucium 1614. *Huic adjectum* est aliud compendium inscriptum. *Brevis enarratio de Synodis.*

Gasparis Scholani brevis Epitome Decretorum, quæ in Valentinis Synodis statuta sunt, ordine alphabetico digesta, in 8. Valentiæ apud Petrum, Mey 1616.

Danielis Angelocratis Epitome Conciliorum & Academiarum totius Orbis, in 4. Francofurti 1620.

Francisci Longi a Coriolano Breviarium Chronologicum, Pontificum & Conciliorum, in fol. Lugduni per Ludovicum Prost 1623. *Vid. Intr. Critic.*

J. Prideaux Conciliorum Synopsis, in 4. Oxoniæ 1651.

Simonis Starovolscii Epitome Conciliorum, in fol. Romæ per Josephum Corvum 1653.

Laurentii Brancati Epitome Canonum omnium Conciliorum tam Generalium quam Provincialium ordine alphabetico digesta, seu Index universalis, in fol. Romæ Typis Mascadi 1659.

— Idem in fol. Coloniæ apud Metternich 1684. *Vid. Introd. Critic.*

* Ludovici Bail summa Conciliorum, in fol. Parisiis per Ægidium Alliot 1672. 2. vol. *Vid. Introd. Critic.* f. 67

Francisci Sylvii summa Conciliorum, Duaci 1679.

Josephi Saenz de Aguirre Cardinalis Notitia compendiaria Conciliorum Hispaniæ, in 8. Salmanticæ per Lucam Perez 1686.

— Ejusdem Synopsis Conciliorum Hispaniæ, in 12. Romæ per Antonium de Rubeis 1693.

Joan-

Joannis Cabassutii Notitia Conciliorum, in 8. Lugduni 1667. & 1670.
— Ejusdem Notitia Ecclesiastica Historiarum & Conciliorum, in fol. Lugduni per Anissonium 1685. *Vid. Introd. Critic.*
Conciliorum OEcumenicorum Notio generalis, vel compendium Synodicum Elucidationibus historicis, dogmaticis & criticis illustratum, in 8. Chambery. *Opus Auctorem* habet Pat. Spiritum Andræam Jacobitam.
* Delectus Actorum Ecclesiæ universalis, seu nova summa Conciliorum, Epistolarum, Decretorum SS. Pontificum, Capitulariium, &c. in fol. Lugduni Certe 1706. 2. volum. *Vid. Introduct. Critic.*

V.

Auctores, qui Commentaria vel Scholia in Canones & Concilia ediderunt.

THeodori Balsamonis Scholia in Canones Apostolorum, Conciliorum & Epistolas Canonicas. *Scholia hæc excusa sunt* initio Collectionis Beveregii inscriptæ *Pandectæ Canonum*.
— Ejusdem Scholia in Canones Dionysii Alexandrini. *Habentur initio tom. 2. Beveregii*.
— Ejusdem Scholia in Canones Petri Alexandrini. Habentur tom. 2. Beveregii Part. 1. p. 8. Dedit etiam Scholia in Epistolas Canonicas S. Gregorii Thaumaturgi, S. Athanasii, S. Basilii, S. Gregorii Nysseni, Timothei Episcopi Alexandrini, Theophyli, S. Cyrilli, S. Gregorii Theologi, Gennadii & Tarasii, Patriarcharum Constantinopolitanorum. Scholia hæc extant in iisdem Pandectis.
— Ejusdem Commentaria in Nomocanon Photii. *Commentaria hæc* impressa sunt in Biblioth. Juris Canonici.
Joannis Zonaræ Commentarii in Canones SS. Conciliorum tam OEcumenicorum quam Provincialium Latine, in 4. Parisiis: Opera Joanni Quintini J. C. 1558.
— Idem Mediolani 1613.
— Idem Græce & Latine, Parisiis 1618. *Præter has Editiones Commentarii* Zonaræ habentur etiam tom. 1. Collectionis Beveregii inscriptæ: *Pandectæ Canonum*.
— Ejusdem Scholia in Canones Dionysii Alexandrini. *Habentur inter* ejus Opera, & ad finem Editionis S. Gregorii Neocæsariensis, in fol. Parisiis 1622. & tom. 2. Pandectarum Canonum Beveregii.
— Ejusdem in Canones Petri Alexandrini. *Scholia hæc habentur impressa* tom. 2. Beveregii Part. 1. p. 8. cum aliis ejusdem Auctoris in Epistolas Canonicas S. Gregorii Thaumaturgi, S. Athanasii, & S. Basilii, post Scholia Balsamonis. Scholia hæc omnia habentur Græce & Latine, interprete Antonio Salmatia, in Editione S. Gregorii Thaumaturgi.
Alexii Aristeni Scholia in Canones Apostolorum. *Habentur in Beveregio* tom. 1. post Scholia Balsamonis & Zonaræ.
— Ejusdem in Canones S. Basilii. In eodem Beveregio tom. 2. Part. 1.
Guillelmi Durandi sive Durantis Senioris, qui dicitur Speculator, Commentarius in Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in 4. Fani per Jacobum Masquardum 1569.
Josephi Ægyptii Procemia & Paraphrasis Arabica in quatuor priorum generalium Conciliorum Canones Arab. Lat. *Extat in Pandect. Beveregii tom.* 1.
Ferdinandi de Mendoza Commentarius in Concilium Illiberitanum seu de confirmando eodem Concilio ad Clementem VIII. Pontif. Maxim. Libri tres, in fol. Madriti 1594.
— Idem Lugduni 1665. *Hic Commentarius*, ejusque Notæ habentur in Collectione Labbæi tom. 1. col. 1010.
Augustini Barbosæ Collectanea in Concilium Tridentinum, in fol. Lugduni apud Bordes 1657.
Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta & Canones, Scholiis, Notis, ac historica Actorum Dissertatione illustrati, per Fr. Christianum Lupum Ord. Eremit. S. Augustini, in 4. Bruxellis 1673. 5. vol.
— Idem in 4. Lovanii 1665. 5. vol. *Hæ P. Lupi in Concilia* Dissertationes magni pretii habentur. Hunc Roma plurimi fecit.
Natalis Alexandri Exercitationes in Concilia. *Historicæ istæ & Criticæ observationes* sparsim extant in ejus Historia Ecclesiastica impressa Parisiis apud Antonium Dezalliers in fol. & in 8.
* Zegeri Bernardi Van-Espen Tractatus historicus Canonicus exhibens Scholia in omnes Canones Conciliorum, tam Græcos quam Latinos, & famosiores Canonum Codices sive Collectiones tam veteres, quam recentiores, in 4. Rothomagi sumptibus Guillelmi Behout 1710.

VI.

Scriptores, qui Historiam dederunt Conciliorum omnium, vel nonnullorum tantum.

L'Histoire en abregé des quatre premiers Conciles Géneraux, in douze Paris le Prest 1676.
* Edmundi Richerii Historia Conciliorum Generalium in quatuor Libros distributa, in 4. Coloniæ per Bernardum Hetzing. 1680. 4. vol. *Auctor hic dat Historiam* cujusque Concilii Generalis, h. e. causam propter quam convocatum est, quid in illo actum, quæque consequuta sunt. Secundum & tertium volumen non agit, nisi de Conciliis Basileæ, Constantiæ, Pisæ, & Tridenti.
Marco Battaglini Istoria de' Concilii, in fol. Venezia per Andrea Poletti 1686. *Vid. Introd. Critic.*
Memoria historica Conciliorum, in 12. Venetiis ex Typographia Juliana 1689.
Hermant Histoire des Conciles où l'on voit en abregé ce qui s'est passé de plus considerable dans l'Eglise depuis sa naissance jusqu'à present, in 12. *Plures extant Editiones*. Tertia constat 4. vol. Rothomagi 1699. Vid. Introd. Critic.
* Histoire des Conciles Géneraux & Assemblées tenues en Orient & en Occident depuis le tems des Apotres jusqu'au Concile de Trente, avec des Dissertations, in 8. à Paris Villery 1699. 2. tom. *Vid. Introd. Critic.*
Historia Concilii Nicæni I. Auctore Gelasio Cyziceno. *Præter Editionem* Græcam & Latinam a Bellesorêt datam in 8. Nicolaus & Judas Bonutii inseruerunt Editioni in fol. publicatæ 1604. Actorum Concilii Ephesini ex Typographia Commelin. Hæc historia habetur tom. 2. Concil. Labbæi col. 103.
Abregé historique des Conciles Generaux par M. Jean. Bouillet de Saint Paul, Prieur de S. Didier en Bourbonnois, in 12. à Moulins chez Denis Vernoy 1703.
* Jacques Lenfant Histoire du Concile de Constance, in 4. chez Pierre Humbert 1714. 2. vol.
Nouvelle Histoire du Concile de Constance, avec plusieurs Pieces qui n'ont point encore paru, tirées des Manuscrits des meilleures Bibliotheques par M. Bourgeois du Chastenet, in 4. à Paris 1718. *Videtur Auctor id sibi proposuisse*, ut ostenderet, Galliam multum contulisse ad Schisma extinguendum. Hujus historiæ probationes sunt historia ipsa ampliores.
Antonio Baldassarri Concilii Tridentini Storia compendiosa del Concilio di Trento e ristretto de Concilii Ecumenici Fuligno, in 12. per Nicolò Campitelli absque anno.
Callisto Puccinelli l'Istoria del Concilio di Trento di Sforza Pallavicino compendiato, in 4. Roma per Vital Mascardi 1660.
Giam Pietro Cataloni Istoria del Concilio di Trento scritta dal Cardinale Sforza Pallavicino, separa-

parata dalla parte contenziosa e ridotta in più breve forma, in fol. Romæ per Giuseppe Corvo 1666.

VII.

Auctores qui Notas in Concilia ediderunt.

REmarques curienses pour l' intelligence des Conciles par l' Abbé de Thesut, in 12. Lyon 1690.

Binii Notæ, *Hic in omnia Concilia* Notas dedit fere omnes eductas ex Card. Baronii Annalibus. Diximus in Introd. Critic. cujus utilitatis possint esse hujus Collectoris Observationes.

Joannis Lydii Castigationes in narrationem historicam Conciliorum omnium Gabrielis Prateoli, in 8. Lugduni Batavorum 1610. *Hic Auctor est Protestans, uti vocant.*

Baluzii Notæ. *Hic in nova sua Collectione*, in Collectione Conciliorum Galliæ Narbonensis, & in Editione Capitularium, Notas dedit admodum probatas ab iis omnibus, qui rerum Ecclesiasticarum studio se addicunt.

Ruelii Joannis Ludovici Concilia illustrata cum continuatione Joannis Ludovici Hartmanni, in 4. Norimbergæ 1675. 4. vol. *Hæ Notæ a Protestantibus* Germanicis confectæ sunt.

Le P. Poisson Auctour du *Delectus Actorum Ecclesiæ universalis*, Lugduni impressus 1706. dedit Notas in Canones.

M. le Nain De Tillemont in suis Memoriis ad Historiam Ecclesiasticam sex priorum sæculorum, plura illustravit ad Concilia spectantia.

P. Quesnellus in Tractatu de Ecclesiæ Disciplina plures primorum Conciliorum Canones explicuit.

Franciscus Pithæus edidit cum Notis antiquum Ecclesiæ Romanæ Codicem.

Carolus Annibal Fabrottus magni nominis Jurisconsultus Sæculo XVI. Notas condidit in Collectionem Constitutionum Ecclesiasticarum Theodori Balsamonis, quæ tunc temporis nondum erant græce excusæ. Notæ hæ, quas statuerat in lucem edere, repertæ sunt in ejus cubiculo post ejusdem obitum, & a Guillelmo Fabrotto ejus filio datæ Justello & Voello, qui eas inseruerunt Biblioth. Juris Canonici.

Christophorus Justellus Notas condidit in Codicem Ecclesiæ universæ impressas in Biblioth. Juris Canonici per Henricum Justellum ejus filium. Ejusdem Auctoris habentur Observationes in Codicem Ecclesiæ Africanæ, ibid.

Joannes Pappus edidit ann. 1601. Argentinæ antiquam Collectionem græcam ita inscriptam, *Synodicon complectens omnes Synodos tam orthodoxas quam hæreticas*, cum versione Latina & Notis.

De Hauteserre Notæ ad Indiculos Canonum Fulgentii Ferrandi & Cresconii Afri, in 4. Pictavii 1630.

P. Sirmondus condidit in Galliæ Concilia Notas, quæ satis pro dignitate laudari non possunt. Eas Labbæus inseruit Collectioni suæ loco suo. Quas P. Sirmondus peculiariter condidit in Regum Francorum Capitularia, iterum excusæ sunt in Editione, quam Baluzius dedit.

Garsias Loaisa in Hispaniæ Concilia Notas dedit, a Labbæo in Collectione sua iterum impressas.

Holstenius in nonnulla Romæ Concilia Notas confecit a Labbæo in 4. tomum suor. Concil. col. 1723. Idem Auctor Observationes dedit in Anastasium Bibliothecarium. Eæ impressæ sunt tom. I. Operis Schelstrati, quod inscribitur *Antiquitas illustrata*, p. 401.

Gabriel de l' Aubespine Episcopus Aurelianus in sua Editione Operum Optati quasdam animadversiones dat in hystoriam Donatistarum. In hac eadem Editione Notas dedit in 17. primos Canones, hoc est, 19. 21. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 32. usque ad 47. tum 54. 55. 56. 58. 59. 60. 61. 63. 65. 67. 68. 69. 72. usque ad 77. 79. 80. 81. Canones Concilii Illiberitani; 7. Concilii Cæsaraugustani; 2. primi Concilii Toletani; 2. Concilii Barcinonensis; 8. 9. & 10. Concilii Gerundani; 11. 12. 13. & 19. primi Nicæni; 11. Concilii Calcedonensis; 17. Concilii Ancyrani; 6. & 12. Concilii Neocæsariensis; 2. Concilii Antiocheni; 2. Concilii Laodiceni; 3. 6. 7. 9. 13. 17. 23. primi Concilii Arelatensis; 3. 6. 12. 14. 18. 20. 26. primi Concilii Arausicani; 2. & 8. primi Vasionensis; 2, 9. 10. 12. 27. 36. secundi Concilii Arelatensis; 3. Concilii Valentini in Gallia; ultimum Concilii Epaunensis; 3. & 4. secundi Concilii Carthaginensis; 2. 4. 5. 32. 34. & 78. tertii Concilii Carthaginensis; 78. 80. & 82. quarti.

Remarques sur les Canons Apostoliques, in 8. Rothomagi 1698.

Emmanuel-Gonzales Tellez Juris Canonici Professor in Universitate Salamanticæ, Consiliarius Inquisitionis Vallisoleti, in Concilium Illiberitanum Notas condidit, quæ cum hoc Concilio impressæ fuerunt in fol. Lugduni, apud de Borde 1665. Labbæus & Cardinalis d' Aguirre eas Collectionibus suis inseruerunt. Idem Auctor in quinque Libros Decretalium Gregorii IX. Commentarios confecit Lugduni excusos 1693.

Le Concile de Neocesarée traduit en François avec l' explication de ses Canons & des Notes Critiques par M. De Sautour, in 8. Paris 1711.

Robertus Bellesorest edidit Parisiis ann. 1599. historiam Concilii Nicæni, Auctore Gelasio Cyziceno, cum Versione Latina & Notis.

P. Peltan observationes protulit in Acta Concilii Ephesini.

Scholia & Notæ ad variorum Patrum Epistolas concernentes Acta Ephesini & Calcedonensis Concilii nuperrime repertas in Bibliotheca Monasterii Cassinensis, & nunc primum in lucem editas, in 4. Lovanii 1682. *Vid. Introd. Critic.*

Canones Græci Concilii Laodiceni cum Versionibus Gentiani Herveti, Dionysii Exigui Isidori Mercatoris & Observationibus VVolfgangi Gundlingii, in I. Noribergæ 1684.

Abbas Antelmi in Opere suo de origine Ecclesiæ Freji notas dedit in tertium Concilium Arelatense, quod contendit fuisse habitum ann. 450. vel 451. contra Sirmondum, qui id conjicit in ann. 455.

Le Concile de la Grace ou explication des Canons du second Concile d' Orange par Andreé Dabillon; in 4. à Paris Piquet 1645.

Acta Concilii Generalis VIII. Græce & Latine cum Notis Matthiæ Raderi, Ingolstad 1604. in 4.

Cellotii Ludovici Notæ in Concilium Duziacense I. in 4. Parisiis Cramoisy 1658. *Hæ Notæ habentur in Conciliis* Labbæi tom. 8. col. 1542.

Robertus Creygton Episcopus de Bathon & de VVel condidit in Historiam Concilii Florentini per Sylvestrum Siguropulum Notas, quæ impressæ fuerunt ad finem Editionis hujus Operis, quod in lucem edidit ann. 1660. Hagæ Comitis.

Julii Clementis Scoti (sub nomine Stanislai Felicis) Notæ morales, censoriæ, historicæ, in historiam Concilii Tridentini Sfortiæ Pallavicini in 4. Coloniæ (sive Patavii) 1664. *Opus hoc ab indicis* Congregatione notatur, tanquam acris censura historiæ Concilii Tridentini Cardinalis Pallavicini.

Joannis Marii de Schismatum & Conciliorum Ecclesiæ differentia. *Hoc opus habetur* impressum pag. 409. Hystoriæ Schismatis per Thierris de Niem, impressæ in 8. Argentinæ ann. 1629.

Ludovici Thomassini Dissertationum in Concilia Generalia & Particularia Tomus I. in 4. Parisiis 1967. *Dissertationes istæ vix* in lucem emissæ a Gallis oppugnatæ fuerunt.

Joannis Brouet statuta Synodalia universalis Ecclesiæ, in 8. Parisiis 1596.

Pier Valerio Martorelli Lezioni famigliari sopra la storia e i dogmi de' Concilii Generali d' Oriente, esposti al suo Capitolo e Clero della Penna, in 4. Urbino 1707.

Inter MSS. Cotelerii, quæ in Regia Biblioth. ser-

vantur, unum habetur in Concilia Generalia & Particularia.

Germani I. Constantinopolitani Patriarchæ de Synodis OEcumenicis. *Hoc opus impressum est* tom. 1. De le Moine *Varia sacra* pag. 58.

Didaci Alava Esquivel de Conciliis universalibus, in fol. Granatæ 1552.

De Conciliis Provincialibus & Nationalibus. *Vid. de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii in fol. Parisiis* 1704.

Petri de Marca Dissertatio de antiquis Collectionibus Canonum ante Dionysianam.

— Idem de sententiis Sirmondi & Petavii circa annum Concilii Sirmiensis. *Duæ istæ Dissertationes De Marca habentur impressæ inter ejus* Opuscula, in 8. Parisiis 1681.

De Conciliis cum OEcumenicis tum Provincialibus, in quibus præsentes suffragium tulere RR. Lugdunenses Archiepiscopi, &c. circa Articulos de fide; Auctore Jacobo Severtio, in 4. Lugduni 1607. *Hæc est tertia Pars Operis Severtii, quæ inscribitur: Chronologia historica successionis Hierarchicæ Antistitum Lugdunensis Archiepiscopatus*, &c.

VIII.

Scriptores, qui Dissertationes in Concilia dederunt.

* Guillelmi Durandi (sive Duranti) junioris Tractatus de modo Generalis Concilii celebrandi, in 8. Parisiis 1671. Hoc Opus habetur impressum tom. 13. *Tractatus Tractatuum Juris*, part. 1. fol. 154.

De Conciliis Synodia Ugonis sive Matthiæ Ugonii Episcopi Famaugustani, Opus de omnibus ad Concilia rite celebranda pertinentibus, in fol. Brixiæ 1541.

— Idem in fol. Venetiis 1565.

— Idem in fol. Venetiis 1576.

Alphonsi Guerreri Hispani Tractatus de modo & ordine Generalis Concilii celebrandi, in 4. Neapoli 1545.

Fridericus Nausea de rebus conciliaribus ad Paulum III. in fol. Lipsiæ 1538.

Michaelis Thomasii de ratione habendi Concilia Provincialia ac Diœcesana, Isidori ordo de celebrando Concilio, in 4. Romæ 1565.

— Idem in 4. Venetiis 1569.

Nicolai Januarii de Visitatione ac Synodis Diœcesana & Provinciali Canonicæ Conclusiones, in 12. Parisiis 1620.

Bartholomæi Gavanti Praxis Diœcesanæ Synodi celebrandæ, in 4. Parisiis 1639.

Henrici De Bottis Tractatus de Synodo Episcopi & de Statutis Episcopi Synodalibus, Lugduni 1529.

Joannis-Antonii Massobrii Tractatus de Synodo Diœcesana seu Episcopi Romæ, in 4. Romæ 1627.

* Antonii Augustini Dialogi de emendatione Gratiani cum Notis Stephani Baluzii, in 8. Parisiis 1672.

Le Lorin Chapelain de la Cathedrale de Rouen. Les Conciles Generaux & Particuliers, leur Histoire avec des Remarques sur leurs differentes Collections, in 8. Cologne 1717. *In hoc Opere extat Dissertatio*, in qua Auctor contra Voellum, Justellum, & Beveregium contendit, ante sextum Concilium Carthaginense nullum Africam peculiarem Canonum Codicem habuisse.

Petri Josephi Cantelii Dissertatio de Synodis Provincialibus, Nationalibus, OEcumenicis. *Hæc Dissertatio est quinta* primæ Partis cujusdam Operis, quod inscribitur. *Metropolitanarum Urbium. Historia civilis & ecclesiastica, in 4. Parisiis* 1684. *Quæ sequitur, est de Ratione & subscribendi & considendi in Conciliis.*

Emanuelis a Schelstrate Antiquitas illustrata circa Concilia Generalia & Provincialia, in 4. Parisiis 1678. *Secunda hujus Operis Pars* excusa est Tom. XI. Bibliothecæ Auctorum, qui pro Juribus Sanctæ Sedis scripserunt, per Roccabertum pag. 28.

Synodi in causa Pelagianorum habitæ vivente Sancto Augustino. *Hæc Dissertatio habetur* in Editione Marii Mercatoris per P. Garnier 1673. Part. 1. Append. 2. p. 165. Ejusdem Auctoris habetur alia Dissertatio de Conciliis in causa Nestorii habitis; extat ea Part. 2. pag. 331.

Thomæ Hurtado de germana intelligentia quorumdam Canonum Illiberitani Concilii. *Hæc Observatio habetur* in Tractatu Theologico hujus Auctoris ita inscripto: *Resolutiones Orthodoxo-Morales in fol. Coloniæ* 1655.

Joannis Georgii Dorschæi, Theologi primum Argentoratensis, deinde Rostochiensis, Exercitatio ad Concilium Nicænum primum, in 4. Argentorati 1653. *Idem Lutheranus* Auctor emiserat ann. 1649. Dissertationem in Concilium Francfordiense, ann. 1650. aliam in Sirmiense, anno 1652. aliam in Arausicanum, omnia in 4.

Lucæ Holstenii Dissertatio de locis quibusdam Concilii Nicæni, *Habetur ad finem* Editionis Theodoreti per Valois p. 187.

Georgii Bulli de Patribus Ante-Nicænis inter ejus Opera a Joanne Ernesto Grabio edita, in fol. Londini 1703.

Joannis Launoii de recta Nicæni Canonis sexti intelligentia, in 8. Lutetiæ 1640.

— Idem in 8. Parisiis 1662.

Propugnatio Dissertationis de recta Nicæni Canonis sexti intelligentia, in 8. Lutetiæ 1671.

Jacobi Sirmondi Censura conjecturæ anonymi Scriptoris de Suburbicariis Regionibus & Ecclesiis, in 8. Parisiis 1618.

— Propempticum Claudio Salmasio adversus ejus Eucharisticon de Suburbicariis Regionibus & Ecclesiis in 8. Parisiis 1622.

Gualtheri Diatribe de Constantini Magni Baptismo, donatione & legatione ad Concilium Nicænum contra Cæsarem Cardinalem Baronium, in 18. Jenæ 1618.

Balthazaris Mentzeri Exercitatio in Concilium Nicænum, in 4. Gissæ Hessorum 1652.

Dionysii Petavii Elenchus utriusque Diatribæ Sirmondi de Photino & Sirmiensi Synodo pro anno 351. *Vid. Tom. 4. Oper. P. Sirmondi pagina* 585.

— Dissertatio de Photino, ejusque damnatione, ibidem p. 539.

Paschasii Quesnel Dissertatio de Conciliis Africanis in Pelagianorum causa celebratis, ab obitu Innocentii Papæ I. usque ad Zosimi adversus eosdem Sententiam. Item de veteri Codice Ecclesiæ Romanæ.

— De primo usu Codicis Canonum Dionysii Exigui in Gallicanis Regionibus. *Hæ* sunt XII. XIII. & XVI. Dissertationes impressæ in Editione Operum S. Leonis per P. Quesnellum.

De prima Canonum Collectione, cujus fuit in Ecclesia Græca usus, consuli possunt X. & XI. Usserii Epistolæ. Hujus Auctoris Epistolæ excusæ sunt in 4. Parisiis ann. 1665.

* Emanuelis a Schelstrate Ecclesia Africana sub Primate Carthaginensi, in 4. Parisiis 1679.

* Guillelmi Beveregii Codex Canonum Ecclesiæ Primitivæ vindicatus & illustratus, in 4. Londini 1678. Hic Auctor contendit, Collectionem Canonum Apostolorum saltem ad sæculum secundum pertinere. Opus hoc iterum excusum est in Editione Patrum Apostolicorum a Coteletio data Bataviæ.

Decas prima Disputationum Historico-Theologicarum de Conciliis Auctore Joanne Lampadio, in 8. Bremæ 1613. Hic Lutheranus Auctor Bremæ emisit tres Decades in hoc argumentum; primam ann. 1613. alteram 1615. tertiam 1618.

De Launoy Epist. Lib. 8. epist. 12. ostendit, parum inter Auctores convenire de Conciliorum OEcumenicorum numero post Græcorum Schisma.

Garsias Loaisa de Primatu Ecclesiæ Toletanæ. *Tractatus hic impressus est in Editione Conciliorum* Hispaniæ per eumdem Loaisa, in Editionibus sequentium Collectorum, & Tom. 2. p. 437.

p. 437. Conciliorum Hispaniæ per Cardinalem d'Aguirre. Initio Conciliorum hujus Cardinalis habentur plures ejusdem Loaisæ Epistolæ, quarum lectio ad Conciliorum Hispaniæ intelligentiam necessaria est.

Ejusdem Loaisæ Epistola ad Laurentium Suaresium de Primatu Toletano. *Vid. Append. Baluz. ad Marcam de Primatibus p.* 413.

Joannis Baptistæ Perez Chronologia Conciliorum Hispaniæ. *Habetur impressa tom.* 1. *p.* 13. Conciliorum Cardinalis d'Aguirre. Hic Auctor primum fuit ex familia Gasparis Quiroga Chonchi Episcopi, deinde Canonicus Toletanus, & Episcopus Segorbiæ. Idem magna cura collegit & in ordinem digessit Memorias, quas laudatus Cardinalis miserat Gregorio XIII.

Series Chronologica 17. Conciliorum Toletanorum. Habetur inter Commentaria Alphonsi Villadiego, de quo Andræas Schottus in sua Hispaniæ Bibliotheca tom. 1.

Antonii Augustini de Episcopis & Conciliis Cæsaugustanis. *Hic confecit etiam* Dialogum de Conciliis Hispaniæ, qui una cum suis Observationibus in Episcopos & Concilia Cæsaraugustana extat tom. 1. Concilior. Hispaniæ per Cardinalem d'Aguirre p. 9.

Polycarpi Lyseri Dissertatio circa historiam Conciliorum Moguntinensium, & in primis Concilii anno 1310. habiti, in 4. Helustadii 1713.

Thomæ Ittigii Observatio de Concilio Apostolorum, in quo immaculata B. V. M. Conceptio decreta perhibetur. *Ea extat ad finem* Supplementi Clementis Alexandrini ab eodem Auctore dati, in 8. Lipsiæ ann. 1700.

—— Observatio secunda de numero Canonum Nicænorum adversus Cardinalem d'Aguirre, ibid. pag. 191.

Emanuelis a Schelstrate Antiochenum Concilium auctoritati suæ restitutum, in 4. Antuerpiæ 1681.

Emanuelis Gonzales Tellez Concilium Eliberitanum cum discursibus Apologeticis Ferdinandi de Mendoza olim editum, adjunctis nunc diversorum Notis, suisque uberioribus, in fol. Lugduni 1665.

Joannis Launoii Constantiensis, Parisiensis Theologi de vera notione plenarii apud Augustinum Concilii in causa Rebaptizantium, in 8. Parisiis 1644.

—— Idem in 8. 1661.

—— Idem Parisiis in 8. 1677.

Confirmatio Dissertationis de vera plenarii apud Augustinum Concilii notione, in 8. Parisiis 1667.

—— Remarques sur la Dissertation où l'on montre en quel tems & pour quelles raisons l'Eglise universelle consentit à recevoir le Baptême des Hérétiques; & par où l'on découvre ce qui a donné occasion aux Auteurs, qui ont traité de cette matiere, de s'etre égarez dans la recherche qu'ils ont faite du Concile Plenier, qui termina suivant S. Augustin cette contestation, in 8. Paris 1675.

Réponse du sieur David aux Remarques sur la Dissertation du Concile Plenier, dont a parlé S. Augustin en disputant contre les Donatistes, in 8. Paris 1671.

Examen de la Preface & de la Réponse de M. David aux Remarques sur la Dissertation du Concile Plenier &c. in 8. Paris 1672.

Joannis Nicolai Dissertatio de Concilio Plenario contra Donatistas, in 12. Parisiis 1667.

De Concilio Teleptensi vel Zellensi in Africa anno 418. habito Dissertatio, in qua defenditur veritas hujusce Concilii. *Ea est ad finem Operis De-Marca De concordia Sacerdotii & Imperii, impressa in fol. Parisiis* 1704.

Leonis Allatii Vindiciæ Synodi Ephesinæ & S. Cyrilli de processione Spiritus Sancti, in 8. Romæ 1661.

Petri de Marca Dissertatio de Sirmiensi Synodo pro anno 357. *Ea habetur inter ejus Opuscula*.

Facundus pro defensione trium Capitulorum Concilii Chalcedonensis cum Notis Jacobi Sirmondi, in 8. Parisiis 1629.

Gentiani Herveti de reparanda Ecclesiasticorum disciplina oratio, qua interpretatur sextum Canonem Concilii Chalcedonensis, in 8. Parisiis 1561.

Andreæ Chevillerii Dissertatio in Synodum Calcedonensem de formulis fidei subscribendis, in 4. Parisiis 1664.

Davidis Nicetæ cognomento Paphlagonis liber pro Synodo Chalcedonensi contra Epistolam Regis Armeniæ. *Liber hic habetur impressus tom.* 1. *p.* 663. *Operis Allatii, quod inscribitur Græcia Orthodoxa*.

Ludovici Ducini S. I. Specimen Observationum ad Nestorianam hæresim ac potissimum ad postremam Actionem Concilii Chalcedonensis, in 12. Parisiis 1698.

Agaunensis Concilii Acta an sint supposititia. *Hæc quæstio agitatur ab iis, qui ediderunt Acta Martyrum Legionis Thebanæ, præsertim a P. Le Cointe tom.* 3. *suorum Annalium* Paris. 1668. & a Thierry Ruinart inter Acta genuina Martyrum 1689.

Joannis Jacobi Chiffletii de loco legitimo Concilii Epaonensis observatio, in 4. Lugduni 1621.

Dissertation sur la decouverte du lieu d'Epaone où a été tenu le Concile National des Eveques du Royaume de Bourgogne en l'an 517.

Jacobi Sirmondi Antirrheticus de Canone Arausicano adversus Petri Aurelii responsionem, in 8. Parisiis 1633.

—— Antirrheticus secundus adversus Petri Aurelii Anæreticum, in 8. Parisiis 1634.

Alberti Pighii Diatriba de Actis sextæ & septimæ Synodorum. *Ea habetur inter* hujus Auctoris Controversias fol. 262.

Francisci Combefis Vindiciæ Actorum sextæ Synodi Generalis contra Pighium & Baronium. *Vid. ejusdem Auctoris Dissert.* 2. *de Hæresi Monothelitarum*.

Leonis Allatii de octava Synodo Photiana cum refutatione Disputationis apologeticæ Joannis Henrici Hottingeri & Juvenis Ulmensis exercitationis de Ecclesia Græcanica hodierna, in 8. Romæ 1662.

Matthiæ Raderi de octavo Concilio Constantinopolitano, in 4. 1604.

Roberti Quatremarii Concilii Remensis, quod in causa Godefridi Ambianensis Episcopi celebratum (ann. 1109.) fertur, falsitas demonstrata, in 8. Parisis 1663.

Thomæ Vane Vindiciæ magni Concilii Lateranensis contra Joannem Cosenum, in 8. Parisiis 1650.

Guillelmi Singletoni (i. e. Leonardi Lessii) discussio Decreti in Concilio Lateranensi de potestate Ecclesiæ in temporalibus, in 8. Moguntiæ 1613.

Rogeri VVidringtoni Discussio discussionis Decreti magni Concilii Lateranensis adversus Lessium, in 8. Augustæ 1618. Anglus Auctor contra Lessium vult, Concilium hoc Lateranense nullam inter ipsos Catholicos auctoritatem habuisse.

Dissertation touchant le Concile qu'on dit avoir été tenu a Lyon en 1297. *Vid. Librum Sulpicii de Mandrinis contra Optatum Gallum*.

Francisci de Zabarellis Cardinalis, qui vivebat anno 1406. de sui temporis schismate inter Innocentium VII. & Benedictum XIII. & ad quem pertinet jus indicendi Concilium, in 8. Moguntiæ 1607.

Examen Canonis Concilii Constantiensis de usu calicis interdicto laicis, in 8. 1610.

* Antoine Arnaud, Eeclaircissement sur l'auctorité des Conciles Generaux & des Papes, ou Explication du vrai sens des trois Decrets des Sessions IV. & V. du Concile General de Constance, in 8. 1701.

Jean Gerbais, Traité du celebre Panorme sur le Concile de Bale, in 8. Paris 1697.

Cataldini Boncompagni de translatione Concilii Basileensis Ferrariam. *Opus hoc* extat pag. 1. tom. 6. Biblioth. Roccaberti, & in Tractatu Tractatuum Juris, tom. 13. part. 1. fol. 15.

Simonis Vigorii de auctoritate Concilii Generalis supra Papam ex responsione Synodi Basileæ data Oratoribus Eugenii IV. in 8. Coloniæ 1513.

Joannis de Turrecremata de Papæ Conciliique Genera-

neralis auctoritate ad Basileensium Oratorem Responsio studio Cam. Campegii. *Hoc opus impressum fuit in 4. Venetiis ann. 1563. cum Opusculis Nicolai de Clemengis* P. Echard tom. 1. p. 842. *Biblioth. Scriptorum Ordinis S. Dominici, plura commemorat hujus Auctoris Opera contra Concilium Basileense, quæ nondum excusa fuere.*

Gennadii Scholarii Defensio quinque Capitum Florentinæ Synodi Latine interprete Fabio Benevolentio, in 4. Romæ 1579.

— Idem ad usum Græcorum, Græco-vulgari versum, in 4. Romæ 1628.

Leonis Allatii Exercitationes in Roberti Creyghtoni Apparatum Versionem & Notas ad historiam Concilii Florentini scriptam a Sylvestro Sguropulo de unione inter Græcos & Latinos, in 4. Romæ 1665.

Διήγησις περὶ τῆς ἁγίας συνόδου τῆς φλωρεντίας, in 12. Romæ 1628.

Josephi Methonensis Episcopi Apologia pro Concilio Florentino adversus Marcum Ephesinum. *Habetur impressa tom. 12. Concil. Labbæi col. 677.*

Francisci Antonii Missani Epistola ad Carolum Quintum super sacra Synodo habenda, in 4. Neapoli 1541. & 1546.

Dionysii Petavii Dissertatio de Tridentini Concilii interpretatione & S. Augustini doctrina, in 8. Parisiis 1649. 2. vol.

Joannis Henrici Heideggeri Anatome Concilii Tridentini, in 8. Tiguri 1672.

Augustini Reding Veritas inextincta Concilii Tridentini adversus Joannem Henricum Heideggerum, in fol. typis Monasterii Einsidlensis 1684. *Hujus Monasterii Abbas scripsit pariter contra quatuor Propositiones Cleri Gallicani ann. 1682.*

Jacobi Laynes doctrina Sacri Concilii Tridentini de Sacramento Ordinis. *P. Sotvelle in Biblioth. Scriptor. Societat. Jesu testatur, opus hoc Auctorem habere prædictum Laynes, qui Concilio Tridentino interfuit.*

Stephani VVeims Analysis ad XXIV. Constitutiones ex antiquo jure desumptas per Concilium Tridentinum innovatas, in 4. Lovanii 1628.

Christophori a Sacro-Bosco defensio Concilii Tridentini & Sententiæ Bellarmini de auctoritate vulgatæ editionis, in 8. Antuerpiæ 1604.

Joannis Launoii Dissertatio de mente Concilii Tridentini circa Satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ, in 8. Parisiis 1644.

— Idem in 8. Parisiis 1664.

Jacobi Boonem Epistola ad Cardinales Interpretes Concilii Tridentini, in 4. Bruxellis 1657.

Sanson Geographia Synodica sive Regionum, Urbium, & locorum ubi celebrata sunt Concilia OEcumenica, Nationalia, Provincialia, & Synodi Diœcesanæ; Tabula Geographica prima, quæ totius Orbis partes continet ex conatibus Geographicis Guillelmi Sanson Nicolai filii 1667. Lutetiæ Parisiorum apud Petrum Mariette. *Hæ Tabulæ extant in Apparatu P. Labbæi suæ Conciliorum Collectioni addito.*

Syllabus aliquot Synodorum & Colloquiorum super negotio Religionis 1628.

Laurentius Brancatus De Laurea, Cardinalis, Epitome Canonum omnium, in fol. Romæ per Mascardum 1659. *Compendium hoc ordine alphabetico confectum est; de eo nos in Introduct. Critic.*

Philippi Labbè omnium Conciliorum historica Synopsis, in 4. Parisiis per Societatem Typographicam 1661.

Catalogus Synodorum Ecclesiasticarum & Epistolarum Decretalium ex Collectione Petri Pithæi Jurisconsulti. *Impressus est cum antiquo Codice Ecclesiæ Romanæ p. 374.*

Dominici-Mariæ Pozzobonello O. P. Indiculus Sacrorum Canonum atque Conciliorum. *P. Echard docet, Opus hoc esse adhuc MS. Vid. Biblioth. Scriptor. sui Ordinis* tom. 2. p. 717.

Clavis Ecclesiasticæ disciplinæ, seu Index universalis totius Juris Ecclesiastici, ad Regiam non modo, sed ad quamcumque aliam Conciliorum Editionem accomodatus, Auctore God. Hermant, in fol. Insulis 1693. *Vid. Introd. Critic. Salmon Concil.*

Petrus Annatus Congregationis Christianæ Doctrinæ, de Conciliis. *Ita inscriptus est Liber quintus Operis, quod hic Auctor edidit sub hoc titulo: Methodicus ad Positivam Theologiam apparatus, in 4. Parisiis Couterot 1700.*

Pauli Celotti Conciliorum Generalium Catena aurea publicæ disputationi exposita, in 4. Romæ per Lucam-Antonium Chracas 1703.

Ellies Dupin Table universelle des Conciles disposez par ordre chronologique, & de leurs Actes, Lettres, Formules de Foi, Canons & Capitules, in 8. Parisiis Pralard 1704. *Idem Auctor quolibet novæ Bibliothecæ Auctorum Ecclesiasticorum volumine recenset Concilia cujusque sæculi; & quid in iis actum sit.*

Analyse ou Idée generale des Conciles Oecumeniques & Particuliers en deux Parties, in 8. à Cologne Egmond 1706. 2. vol. *Hujus Operis Auctor Concilia in duo diversa tempora dispescit ratione Juris antiqui, & Juris Novi, ne antiquam disciplinam cum recenti confundat, Vid. Introd. Critic.*

M. de Limiers nouvelle Cartes des Conciles Generaux & Particuliers qui se sont tenus en Europe, en Asie, en Afrique & en Amerique, avec des Tables qui en indiquent le nombre & l'année &c. *Ea est tom. 7. Atlantis historici.*

Enumeration des Conciles qui ont été célébrez dans chaque siecle de l'Eglise. *De his Vallemontius tractavit tom. 3. Elementor. Historiæ impres. in 8. Parisiis 1714.*

Le P. Le Long, Liste des Conciles & des Synodes de France par ordre alphabetique. *Ea habetur Lib. 2. ejusdem Biblioth. historic. p. 89.*

Summula Conciliorum Generalium a D. Bouchard Presbytero Diœceseos Bisuntinæ, Doctore in utroque Jure & Protonotario Apostolico, in 12. Parisiis Emery 1718.

De Conciliis Ecclesiasticis eorumque Collectionibus. *Hoc est argumentum Capitis secundi vol. 11. Biblioth. Græc. Joannis Alberti Fabricii in 4. Hamburgi 1722. Addidit duas Conciliorum Tabulas, alteram ordine alphabetico, alteram ordine sæculorum, ut extant in Editione Regia, quam confert cum Labbæi & Harduini Editionibus.*

IX.

Plura Operum Genera ad Conciliorum rem pertinentia.

INdiculi duo in Ferrandum & Crescominum, quorum unus materiam Canonum, alter vero consonantiam & discrepantiam inter utrumque declarat e MS. exemplari Guillelmi Bluetti in Senatu Parisiensi Advocati nunc primum editi. *Duæ hæ Tabulæ extant in Biblioth. Juris Canonici tom. 1. p. 467.*

Nili Rhodii Episcopi Enarratio Synoptica de novem OEcumenicis Synodis Græce & Latine. *Habetur in Biblioth. Juris Canonici tom. 2. p. 1115. per partes vero in Collectione Labbæi. Harduinus integram edidit tom. 5. Concilior. col. 1479.*

Nicolai Selnecceri Catalogus præcipuorum Conciliorum OEcumenicorum & Nationalium in Academia Lipsiensi dictatus, in 8. Francofurti 1571. *Citatur p. 124. Biblioth. Rhemens.*

Cl. Bassius Conciliorum ex habitabili orbe convocatorum explanatio Græce & Latine, in 8. Parisiis 1553.

Joannes Pappus, Epitome Historiæ Ecclesiasticæ de Conciliis OEcumenicis in 8. Argent. 1581. *Compendium hoc pars est alterius Compendii inscripti:* Epitome historiæ Ecclesiasticæ de conversionibus Gentium, persecutionibus Ecclesiæ, de Hæresibus & de Conciliis OEcumenicis.

Gabrielis Prateoli Concilia Ecclesiæ Christianæ. *Impressa sunt initio Operis, quod idem Prateolus edidit hoc titulo: De vitis, sectis, & dogmatibus omnium Hæreticorum,* in 4. Coloniæ 1583. & in Joannis Gruneri Chronic. Ecclesiast. tom. 2.

V Fran-

Francisci Padillæ Conciliorum omnium Index, Chronographia & Epitome, in 4. Madriti 1587.

Davidis Chytræi Catalogus Conciliorum, in quo nomina præcipuarum Synodorum & loca ac tempora quibus singulæ celebratæ sunt breviter indicantur, cum Elencho Synodorum ex libello Synodico & Catalogo Chytræi una cum Synodico Pappi, in 4. Argentorati 1601.

Adriani Behotii magni Archidiaconi Rothomagensis Canones Ecclesiastici ad Ecclesiæ Gallicanæ usum collecti, in 8. Parisiis Chevalier 1605.

X.

Peculiares quorumdam Conciliorum Editiones.

CONcilii Niceni I. Acta & Canones Latine: Studio Alphonsi Pisani, in 8. Dilingæ 1572.

— Ejusdem Concilii Canones 80. ex Arabico Latini facti, cum Francisci Turriani Præfatione & Annotationibus, in fol. Antuerpiæ 1578.

Concilium Ephesinum Latine per Peltanum, in 4. Ingolstadii 1576.

— Idem Græce ex Reutchlianæ Bibliothecæ exemplari pervetusto, in fol. Heidelbergæ apud Commelinum 1591.

— Idem in fol. 1594. & 1605. *Postrema hujus Editionis Auctor addidit Historiam & Acta Concilii Nicæni per Gelasium Cyzicenum.*

Ad Ephesinum Concilium variorum Patrum Epistolæ editæ a Christiano Lupo ex Codice Cassinensi, in 4. Lovanii 1642. 2. vol. Baluzius eas iterum protulit in sua nova Conciliorum Collectione.

Concilium Constantinopolitanum sub Menna Patriarcha Græco-Latine cum Zonara in Canones Conciliorum, in fol. 1618.

* Synodus Parisiensis de Imaginibus anno Christi 824. in 8. Francofurti 1596. Iterum impressa est in Collect. Constitutionum Imperialium, Auctore Melchiore Goldast, vol. 1. & in supplem. Concilior. Galliæ per Petrum de la Lande.

Liber Carolinus de Imaginibus seu Caroli Magni Imperatoris Opus contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis Imaginibus gesta est, in 16. 1549. & in 8.

Gesta duorum Conciliorum, quæ inter reliqua minus reperiuntur, nempe Maguntiaci quod celebratum est anno 833. quinto Idus Junii, & Vormaciensis quod septimo Kalendas Junii &c. in 4. Basileæ apud Henricum Petri 1532.

Concilium Duziacense primum anno 871. cum Notis Cellotii, S. J. in 4. Parisiis 1656. *Concilium & Notæ habentur tom. 8. Concilior. Labbei col. 1542.*

Concilium Remense in causa Arnulfi Archiepiscopi, in 12. Francofurti 1600.

* Concilium Pisanum ann. 1409. celebratum ad tollendum Schisma cum Concilio Senensi anno 1423. &c. cum Actis inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, in 4. Parisiis 1612.

Apologia pro Concilio Pisano, in 4. 1511.

Varia ad Concilium Pisanum pertinentia, scilicet Philippi Decii consilia pro Concilio Pisano. *Habentur vol. 2. Goldastii de Monarchia.*

Aliud Philippi Decii consilium pro Cardinalibus, in 4. Parisiis 1612.

Concilii Constantiensis Acta & Decreta, in 4. in Oppido Haguenau 1500.

* Magni & universalis Constantiensis Concilii Tomi sex: Opera & labore Hermanni Vonderhardt, in fol. Francofurti & Lipsiæ 1700.

Emanuelis a Schelstrate de sensu & auctoritate Decretorum Constantiensis Concilii Sess. IV. & V. circa potestatem Ecclesiasticam editorum, in 4. Romæ 1686.

Varia ad Concilium Constantiense pertinentia. Vid. Codex Juris Gentium Diplomaticus Leibnitzii p. 130. &c.

Concilium Basileense cum Commentariis Æneæ Sylvii. *Impressum fuit in fol. separatim, & cum Operibus Pii II. Pinsson pariter evulgavit in Pragmatica Sanctione.*

Juliani Cardinalis ad Eugenium IV. Epistolæ duæ de Concilio Basileensi. *Extant in Collectione Orthuini Gratii fol. 28.*

Pii II. Narratio de actis & gestis in Concilio Basileensi, ibidem fol. 1.

De coronatione Felicis V. in eodem Concilio, ibid. fol. 27.

Varia ad Concilium Basileense pertinentia. Vid. Codex Juris Gentium Diplomaticus Leibnitzii tom. 1. artic. 143. pag. 363. & art. 146. p. 369. & tom. 2. p. 130.

Acta Generalis octavæ Synodi sub Eugenio quarto Ferrariæ incæptæ, Florentiæ peractæ, in fol. Romæ 1526.

Concilium Florentinum Generale Græco-Latinum in fol. Romæ 1577. 2. vol.

Concilii Florentini Acta cum Notis Horatii Justiniani, in fol. Romæ 1638. *Habentur etiam tom. 13. Labbei col. 825.*

Ejusdem Concilii Historia per Sguropulum cum Versione latina Roberti Creyghton, in fol. Hagæ-Comitis per Adrianum Vlacq 1660.

Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. celebratum, in fol. Romæ 1521.

* Concilium Tridentinum, in fol. Romæ apud Manut. 1564. in 4. Antuerpiæ 1565. & Lugduni 1566.

— Idem cum Orationibus, in fol. Lovanii 1567. & Parisiis 1667. *Editio Antuerpiæ per Plantinum 1640. in 12. est omnium pulcherrima. Concilium hoc egregie in gallicam linguam translatum fuit ab Abbate Chanut, cujus versio excusa fuit in 4. Parisiis 1674. & in 12. 1680. Editio prima rara est & splendida. F. Paulus Sarpius italice hujus Concilii scripsit Historiam: editio pulchrior est Londiniana in fol. 1619. data sub nomine Petri Soavis Polani. Magno est in pretio ejus Gallica Versio confecta ab Amelot de la Houssaye, & præsertim Editio in 4. Amstelodami 1686. Cardinalis Sforzia Pallavicinus hujus Concilii italice & egregie scripsit Historiam Romæ impressam 1656. 2. vol. in fol. & 1664. 3. vol. in 4. Editio prima rarior.*

* Memoires de M. Dupuy touchant le Concile de Trente, in 4. Paris 1654. *Quarta h[illegible] qua inscripta est, Instructions & [illegible] des Rois de France & de leurs A[illegible], & autres Actes concernant le Concile de Trente pris sur les originaux, aucta est m[illegible] illorum numero deductorum ex commentariis de M. D. h. est Messieurs Dupuy.*

Acta Ecclesiæ Bononiensis, in fol. 1578.

Acta Ecclesiæ Mediolanensis sub S. Carolo, in fol. Mediolani 1599. Et Brixiæ in 4. 1603. *In hac postrema Editione habetur etiam Vita Sancti Caroli.*

— Eadem Parisiis 1643.

— Eadem auctiora, in fol. Lugduni 1683.

Concilium Hierosolymitanum contra Calvinistas, in 8. Parisiis 1677.

— Idem cum Exercitationibus Samuelis Schelguigii, Lipsiæ 1678.

X I.

Canones Pœnitentiales. Eorum Collectores antiqui, & recentes, aliique Libri huc pertinentes.

EPistola Canonica S. Gregorii Thaumaturgi. *Impressa est inter Opera hujus Patris: in Collectione Concilior. Labbei tom. 1. col. 838. & post Epitomem Juris Canonici Antonii Augustini.*

Epistola Canonica S. Gregorii Nysseni. *Impressa est in variis Operum hujus Patris editionibus, & in plerisque Conciliorum collectionibus, & in collectione Canonum Pœnitentialium impressa post Epitomem Juris Canonici Antonii Augustini.*

Canones Pœnitentiales secundum S. Hieronymum. *Hos P. Martianay eduxit ex MS. 400. annorum Monasterii S. Andreæ prope Avenionem, cos-*

eosque edidit inter Opera supposititia S. Hieronymi tom. 5. p. 5.

Ex Joannis Jejunatoris Pœnitentiali varia antiquorum excerpta. *Hæc excerpta sunt excusa in Tractatu de Pœnitentia P. Morini p. 98.*

Consequentia & ordo erga eos qui peccata confitentur, observandus; a sancto Patre nostro Joanne Jejunatore compositus & institutus. *Impressus est post Tractatum de Pœnitentia P. Morini p. 77. Idem Auctor pag. 91. edidit hujus Patriarchæ sermonem de Confessione & Pœnitentia.*

Pœnitentiale S. Columbani. *Impressum est in Codice Regularum edito ab Holstenio in 4. Romæ 1661. & Parisiis 1663. Part. 2. p. 92. inter Opera S. Columbani impressa Lovanii 1667. & in Biblioth. Patrum Lugduni tom. 12. p. 21.*

Pœnitentiale Cumeani. *Impressum est cum Operibus S. Columbani Lovanii 1667. & tom. 12. Biblioth. Patrum Lugduni p. 42. Ad Pœnitentialia Vinniani & Cumini vide observationes P. Mabillonii initio suorum Analector.*

Theodori Cantuariensis Pœnitentiale cum Notis Joannis Petit, in 4. Parisiis 1667. 2. vol. *P. d'Acheri dedit quædam Capitula hujus Archiepiscopi tom. 9. Spicilegii p. 52. & post hunc Labbæus tom. 6. Concilior. p. 1877. Spelman Titulos tantum ediderat 78. Capitulorum tom. 1. Collectionis Conciliorum Angliæ. Petit addidit plures Canones ex antiquis Pœnitentialibus extractos: Sed rem gratiorem fecisset, inquit Baillet, si dedisset Pœnitentiale Theodori ex aliquo integro MS. cujusmodi est Vaticanum, lectum & probatum a Baronio ad ann. 51. n. 24. &c.*

Jugement de Sçavans.

Libellus de Remediis peccatorum. *Impressus est tom. 4. Anecdoctor. P. Martene p. 21.*

Collectio antiqua Canonum Pœnitentialium. *Impressa est inter Anecdota P. Martene tom. 4. pag. 31.*

Pœnitentiale, scil. judicia congrua pœnitentibus, Capitula 33. excerpta ex Patrum dictis Canonumque sententiis. *Hæc excerpta extant in Biblioth. Patrum Parif. 1589. & 1654. tom. 6. & tom. 6. Concilior. Labbæi col. 1476. sub nomine Papæ Gregorii III.*

Bedæ de Remediis peccatorum. *Compendium hoc vulgatum fuit cum aliis Canonibus Pœnitentialibus in Collectione, quam dedit cum Notis Antonius Augustinus, in 4. Tarracone 1582. & Venetiis 1584. & in Epitome Juris Canonici ejusdem Auctoris excusa Romæ 1614. & Parisiis 1641. Insertum est etiam Operibus Bedæ, Conciliis Angliæ Spelmanni, & Collectioni Labbæi tom. 6. col. 1611.*

Excerptum de Regula Chrodogangi Canonicis suis data. *Impressum est post Tractatum Pœnitentiæ P. Morini p. 43.*

Excerptum de Canonibus Catholicorum Patrum vel Pœnitentiæ ad remedium animarum Domini Ecberti Archiepiscopi Eburacæ civitatis. *Impressum est eodem loco p. 11.*

Exceptiones Ecberti Eboracensis Archiepiscopi e dictis & Canonibus Sanctorum Patrum concinnatæ. *Impressæ sunt tom. 1. Concilior. Angliæ & tom. 6. Collection. Labbæi col. 1586.*

Joannis Monachi & Diaconi, Discipuli Magni Basilii, cui cognomentum est, filius obedientiæ, Canonarium, sigillatim explicans pravos animi affectus, morbosque, & pœnitentias his convenientes, nec non quæ de communione, cibo, potu & oratione observanda sunt, clementer admodum definiuntur. *Hoc opus impressum extat post Tractatum de pœnitentia P. Morini p. 101.*

Collectio antiqua Canonum Pœnitentialium. *Impressa est in Spicilegio P. d'Achery tom. 11. p. 1. editionis antiquæ, & tom. 1. p. 509. Editionis novæ.*

Exceptus diversarum modus Pœnitentiarum a Benedicto Abbate (Anianensi) distinctus de regula S. Benedicti Abbatis. *Hunc Baluzius inseruit Appendici tom. 2. Collectionis suæ Capitularium col. 1385.*

Rabani Mauri Pœnitentium Liber. *Ex quadraginta Capitulis Pœnitentialis Rabani, quæ habentur ad finem Epitomes Juris Canonici, Auctore Antonio Augustino, viginti similia sunt Pœnitentiali Rabani edito a Stevartio in Tomo singulari insignium Auctorum, sed alio ordine. Sexdecim Capitula a Stevartio allata desiderantur in Editione Antonii Augustini. Aliud in hoc argumentum habetur Rabani Opus, scil. ejus epistola ad Regimboldum Chorepiscopum Magontinum, in lucem edita a Baluzio tom. 2. Capitular. p. 1378. Circa hoc Pœnitentiale consuli possunt Observationes P. Mabillonii suorum Analector. initio.*

Salmon Concil.

Liber Pœnitentialis ex scrinio Romanæ Ecclesiæ assumptus. *P. Menardus edidit cum Notis librum hunc pœnitentialem, quem ex antiquo Corbiensi MS. deduxerat. Habetur inter ejus notas ad Sacramentarium S. Gregorii impressas Parisiis in 4. 1642. p. 238. in nova Editione Operum S. Gregorii tom. 3. p. 162. in Biblioth. Patrum Lugduni tom. 14. p. 926. & post Tractatum de Pœnitentia P. Morini p. 5. Menardus credidit, ante editionem suam hoc opus in lucem non prodiisse, cui consensit etiam Morinus; attamen, & quidem amplius, reperitur in Tomo singulari insignium Auctorum Stevartii impresso in 4. Ingolstadii 1616. annos sex & viginti antequam Menardus in lucem daret suas Observationes ad Sacramentarium S. Gregorii. Beatus Rhenanus in sua Admonitione ad dogmata Tertulliani, quædam citat ex Pœnitentiali Romano, quæ in hoc non apparent.*

Confitentium ordo. *Morinus in lucem dedit hoc opus ex antiquo MS. Biblioth. Cardinalis Barberini. Habetur post ejus Tractatum de Pœnitentia p. 118.*

Excerpta a Reginone ante annos 750. ex Pœnitentiali Romano & Pœnitentialibus Theodori Archiepiscopi Cantuariensis & Bedæ. *Post Tractatum de Pœnitentia P. Morini p. 39.*

Excerptum ex Pœnitentiali Mag. Bartholomæi Oxoniensis Episcopi. *Impressum est post Pœnitentiale Theodori Cantuariensis editum a Petit pag. 331. tom. 1.*

Excerptum ex Tractatu de Pœnitentia, quem continet Summa Petri Cantoris Parisiensis. *Impressum est post idem Pœnitentiale Theodori Cantuariensis per Petit tom. 1. p. 362.*

Excerptum ex Pœnitentiali Petri Pictaviensis Canonici S. Victoris. *Impressum est cum Pœnitentiali Theodori Cantuariensis tom. 1. p. 341.*

Liber Pœnitentialis Magistri Roberti (de Flamesbure) Canonici S. Victoris & Pœnitentiarii. *Hoc opus extat MS. in Bibliothecis S. Victoris, & Collegii (des Cholets.) Hujus Baluzius edidit Præfationem tom. 7. Suor. Miscellaneor. & Petit compendium post Pœnitentiale Theodori Cantuariensis tom. 1. p. 346.*

Excerptum ex Summa Magistri Præpositivi Cancellarii Parisiensis. *Habetur post Pœnitentiale Theodori tom. 1. p. 365.*

Excerptum ex Summa Magistri Roberti de Chorcon Cardinalis, ibidem p. 367.

Excerpta ex Pœnitentiali Magistri Joannis De Deo Doctoris Decretorum. *Impressa sunt ad finem volum. 1. Pœnitentialis Theodori.*

Petri Exoniensis Summula. *Hoc Opus, quod tribuitur cuidam Episcopo Exoniensi, qui dicitur Quivil, habetur in Conciliis Labbæi tom. XI. col. 1312.*

Magistri Pauli Presbyteri S. Nicolai Summa de Pœnitentia. *Hæc edita fuit inter Miscellanea Raimundi Duellii impressa Augustæ Vindelicorum 1723. ex MS.* Sæculi XIII. *Ejus Auctor erat Canonicus Regularis S. Nicolai prope Pataviam.*

Canones Pœnitentiales Astensis. *Hos Antonius Augustinus in lucem edidit cum Notis Tarracone 1582. in 4. Impressi fuerunt Gandavi in 12. 1662.*

Vetus Confessio Pœnitentium. *Baluzius eam dedit in sua Reginonis Editione p. 616.*

Formulæ veteres Absolutionis Pœnitentium, quæ in usu erant ævo Gregorii XI. & Bonifacii IX. *Habentur in eadem Reginonis editione p. 654.*

Simeonis Thessalonicensis Archiepiscopi Liber seu

Dialogus de Sacramento Pœnitentiæ. *Opus hoc impressum est Græce & Latine post Tractatum de Pœnitentia P. Morini p. 125. Lambecius inter MSS. Theologiæ Biblioth. Imperialis affert num. 206. Syntagma Canonum Pœnitentialium, sub nomine Simeonis, qui dicitur Scholarius, ductum ex Canonibus Apostolicis septem Conciliorum OEcumenicorum, ex Synodis particularibus, & ex scriptis Sanctorum Patrum, ut S. Basilii, & Joannis Jejunatoris, & in ordinem alphabeticum redactum.*

Gabrielis Philadelphiæ de Sacramento Pœnitentiæ Libellus. *Impressus est Græce & Latine post Tractatum de Pœnitentia P. Morini pag. 142.*

Tres Pœnitentiales Andegavenses. *Impressi sunt post eundem Tractatum de Pœnitentia p. 42.*

Excerpta ex tribus MSS. Turonensibus, ibidem pag. 44.

Excerpta ex tribus Codicibus Remensibus, ibid. pag. 46.

Excerpta ex Codicibus antiquis Collegii Foxensis Tolosani, ibid. p. 47.

Excerpta ex quatuor Codicibus MSS. Ecclesiæ Rothomagensis, ibid. p. 47.

Excerpta ex variis Codicibus MSS. Abbatiæ S. Victoris, ibid. p. 48.

Excerpta ex Libris Sacramentorum e Bibliotheca Thuana, ibid. p. 72. *Consuli etiam potest idem Auctor in Notis, quas eodem loco confecit in plures alios Sacramentorum Libros, ut in librum Gelasii, duos Tolosæ, duo MSS. Bellovacensia, & in Librum Sententiarum Roberti Pulli.*

Indicius Pœnitentialis, seu Liber Pœnitentialis Ecclesiæ Gallicanæ. *Hoc Opus impressum est tom. 1. Musæi Italici P. Mabillonii p. 392.*

Antiquus Ordo publice pœnitentium. *P. Pez edidit tom. 2. suor. Anecdot. recentium Part. 2. pag. 611.*

Varii Ordines ad dandam Pœnitentiam & reconciliandos Pœnitentes. *Ex his viginti refert P. Martene Part. 2. Operis ab ipso editi hoc titulo: De antiquis Ecclesiæ Ritibus p. 41. & seqq.*

Excerptum ex Anonymo de Sacramento Pœnitentiæ in Biblioth. S. Victoris Parisiensis. *Impressum est post Pœnitentiale Theodori Cantuariensis per Petit tom. 1. p. 343.*

— Ex formulario Pœnitentiali MS. Bibl. Regiæ Navarræ, ibid. p. 347.

— Ex Libro MS. Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, cui titulus: Corrector & Medicus, qui correctiones corporum & animarum medicinas continet, ibid. p. 356.

— Ex Libro Pœnitentiali MS. Bibl. Victorinæ a diversis Libris Pœnitentialibus desumpto, ibid. pag. 360.

Canones Pœnitentiales XLVII. *Habentur ad finem multarum Editionum Decreti Gratianei. S. Carolus Borromæus ex hoc Decreto, aliisque Pœnitentialibus Canones quosdam Pœnitentiales selegit.*

Ejusdem Gratiani extat Tractatus de Pœnitentia, insertum Causæ 33.

Raymundi de Pennafort Summa de Pœnitentia & Matrimonio cum glossis Joannis de Friburgo in compendium redacta, Coloniæ 1502.

— Integra in fol. Romæ 1603. 1619.

— Eadem in fol Lugduni opera Honorati Vincentii Laget 1718.

FINIS

Catalogi præcipuorum Auctorum, qui Conciliorum Collectiones composuerunt.

TA-

TABULA ALPHABETICA AUCTORUM

Qui in præcedenti Catalogo continentur.

H

HArduinus, Joannes.
Harmenopulus, Constantinus.
Haroldus, Franciscus.
Hartmanus, Joannes-Ludovicus.
Hauteserre, M. de.
Heideggerus, Joannes-Henricus.
Herardus A. Turonensis.
Hermant, M.
Hermant, Godofridus.
Hervetus, Gentianus.
Hieronymus, S.
Holstenius, Lucas.
Hurtado, Thomas.

I

JAnuarius, Nicolaus.
Joannes Antiochenus.
Joannes Jejunator.
Joannes Monachus.
Josephus Ægyptius.
Josephus Methonensis.
Joverius, Franciscus.
Isaac Lingonensis.
Isidorus Mercator.
Ittigius Thomas.
Ivo Carnotensis.
Justellus Christophorus.
Justinianus Horatius.

L

LAbbè, Philippus.
Lampadius, Joannes.
Lande, Petrus de la.
Launoy, M. de.
Launojus, Joannes.
Laurea, Laurentius Brancatus de.
Laynes, Jacobus.
Leibnitz, M.
Lenfant, Jacques.
Limiers, M. de.
Lindwood, Guillelmus.
Loaisa, Garcias.
Long, le P. Le.
Lorin, le.
Lupus, Christianus.
Lydius, Joannes.
Lyserus, Polycarpus.

M

MAan, Joannes.
Mabillon, le P.
Mandrinis, Sulpice de.
Maire, Jean le.
Marca, Petrus de.
Marius, Joannes.
Martene, Edmundus.
Martinus Bracarensis.
Martorelli, Pier-Valerio.
Massobrius, Joannes-Antonius.
Matthæus, Petrus.
Mendoza, Ferdinandus de.
Mentzerus, Balthazar.
Merlinus, Jacobus.
Missanus, Franciscus-Antonius.
Morin, le P.

N

NAusea, Fridericus.
Nicephorus CP.
Nicetas, David.
Nicolai, Joannes.
Nilus Rhodius.

O

ODespun de la Mechiniere, Ludovicus.

P

PAdilla, Franciscus.
Pallavicino, Sforza.
Pappus, Joannes.
Patricius, Augustinus.
Paulus Magister.
Peltan, le P.
Pennafort, Raymundus de.
Perez, Joannes-Baptista.
Petavius, Dionysius.
Petrus Cantor.
Petrus Exoniensis.
Petrus Pictaviensis.
Photius.
Pighius, Albertus.
Pin, Loüis Ellies de.
Pisanus, Alphonsus.
Pithæus, Petrus.
Pithou, François.
Poisson, le P.
Pommeraye, Franciscus.
Pozzobonello, Dominicus-Maria.
Præpositivus.
Prateolus, Gabriel.
Prideaux, I.
Psellus, Michael.
Puccinelli, Callisto.
Pullus, Robertus.

Q

QUatremarius, Robertus.
Quesnel, le P.

R

RAbanus Maurus.
Raderus, Matthias.
Reding, Augustinus.
Regino Abbas.
Remedius Episc. Curiensis.
Richerius, Edmundus.
Rittershusius, Conradus.
Ruellius, Joannes Ludovicus.

S

SAcrobosco, Christophorus à.
Sagittarius, Joannes.
Sanson.
Sautour, M. de.
Schelguigius, Samuel.
Schelstrate, Emanuel à.
Scholanus, Gaspar.
Sculterus, Abraham.
Selneccerus, Nicolaus.
Severtius, Jacobus.
Sguropulus, Sylvester.
Sichardus, Joannes.
Simeon Magister.
Simeon Thessalonicensis.
Singletonus, Guillelmus.
Sirmond, le P.
Sirmondus, Jacobus.
Soave Polano, Pietro.
Sotteallus, Joannes.
Spelman, Henricus.
Starovolscius, Simon.
Stevartius, Petrus.
Surius, Laurentius.
Sylvius, Æneas.
Sylvius, Franciscus.

FINIS.

TABULÆ AUCTORUM

§. I. *Pri-*

VITÆ PONTIFICUM
ET
SERIES CRONOLOGICA CONCILIORUM.

§. I.

Primum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr. I. RIMUS *Christi* in Terris Vicarius fuit *S. Petrus* Apostolorum Princeps, Filius Jonæ, & Andreæ Frater, Bethsaide natus, Piscator, ac Capharnai Civis, qui primo quidem ob *Ecclesiæ Orientalis* negotia *Antiochiæ* per aliquot annos suam fixit Sedem, & in *Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, atque *Asia* Judæis, qui in dispersione erant, Evangelium prædicavit, ut ex eius *Epist.* Cap. 1. v. 1. constat; postea autem primo *Neronis* Anno *Romæ* Sedem Pontificiam fundavit, ibique juxta vulgarem Opinionem 25. præeunte autem *Lactantio* juxta Eruditiores 10. circiter Annis sedit; demum tempore *Neronis* inverso, uti ipsemet petierat, corpore cruci affixus eodem ipso
64. die, quo *S. Paulus* Gentium Doctor, tanquam Civis Romanus prius virgis cæsus, postea capite plexus 29. Junii obiit. Mira, quæ patravit, *S. Lucas in Actibus Apostolorum* studiose enumerat.

II. *S. Linus* Herculano Patre, Volaterris in Tusciæ natus, *Petro* successit. Is Mulieres in Ecclesia velatas comparere jussit. Sedisse scribitur An-
67. nis 11. & Mensibus 3. circiter. Imperante *Vespasiano*, jussu *Saturnini* Viri Consularis, obtruncato capite occubuit. Duo Libri de *Passione DD. Petri & Pauli* ipsi falso adscribuntur, uti peritiores Critici sentiunt.

III. *S. Clemens I.* Faustini Filius, *Romæ*, stirpe Senatoria natus, licet ipsi *Cletum* in Pontificia Cathedra quidam præponant, tertius tamen a *Petro* in Ecclesiæ Romanæ traditione numeratur. Is septem per Urbem Notarios constituit, qui SS. Martyrum Acta diligenter annotarent. Postquam Ecclesiæ 9. Annis, 11. Mensibus, & 12. diebus præfuisset, Pontificatui, uti *Epiphanius* Hæresi 27. & *Damasus* in Chronico testantur, se sponte abdicavit, & a *Gratiano* in Chersonesum Tauricam relegatus, ibidem bis mille Gentiles ad Lapicidinas damnatos, fonte refecit, & ad veram Fidem convertit; ideo jussu *Trajani* anchora collo alligata, A. C. 100. mari submersus, & in loco, ubi Evangelium prædicaverat, sepultus. Inter *Opera*, quæ ipsi adscribuntur, quædam si non apocrypha, saltem oppido sunt dubia, excepta quadam *Epistola ad Corinthios*, quæ, postquam ultra mille annos delituisset, Ann. 1632. *Carolo II.* magnæ Britanniæ Regi inter alia ex *Oriente* transmissa fuit.

77. IV. *S. Cletus* Romanus, Æmiliani Filius, Christique Discipulus Martyr 6. Annis, 2. Mensibus, & 7. diebus Pontificiam Cathedram administravit. Urbem, crescente Fidelium numero, in viginti quinque Parochias, seu Titulos divisit, quos septem Diaconis, qui Plebis curam per suas Diaconias gererent, commisit. Hæc Titulorum origo fuit, quibus hodiedum S. R. E. *Cardinales* insigniuntur. Cæterum Tituli erant certæ Domus, ad agendos Christianorum conventus destinatæ, quarum foribus Cortina, vel Tabula appendebatur, ut eas præ cæteris Christiani cognoscerent. *Ann. Chr.*
Verba illa in Litteris Pontificiis: *Salutem, & Apostolicam Benedictionem* ipsi falso adscribuntur, cum ante *Gregorium VII.* nunquam constanter usitata fuerint. Sub *Domitiano* martyrium implevit.

V. *S. Anacletus* Atheniensis Antiochi Filius, a quibusdam Patrum cum *Cleto* confusus, ordine 95.
V. Romanam Ecclesiam rexit 12. Annis, 2. Mensibus, & 3. diebus. Imperante *Domitiano*, martyrio coronatus est. Tres *inter Decretales* Epistolæ juxta Eruditos ipsi falso attribuuntur, cum in illis multæ *SS. Augustini*, & *Gregorii*, qui *Anacleto* multo posteriores fuere, Sententiæ afferantur.

VI. *S. Evaristus* & ipse Græco Patre in Bethlehem natus, *S. Augustini*, & *Optati Milevitani* testimonio in locum *Anacleti* suffectus, Ecclesiæ Romanæ præfuit, Annis 9. & 3. Mensibus. Antiquis Ecclesiarum Titulis novos adjecit. Martyrii lauream sub *Trajano* adeptus est.

INDEX CONCILIORUM

Primi Sæculi.

Ann. Chr.	*Concilium*	*Pontifex.*
...	Antiochenum	Apostolorum.
33.	Hierosolymitanum I.	
33.	Hierosolymitanum II.	S. Petrus.
50.	Hierosolymitanum III.	
56.	Hierosolymitanum IV.	

§. II.

Secundum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

VII. S. *Alexander I.* Romanus, Alexandro natus, Ecclesiæ præfuit annis 10. circiter. 108.
Sub Imperatore *Trajano* Martyrium passus. Decretum fecisse dicitur de Aqua aspersionis sale benedicenda, atque ad domesticum usum sanctificanda.

VIII. *S. Sixtus I.* Patria itidem Romanus, 116.
Martyr sub *Hadriano* Imperatore. Sedit Annis ferme 10. Duæ ejus titulo Epistolæ leguntur. Extat & in Libro de Romanis Pontificibus ejusdem Decretum de Episcopis, qui Romam evocati fuerint, absque Formata Romani Pontificis Epistola non recipiendis apud suos; itemque aliud, ne Vasa sacra ab aliis, quam a sacratis Ministris contingerentur.

IX. *S. Telesphorus*, natione Græcus, Roma- 126.
nam Sedem nonus Pontifex tenuit. Eodem *Hadriano* Imperante, Martyr occubuit. Jejunii Quadragesimalis Institutum ab Apostolis traditum, decreto sanxit, quo, testante, *Alcuino*, septem hebdomadarum numerum Clericis præscripsit. Tres Missas, die Dominicæ Nativitatis legendas, instituit, Primam noctu in Honorem Æternæ Verbi Generationis e Patre; Secundam in Venerationem temporaneæ Nativitatis e Matre; & Tertiam in Honorem illius Spiritualis Generationis, qua Christus per suam gratiam nascitur in cordibus Fidelium,

Ann. Chr. lium. Præcepit etiam, ut in Missa Angelorum Canticum: *Gloria in Excelsis Deo*, &c. recitetur.

137. X. *S. Hyginus*, natione itidem Græcus Patria Athenienfis, Annis 4. circiter sedisse dicitur. Sub *Antonio Pio* martyrium subiit. Is in Libro de Romanis Pontificibus memoratur composuisse Clerum, & distribuisse Gradus. Duas ipsius nomine habemus Epistolas, quarum altera *ad omnes Fideles*, & altera *ad Athenienses*.

141. XI. *S. Pius I.* Aquilejensis, Rufini filius, *Hygino* successit. Sedit annis 10. circiter, & martyrio coronatus occubuit. Pascha solum die Dominica celebrari constituit, quo tempore jam ab Apostolis peractum fuerat. Extant ejus Epistolæ duæ perbreves ad *Justum Episcopum Viennensem*.

151. XII. *S. Anicetus*, natione Syrus, Joannis filius, quem *Pio I.* nonnulli etiam præponunt, sedisse scribitur annis circiter 8. sub eo increbuit lis cum *Græcis* de celebrando Paschate. Ipsi adscribitur Decretum de Coma per Clericum non alenda.

161. XIII. *S. Soter*, Fundis in Campania, patre Concordio natus, in *Aniceti* locum Pontifex suffectus est. S. Eucharistiam jejuno stomacho sumi, & nuptiis a Sacerdote benedici præcepit. Erga Captivos, & Exules Christianos liberalissimus extitit, & post novem Annorum Regimen obiit.

170. XIV. *S. Eleutherius*, Græcus Patria Nicopolitanus, inter Romanos Episcopos electus. Ab ipso *Lucius* Angliæ Rex Fidei Doctores petiit, & *Fugatium*, ac *Damianum* obtinuit. Decretalis quædam Epistola *ad Galliæ Episcopos* ipsi perperam adscribitur. Sedit Annis 15. cum quatuor & viginti diebus. Martyr nuncupatur in omnibus Martyrologiis, ut pro Christo vel occisum, vel certe cruciatum appareat.

185. XV. *S. Victor I.* Africanus, Felicis filius, Ecclesiæ Romanæ ordine XV. præfuit annis 10. circiter. Is, propter litem de celebrando Paschate a Græcis motam Romæ Synodum 14. Episcoporum coegit, & renuentes Sacris interdixit, quæ occasio fuit Schismatis, diu licet postea erumpentis. Ea de re *Victor* duas Epistolas: alteram ad *Desiderium Episcopum Viennensem*; alteram ad *Paracodam* ejus Provinciæ in Gallia *Episcopum* misit. Sub *Antonino Severo* Imperatore Martyr occubuit.

197. XVI. *S. Zepherinus*, Patria Romanus, Abundi filius, *Victori* in Sede Pontificia successit, de quo plura proximo Sæculo.

INDEX CONCILIORUM

Secundi Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
197.	Achaicum, *seu* Corinthiacum.	
197.	Achillanum.	Victor I.
197.	Asiaticum, *sive* Ephesinum.	
197.	Asiaticum, *sive* Ponticum.	
197.	Cæsariense *in Palestina*.	Victor I.
197.	Corinthiacum, *sive* Achaicum.	
197.	Ephesinum, *sive* Asiaticum.	Victor I.
197.	Gallicanum, *sive* Lugdunense.	Victor I.
197. *circ.*	Gallicanum aliud.	
198.	Græca Synodus *incerti loci*.	Zephyrinus.
173.	Hierapolitanum.	Soter.
197. *circ.*	Hierapolitanum.	Victor I.
197. *circ.*	Hierosolymitanum.	
197.	Lugdunense.	Victor I.
197. *circ.*	Lugdunense aliud.	
197.	Mesopotamicum.	
160.	Orientale.	Pius I.
197.	Osroenum.	Victor I.
197.	Palæstinum, *sive* Cæsariense.	
152.	Pergamense.	Hyginus.
197.	Ponticum, *sive* Asiaticum.	Victor I.
...	Romanum.	Anicetus.
197.	Romanum II.	
197.	Romanum III.	Victor I.
198.	Romanum.	
125.	Siculum.	Alexander I.

Salmon Concil.

§. III.

Tertium Reparatæ Salutis Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

XVII. S. *Zepherinus* Romanus. Species Vini Eucharistici non in ligneis, sed vitreis vasibus sumi, & præberi jussit, quibus tempore argentea, & aurea substituta sunt. Pueros 12. aut 13. Annorum tempore Paschali S. Synaxi accumbere, item Sacros Ordines publice in Ecclesia conferri jussit. *Origenem* Græcum Patrem Romæ perhumaniter excepit. *Montanistas*, inque his & *Tertullianum* anathemate devovit. Sub *Heliogabalo* post novendecim Annorum, & 11. Mensium, ac 5. Dierum Regimen obiit. 201.

XVIII. *S. Calistus I.* & ipse Romanus, patre Domitio, Sedem obtinuit Annis 5. Mense uno, ac diebus 12. Ipsius nomen præferunt Epistolæ duæ: altera ad *Benedictum Episcopum*, in qua jejunium per quatuor tempora servari præcipitur: altera ad *fratres per Gallias*, agit de gradibus consanguinitatis, & de spirituali Episcoporum conjugio. Cœmeterium hodiedum *Callisti* dictum condidit. Post diuturnum carcerem, quotidiana verbera, & longam famem, e fenestra præceps actus in puteum, sub *Alexandro Severo* martyr occubuit. 217.

XIX. *S. Urbanus I.* Pontiano patre Romæ quoque natus, Ecclesiæ præfuit ab anno 223. ad diem 25. Octobris anni 230. quo tempore securi pro fide percussus interiit, Imperante *Alexandro Severo*. Valerianum S. Cæciliæ Sponsum, ejusque Fratrem Tiburtium, & Maximum Aulicum veræ fidei Sacris imbuit. Vasis vitreis Aæ Argentea subrogavit. Ei assignatur Decretalis unica *ad omnes Christianos*, in qua inter cætera, quædam admixtæ sunt Codicis Theodosiani sententiæ. 223.

XX. *S. Pontianus*, patria itidem Romanus, patre Calpurnio, in locum *Urbani* electus est. Post 5. Annos, 3. Menses, & 7. dies se Pontificatu abdicavit, & in Sardinia, quo ab *Alexandro Severo* relegatus fuerat, *Maximini* Imperatoris jussu, fustibus cæsus martyrium consummavit. Duæ ipsi adscribuntur Epistolæ, in quibus quædam notantur, quæ ex *Gregorio* desumpta videri possunt. 230.

XXI. *S. Anterus*, natione Græcus, ex Patre Romulo, vix ultra mensem in munere Pontificio implevit, a *Præfecto Maximo* in odium Fidei interfectus. Unica ipsius nomine circumfertur Epistola sine die & confuse scripta *Episcopis Provinciarum Boeticæ, & Toletanæ in Hispania*. 235.

XXII. *S. Fabianus* Romanus Fabii filius, annis 15. atque insuper diebus 5. Apostolicam Sedem obtinuit, Imperantibus *Maximino*, ac *Decio*, sub quorum postremo martyrio perfunctus pro Christi Fide occubuit. Is S. Chrisma in Cœna Domini renovari, & vetus comburi jussit. Septem quoque Subdiaconos constituit, qui primas Notariorum notas emendatiores redderent. Urbem magnificis Ædificiis ampliavit. Cœmeteria quoque, & subterraneas Cryptas reparavit. Quædam illius Epistolæ, & Decreta sunt omnino supposititia.

XXIII. *S. Cornelius*, Romæ natus, Castino patre, postquam Sedes Pontificia propter gravissimam Persecutionem ultra annum vacasset, in *Fabiani* locum subrogatus est. Cum annis 2. circiter sedisset, a *Gallo*, & *Volusiano* Imperatoribus ad Operas Portus Centum Cellarum cum aliis compluribus damnatus; & quod ibi plures ad Fidem convertisset, capite denique truncato, martyrii coronam retulit. Ipsius Epistolæ ad *Fabianum Antiochenum* fragmenta extant apud *Eusebium*, atque ejusdem S. quoque *Hieronymus* meminit. 250.

XXIV. *S. Lucius I.* itidem Romanus, Porphyrii filius, unus ex Presbyteris Confessoribus, qui cum *Cornelio* in exilium missi fuerant, eidem suffectus est. Is primo relegatus, brevi autem redux cuivis Episcopo duos Sacerdotes, & tres Ecclesiæ Famulos, seu totidem morum, ac vitæ Ipsius testes adjungi voluit. Imperantibus *Valeriano* & *Gallieno* post annum martyrio coronatus est. 252.

XXV. *S. Stephanus I.* patria Romanus, Julii 253.

X filius,

Ann. Chr. filius, Pontifex post dies 35. creatus est, præfuitque Ecclesiæ ultra 4. annos. Martyrii palmam est adeptus sub *Valeriano*, & *Gallieno*, Ecclesiæ Servis in Templo singularem a cæteris habitum præscripsit. Duæ Decretales ejus nomen præferunt; Prior ad *Hilarium Episcopum*: Posterior ad *omnes Episcopos*.

257. XXVI. *S. Sixtus II.* Græcus, patria Atheniensis, postquam Sedes diebus 21. vacasset, ad eam vocatus, sedit Mensibus 11. & pro Christi Religione martyr occubuit. Inter Persecutionum turbas sacra *SS. Petri & Pauli* corpora tuto loco illesa conservavit.

259. XXVII. *S. Dionysius*, natione itidem Græcus, in locum *Sixti* post mensem substitutus est. Sedit Annis 10. circiter. Pacata morte defunctus sub *Aureliano* in Domino obdormivit. Paulo Samosateno Christi Divinitatem, & Sabellio Trinitatem oppugnanti sese invicte opposuit. Ejus nomine duæ circumferuntur Epistolæ; altera ad *Urbanum Præfectum*; & altera ad *Severum Episcopum*.

270. XXVIII. *S. Felix I.* Romanus, Constantii filius, Pontificiam Sedem ordine XXVII. adeptus est. Ad SS. Martyrum sepulchra Missas legi permisit. Unde consuetudo S. Reliquiis Altaria consecrandi obtinuit. Tres Decretales Epistolæ *ad Galliæ Episcopos* ipsi falso adscribuntur. Præfuit Ecclesiæ Annis 4. ac Mensibus 3. & martyrio coronatus occubuit.

275. XXIX. *S. Eutychianus*, natione Tuscus, patria Lucensis, Marino patre genitus, *Felici* post dies 5. suffectus est. Ipsi consuetudo fructus consecrandi adscribitur contra Manichæos, qui terræ fruges a *Principio Mali* provenire somniarunt. Propriis manibus 340. SS. Martyrum Corpora sepelivit, quæ non nisi in rubra Dalmatica humari voluit. Duæ ejus ad *Siculos*, & *Hispanos Episcopos* Epistolæ apocryphæ sunt. Sedisse scribitur Annis 8. Mensibus 11. & diebus 3. Martyrium subiit, *Carino & Numeriano* Consulibus.

283. XXX. *S. Cajus* Dalmata, ex *Diocletiani* Imperatoris genere natus Ecclesiæ præfuit Annis 12. Mensibus 4. & Diebus 7. Septem reliquos S. Ordines Episcopatui præmitti voluit. Decretalis ad *Episcopum Felicem* Epistola Ipsius non est. *Diocletiano* & *Maximiano* Imperantibus pro Christo martyrium passus est.

296. XXXI. *S. Marcellinus*, patria Romanus, patre Projecto, postquam Pontificia Sedes diebus 11. vacasset, in decessoris locum subrogatus est. Ipsum, teste *D. Augustino*, Donatistæ Hæretici tormentis imparem thus Diis obtulisse, falso commenti sunt. Sæculum Christi tertium clausit, & quartum aperuit. Rexit Ecclesiam annis 6. circiter; & post illum Romana Sedes tribus annis vacua permansit. Imperantibus *Constantio Chloro* & *Galleriо*, securi pro Christi fide percussus Martyr occubuit.

INDEX CONCILIORUM

Tertii Sæculi.

An. Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
248.	Achaicum.	Fabianus.
216.	Africanum.	Zephyrinus.
255.	Africanum I.	
256.	Africanum II.	Stephanus I.
257. circ.	Africanum.	
230.	Alexandrinum.	Urbanus I.
235.	Alexandrinum.	Pontianus.
263.	Alexandrinum I.	Dionysius.
263.	Alexandrinum II.	
253.	Antiochenum.	Cornelius.
264.	Antiochenum I.	Dionysius.
270.	Antiochenum II.	
247.	Arabicum.	
245.	Asiaticum.	Fabianus.
. . .	Bostrenum.	Fabianus.
217.	Carthaginense.	Zephyrinus.
251.	Carthaginense I.	Cornelius.
252. circ.	Carthaginense II.	
256.	Carthaginensia tria.	Stephanus I.
256.	Iconiense.	Stephanus I.
252.	Italicum.	Cornelius.
240.	Labetitanum.	Fabianus.
. . .	Mesopotamicum.	Eutychianus.
257.	Narbonense.	Sixtus II.
261.	Neocæsariense.	Dionysius.
237.	Romanum.	Fabianus.
250.	Romanum.	Sede Vac.
251.	Romanum I.	Cornelius.
252.	Romanum II.	
256.	Romanum.	Stephanus I.
258.	Romanum.	Sixtus II.
263.	Romanum.	Dionysius.
256.	Synnadense.	Stephanus I.

§. IV.

Quartum Reparatæ Salutis Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

XXXII. S. *Marcellus I.* patria Romanus, Benedicti filius, *Marcellino* Sede Pontificia successit. A *Maxentio* Tyranno in exilium pulsus, martyrium consummavit. Ejus duæ Epistolæ, quæ apud Isidorum habentur, Prior ad *Episcopos Antiochenæ Provinciæ*; Posterior ad *Maxentium Tyrannum*, sunt omnino supposititiæ. Ann. Chr. 308.

XXXIII. *S. Eusebius*, Græco patre natus, post dies 20. dictus est Pontifex Romanus. Ex aliquo 310. illius Decreto colligunt Eruditi, S. Extremam Unctionem jam tum temporis periculose decumbentibus administratam fuisse. Sedisse scribitur, *Constantino* cum *Maxentio* Imperante, annis 2. & mensibus 7.

XXXIV. *S. Melchiades*, natione Afer, in ordine Romanorum Pontificum electus, præfuit Ecclesiæ annis 2. cum totidem mensibus; obiitque die 10. Decembris anni 313. Jejunium diebus Dominicis prohibuit, eo quod Gentiles hos dies jejunio consecrarent. Ab eo decretum fuisse traditur; ut Oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratione Episcopi dirigerentur, quod appellatur *fermentum*, in symbolum nempe unionis & concordiæ Presbyterorum in suis titulis synaxin Celebrantium cum Episcopo. 312.

XXXV. *S. Sylvester I.* Romæ natus, patre Rufino, *Melchiadi* successit. Sub Ipso prima Synodus Universalis Nicææ in Bithynia celebrata est, ad quam *Constantinus Magnus Sylvestri* hortatu totius Imperii Episcopos per literas, reverentia erga Clerum plenas, convocavit. Inter 318. Episcopos ibi præsentes, numerantur *Osius* Episcopus Cordubensis, *Vitus*, & *Vincentius* Romani Presbyteri a S. Pontifice ablegati, ut illius vice huic Concilio, contra Arium, Novatum, & Meletium Hæreticos convocato, præsiderent. *Constantinum* Magnum, a quo *S. Sylvester* maximis honoribus est auctus; ab eo sub vitæ finem baptizatum fuisse, e clarissimo *Eusebii Neocæsariensis* testimonio, moderni Critici plerique tenent. Diem extremum clausit A. C. 335. 314.

XXXVI. *S. Marcus*, Prisci filius, Patria itidem Romanus, cum Sedes diebus 11. vacasset, in *Sylvestri* locum suffectus est. Sedit 9. mensibus tantum, Imperante *Magno Constantino*, Epistolæ duæ Ipsi falso adscribuntur. 336.

XXXVII. *S. Julius I.* Rustici filius Romæ natus, die 20. a Sede Vacante creatus, Romanam Cathedram tenuit annis 16. circiter. Coacto contra Arianos Concilio *Constantem* Imperatorem permovit, ut exulem *S. Athanasium* revocaret. Clericum non nisi ante Ecclesiasticum Tribunal accusari, & judicari præcepit. 337.

XXXVIII. *Liberius* Romanus, patre nomine Augusto, post dies 25. Sedem Pontificiam accepit. Is a *Constantio* Ariano Imperatore in exilium missus, eo quod iniquæ sententiæ in *S. Athanasium* in Concilio Mediolanensi a pluribus Episcopis latæ subscribere nollet. Post biennale tamen exilium ærumnis confectus proscriptioni *S. Athanasii* subscripsit, sed Romæ redditus exacto, quem Illi *Constantius* Imperator subrogavit, *Felice*, Pœnitentia ductus rursus *S. Athanasium* suscepit, & 352.

Hæ-

Ann. Chr. Hæresim Arianam, quam tamen nunquam amplexus fuerat, condemnavit. Ipsi in Pontificum Catalogo aliqui *S. Felicem II.* quem *Constantius Liberio* in exilium pulso substituerat, subjungunt; alii cum *S. Augustino* & *Optato Milevitano* eundem *Felicem* in prædicto Catalogo omnino omittunt, quamvis de cætero Vir vere Sanctus fuerit, & ipsum *Constantium* Arianum Imperatorem a Fidelium communione excluserit, propterea exilio multatus, ac in eo mortuus, uti Tabula quædam marmorea Romæ inventa docet, quam tamen de *S. Offibus Felicis I.* intelligendam esse volunt illi, qui hunc, de quo sermo est, *Felicem* e Pontificum Catalogo expungunt. Sedisse scribitur annis 15. & mensibus 4. Imperantibus *Constantio* primum, tum *Juliano*, deinde *Valentiniano*, & *Valente*.

366. XXXIX. *S. Damasus I.* Hispanus, Antonii filius, post *Liberium* Summus Pontifex creatus est. In ejus electione Schisma est exortum aliis *Damaso*, aliis *Ursicino*, vel *Ursino* faventibus, donec, *Ursino* cum suis, jussu *Valentiniani*, Urbe exacto, Pontificia tiara *Damaso* imposita est. Adulterii falso a suis Æmulis accusatus, a Concilio plurium Episcoporum post exactam iniquæ delationis inquisitionem innocens declaratus est. Ut Psalmi *Davidis* in Ecclesiis alternatim canantur, & singulis in fine Sacrum Trisagium *Gloria Patri*, &c. subjungatur, præcepit. Item Latinam *S. Hieronymi* Versionem Græcæ 70. Interpretum præponi jussit. Vitas pariter Priorum Pontificum usque ad *Liberium* conscripsisse narratur; quod tamen alii cum *Baronio* negant. Sunt etiam inter Eruditos, qui aliquas ejus nomine insignitas Epistolas, & Poemata, item Pontificale *Damasi* eidem vel denegant, vel saltem, an non Apocrypha sint, suspicantur. Sub illo alterum *Generale Concilium* 150. Patrum contra *Macedonium Constantinopoli* celebratum est. Post 18. Regiminis Annos, duosque menses de vita decessit.

384. XL. *S. Siricius*, patria Romanus, Tiburtii filius, electus triginta & uno diebus post obitum *Damasi*, Sedem Apostolicam tenuit tredecim annis, tribusque mensibus, sub *Valentiniano* juniore, ac *Theodosio* Magno, & sub *Arcadio* & *Honorio* hujus filiis. Decretalis ejus Epistola ad *Himerium Episcopum Tarraconensem* in Hispania, qui de dubiis quibusdam *Damasum* consuluerat, in Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ relata est. Aliarum quoque ejusdem Epistolarum meminit *Isidorus* Hispalensis.

398. XLI. *S. Anastasius I.* itidem Romanus, Maximi filius, inter Pontifices Maximos post *Siricium* electus est, de quo plura proximo Sæculo.

INDEX CONCILIORUM

Quarti Sæculi.

An.Chr.	*Concilium*	*Pontifex.*
359.	Achaicum.	Liberius.
394.	Adrumentinum.	Siricius.
352.	Ægyptiacum *incerti loci*.	....
364.	Ægyptiacum *incerti loci*. Alexandrinum putatum.	....
369.	Ægyptiacum.	Damasus I.
399.	Africanum I.	Anastasius I.
346.	Agrippinense.	Julius I.
306.	Alexandrinum.	Marcellus I.
315.	Alexandrinum I.	
319.	Alexandrinum II.	Sylvester I.
325.	Alexandrinum.	
326.	Alexandrinum.	
339.	Alexandrinum.	Julius I.
362.	Alexandrinum I.	
363.	Alexandrinum II.	Liberius.
362.	Alexandrinum *a S. Athanasio coactum*.	
372.	Alexandr. Conventus.	Damasus I.
399.	Alexandrinum.	
399.	Alexandrinum *adversus Origenistas*.	Anastasius I.
304.	Alutinense.	Marcellus I.
314.	Ancyranum.	Sylvester I.
358.	Ancyr. Conciliabulum.	Liberius.
369.	Ancyranum *forte Sirmiense tertium Arianorum*.	Damasus I.
375.	Ancyranum alterum *in Galatia*.	
391.	Ancyran. Conciliabulum.	Siricius.
327.	Antiochenum, *seu* Nicomediense.	Sylvester I.
341.	Antiochenum I.	
341.	Antiochenum II.	
341.	Antiochenum.	
344.	Antiochen. III. Conciliab.	Julius I.
348.	Antiochen. IV. Conciliab.	
344.	Antiochenum *Arianor.* II.	
345.	Antiochenum *Arianorum alterum*.	
354.	Antiochenum.	
356.	Antiochenum.	
358.	Antiochenum.	
360.	Antiochenum.	
361.	Antiochenum Conciliab.	Liberius.
361.	Antiochenum *in Causa Meletii*.	
363.	Antiochenum Meletii.	
363.	Antiochenum.	
377.	Antiochenum.	
378.	Antiochenum.	Damasus I.
380.	Antiochenum.	
389.	Antiochenum.	Siricius.
381.	Aquilejense.	Damasus I.
314.	Arelatense I.	Sylvester I.
353.	Arelatense.	
354.	Arelatense.	Liberius.
359.	Ariminense OEcumenic.	
359.	Ariminense Conciliabul.	
394.	Bagajense Conciliabul.	Siricius.
350.	Bitterense Conciliabul.	Liberius.
385.	Burdegalense.	
397.	Byzacenum.	Siricius.
391.	Cabarsussitanum.	
381.	Cæsaraugustanum.	Damasus I.
...	Cæsariense *in Ponto*.	Sylvester.
334.	Cæsariense *in Palæstina*.	
358.	Cæsariense.	Liberius.
370.	Cæsariense *Cappadociæ*.	
372.	Cappadociæ *incerti loci*.	Damasus I.
	Item Aliud.	
389.	Capuanum.	Siricius.
366. *circ.*	Caricum Conciliabulum.	Liberius.
306.	Carthaginens. I. Conciliab.	Marcellus I.
308.	Carthaginense II.	
333.	Carthaginense.	Sylvester I.
348.	Carthaginense d. I.	Julius I.
389.	Carthaginense.	
390.	Carthaginense d. II.	
391.	Carthaginense.	Siricius.
394.	Carthaginense.	
397.	Carthaginense d. III.	
398.	Carthaginense d. IV.	Anastasius I.
398.	Carthaginense d. V.	
394.	Cavernense Conciliabul.	Siricius.
303.	Cirtense.	Marcellinus.
336.	Constantinopol. Conciliab.	Marcus.
340.	Constantinopol. Conciliab.	Julius I.
359.	Constantinopol. Conciliab.	Liberius.
364.	Constantinopol. *Arianor.*	Sede vac.
381.	Constantinopol. Gener. II.	Damasus I.
382.	Constantinopolitanum.	
394.	Constantinopolitanum.	Siricius.
348. *circ.*	Cordubense.	Julius I.
372.	Cyzicenum.	Damasus I.
348.	Donatistarum *in Numidia*.	Julius I.
309.	Eliberitanum.	Marcellus I.
355.	Gallicanum *incerti loci*.	Liberius.
359.	Gallicanum *incerti loci*.	....
362.	Gallicanum *incerti loci*.	....
372.	Gallicanum.	Damasus I.
376.	Gallicanum *incerti loci*.	
324.	Gangrense.	Sylvester I.
300.	Græcum *incerti loci*.	Marcellinus.
362.	Græcum *incerti loci*.	Liberius.
335.	Hierosolymitanum Conciliabulum.	Sylvester I.

An. Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
350.	Hierosolymitanum.	Julius I.
350.	Hierosolymit. Concilibul.	
399.	Hierosolymitanum.	Anastasius I.
393.	Hipponense I.	Siricius.
394.	Hipponense II.	
362.	Hispanicum *incerti loci*.	Liberius.
379.	Iconiense.	Damasus I.
305.	Illiberitanum,	Marcellus I.
365.	Illyricum,	Liberius.
368.	Illyricanum.	Damasus I.
325.	*Incerti loci.*	Sylvester I.
350.	*Incerti loci.*	Julius I.
358.	*Incerti loci.*	Liberius.
369.	*Incerti loci.*	Damasus I.
380.	*Incerti loci.*	
368.	Lampsacenum.	Damasus I.
. . .	Laodicenum,	Sylvester I.
386.	Leptense.	Siricius.
335.	Mareoticum Conciliabul.	Sylvester I.
344.	Mediolanense I.	
347.	Mediolanense.	Julius I.
350.	Mediolanense II.	
355.	Mediolanense.	Liberius.
375.	Mediolanense.	Damasus I.
390.	Mediolanense.	Siricius.
358.	Melitinense,	Liberius.
. . .	Nemausense.	Siricius,
314.	Neocæsariense.	
358.	Neocæsariense.	Sylvester I.
325.	Nicænum Bithyn. OEcumenicum I.	
359.	Nicænum Bithyn.	
359.	Nicænum Thraciæ Concilibulum.	Liberius.
328.	Nicomediense.	Sylvester I.
372.	Nicopolitanum.	Damasus I.
375.	Nissenum *Arianorum*.	
322.	Palestinum.	Sylvester I.
358.	Palestinum.	. . . .
314.	Parisiense.	Sylvester I.
362.	Parisiense I.	Liberius
364.	Parisiense.	
347.	Philippolitanum,	Julius I.
368.	Puzense.	Damasus I.
313.	Romanum.	Melchiades,
315.	Romanum I.	
324.	Romanum II.	Sylvester I.
325.	Romanum III.	
337.	Romanum I.	
341.	Romanum II.	
341.	Aliud,	Julius I.
342.	Romanum III.	
346.	Romanum.	
349.	Romanum.	
352.	Romanum.	
358.	Romanum.	
361.	Romanum.	Liberius.
364.	Romanum.	
366.	Romanum.	
366.	Romanum.	
368.	Romanum I.	
368.	Romanum.	
369.	Romanum II.	
373.	Romanum III.	Damasus I.
378.	Romanum IV.	
378.	Romanum V.	
381.	Romanum.	
382.	Romanum VI.	
386.	Romanum.	Siricius.
389.	Romanum.	
344.	Sardicense,	Julius I.
347.	Sardicense Conciliabul.	
314.	Seleuciense *in Perside*.	Sylvester I.
359.	Seleuciense.	Liberius.
399.	Seleuciense *Nestorian.*	Anastasius I.
365.	Siculum.	Liberius.
383.	Siolense.	Damasus I.
367.	Sigedunense *Arianorum*.	
366.	Singedunense Conciliab.	Liberius.
303.	Sinuessanum.	Marcellinus.
349. *vel* 358.	Sirmiense I.	Julius I. vel
341. *vel* 357.	Sirmiense II.	Liberius.
358.	Sirmiense III.	Liberius.
358.	Sirmiense Conciliabul.	
397.	Taurinense.	Siricius.
389.	Thessalonicense.	
362.	Thevestinum Conciliabul.	Liberius.
386.	Trevirense.	Siricius.
365.	Tyanense.	Liberius.
335.	Tyrium.	Sylvester I.
374.	Valentinum I. *in Gallia.*	Damasus I.
. . .	Vasense.	Julius I.
363.	Zelense *in Ponto Arianor.*	. . . .

§. V.

Quintum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

XLII. S. *Anastasius I.* Hæreticorum pertinaciam fregit Conciliis Alexandriæ, & Carthagine celebratis; Corruptos Cleri mores emendavit. S. Evangelii Lectionem stando audiri, nullumque mutilatum, vel alienæ Diæceseos ad Presbyteratum admitti præcepit, & quarto Regiminis Anno fatis concessit, Imperantibus *Arcadio* & *Honorio*: *Ann. Chr.*

XLIII. *Innocentius I.* Innocentio Patre Albæ natus, postquam Sedes Romana diebus 21. vacasset, inter Pontifices electus, Episcopatum administravit 15. Annis sub *Honorio* & *Arcadio* primum, deinde sub eodem *Honorio*, ac *Theodosio* juniore. Sabbati jejunium instituit; Pelagium proscripsit; Pacem in Missa dari ordinavit, quæ tamen cum tempore solis Aræ Servis osculo oris, Sæcularibus autem osculo tabulæ SS. Reliquiarum data fuit. Plures Ipsius habentur Epistolæ, quæ relatæ sunt in Codicem Canonum. Ea vero, quæ ad *Honorium* Imperatorem scripta dicitur, pro apocrypha habetur. 401.

XLIV. *S. Zosimus*, Græcus, patre Abrahamo, post 20. dies *Innocentio* subrogatus, uno tantum Anno præfuit, & lethum oppetiit. Servos ordinari prohibuit; Hospitia Presbyteris interdixit; Cereum Pascalem instituit. Duæ ejus nomine circumferuntur Epistolæ; Prima ad *Hesychium Episcopum Salonitanum*; altera commonitorium est *ad Presbyteros & Diaconos, qui Ravennæ sunt*. 417.

XLV. *Bonifacius I.* patria Romanus, Jucundi Presbyteri filius, post Schisma Eulalii electus, sedit Annis 4. circiter, obiitque sub *Honorio*, & *Theodosio II.* Mancipia, item Debitores ab Ordinibus exclusit. Tres ejus habemus Epistolas in Codice Canonum I. ad *Honorium* Imperatorem II. ad *Patroclum*, *Remigium* & cæteros Episcopos *per Gallias, & per septem provincias constitutos* III. *ad Hilarium Narbonensem Episcopum*. 418.

XLVI. *S. Cælestinus I.* Prisco patre Romæ itidem natus, *Bonifacio* successit. Antiphonas, & Psalmos, ante Missam cantari præcepit. In tertio Universali Concilio Ephesino *Nestorium*, B. V. Deiparentem negantem, condemnavit. Tres ipsius Epistolæ in Codicem Canonum relatæ sunt. Nono Papatus Anno diem clausit. 422.

XLVII. *Sixtus III.* Romanus, Sixti filius, post novendiale interregnum, Sedem Pontificiam tenuit Annis septem, mensibus 11. cum duobus diebus. Occurrunt duæ ipsius genuinæ Epistolæ, quarum prima est *ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum*; altera ad *Joannem Antiochenum Episcopum*; quæ laudatur in Commonitorio Vincentii Lirinensis sub finem. Concilio Ephesino confirmato e vita migravit. 432.

XLVIII. *S. Leo I.* propter ingentia facta *Magni* cognomen meritus, in Tuscia Quintiano Patre natus, postquam Sedes Romana mense uno, & duodecim diebus vacasset, in *Sixti* locum suffectus est. Prærogativas Episcopi Alexandrini contra Constantinopolitanos vindicavit; Solis 40. Annorum Virginibus Sacrum Velum permisit. Scripsit adversus *Manichæos*, *Pelagianos*, *Priscillianistas*; & *Eutychetem* in Chalcedonensi Concilio damnari curavit. *Attila* ad ruinam Urbis Romæ properantis impetu represso, eamdem Urbem in Genserici Vandali direptione ab incendio, & cæde liberavit. Doctissimis Scriptis conspicuus post 20. Annos morte migravit. 440.

XLIX.

Ann. Chr.

461. XLIX. *S. Hilarius*, ex Sardinia, Crispini filius, præfuit Ecclesiæ annis 6. circiter, sub *Leone* Orientis, *Severo* & *Anthemio* Occidentis Imperatoribus. *Nestorii*, & *Eurychetis* damnationem confirmavit; Episcopos Successorem constituere prohibuit. Ejus Decreta, edita in Synodo Romana, in Codicem Canonum relata sunt.

467. L. *S. Simplicius*, patria Tiburtinus, Castini filius, post decem a morte *Hilarii* dies creatus, sedit annis 15. & mensibus 7. Imperantibus in Oriente *Leone*, & *Zenone*, in Occidente vero *Anthemio*, & aliis ad *Augustulum*, & post hunc regnante in Italia *Odoacre* Herulorum Rege. Ecclesiastica Beneficia a Laicis conferri vetuit. Ipsius Epistolæ duæ Codici Canonum insertæ sunt, totidem Decreta continentes: altera ad *Joannem Episcopum Ravennatem*; altera ad *Florentinum* aliosque Episcopos.

483. LI. *S. Felix II.* aliis *III.* Romæ Felice patre Presbytero natus, post sex dierum intervallum, Sedem Apostolicam tenuit annis 9. circiter, *Zenone* & *Anastasio Dicoro* Imperatoribus Orientis, *Odoacre*, Herulorum in Italia Rege; cum in Gallia *Glodovaus* Francis regnaret, nondum Christianis sacris imbutus: *Acacium* Constantinopolitanum Episcopum cum *Petro Fullone* Antiocheno, & *Petro Mongo* Alexandrino sacro fulmine percussit. Extat in Canonum Codice Ipsius Constitutum de rebaptizatis in Africa editum in Synodo Romana apud Basilicam Constantinianam.

492. LII. *S. Gelasius I.* Afer, Valerii filius post *Felicem* Romanam Cathedram administravit annis 4. & mensibus 8. Constantinopolitanorum Episcoporum ambitionem repressit; Lupercalia Romæ sustulit, & *Manichæos* in Urbe deprehensos, exustis eorum libris, expulit. Doctrina eximia clarus e vita discessit.

496. LIII. *S. Anastasius II.* patria Romanus, Petri filius, post 7. dies creatus Pontifex, rexit Ecclesiam anno uno, mensibus undecim, & viginti tribus diebus. Orientalem Ecclesiam sub *Anastasio* Hæretico Imperatore labantem sustentavit. Ipsi post ortum Schisma successit *S. Symmachus*, de quo Sæculo sequenti.

INDEX CONCILIORUM

Quinti Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
401.	Africanum II.	Anastasius.
401.	Africanum III.	
403.	Africanum I.	
404.	Africanum II.	
405.	Africanum III.	
407.	Africanum IV.	
408.	Africanum V.	Innocentius I.
408.	Africanum VI.	
409.	Africanum VII.	
410.	Africanum VIII.	
414.	Africanum Conciliabolum.	
418.	Africanum.	Zosimus.
419.	Africanum, *sive* Carthaginense.	Bonifacius I.
424.	Africanum.	Cœlestinus I.
425.	Africanum.	
484.	Africanus conventus.	Felix II.
430.	Alexandrinum.	Cœlestinus I.
430.	Alexandrinum.	
449.	Alexandrinum Conciliab.	
451.	Alexandrinum.	Leo I.
457.	Alexandrinum Conciliab.	
477.	Alexandrina tria.	
475.	Alexandrinum Conciliab.	Simplicius.
482.	Alexandrinum Conciliab.	
484.	Alexandrinum Conciliab.	
485.	Alexandrinum.	Felix II.
431.	Anazarbicum.	Cœlestinus I.
435.	Anazarbicum.	Sixtus III.
453.	Andegavense.	Leo I.
414.	Antiochenum, *vel* Syriac.	Innocentius I.
423.	Antiochenum.	Cœlestinus I.
431.	Antiochenum.	
432.	Antiochenum, *cum* Berthense *confusum*.	
435.	Antiochenum.	Sixtus III.
435. *seu* 440.	Antiochenum.	
444. *seu* 445.	Antiochenum.	
448.	Antiochenum.	Leo I.
470.	Antiochenum Conciliab.	
471.	Antiochenum.	Simplicius.
477.	Antiochena tria.	
485.	Antiochenum Conciliab.	Felix II.
441.	Arausicanum I.	Leo I.
485.	Arculianense.	Felix II.
452.	Arelatense *dictum* II.	Leo I.
455.	Arelatense III.	
463.	Arelatense.	Hilarius.
475.	Arelatense.	Simplicius.
435.	Armenum.	Sixtus III.
446	Asturicense.	Leo I.
454.	Bituricense.	Leo I.
472.	Bituricense.	Simplicius.
412.	Bracarense.	Innocentius I.
449.	Britannicum.	Leo I.
470.	Cabilonense.	Simplicius.
451.	Calcedonense generale IV.	Leo I.
465.	Cambricum.	Hilarius.
411.	Carthaginensis collatio.	
412.	Carthagin. I. *contra Pelagium*.	Innocentius I.
416.	Carthagin. II. *contra Pelagium*.	
418.	Carthaginense.	Zosimus.
419.	Carthaginense *dictum* VI.	
419.	Carthaginense VII.	Bonifacius I.
420. *circ.*	Carthaginense XIX.	
426.	Carthaginense.	Cœlestinus I.
447.	Celenense *in Gallacia*.	Leo I.
423.	Ciliciæ.	Cœlestinus I.
412.	Cirtense Conciliabolum.	Innocentius I.
400.	Constantinopolitanum.	Anastasius I.
403.	Constantinopolitanum.	
404.	Constantinopolitanum.	Innocentius I.
404.	Aliud.	
427.	Constantinopolitanum.	Cœlestinus I.
431.	Constantinopolitanum.	
432.	Constantinopolitanum.	Sixtus III.
432.	Aliud.	
439.	Constantinopolitanum.	
440. *inter &* 444.	Constantinopolit.	
448.	Constantinopolitanum I.	
449.	Constantinopolitanum II.	
450.	Constantinopolitanum III.	Leo I.
450.	Aliud.	
457.	Constantinopolitanum IV.	
459.	Constantinopolitanum V.	
477.	Constantinopolitanum.	Simplicius.
483.	Constantinopolitanum I.	
484.	Constantinopolitanum II.	Felix II.
492.	Constantinopolitanum.	
496.	Constantinopolitanum.	Gelasius.
496.	Constantinopolitanum.	Anastasius II.
400.	Cyprium.	Anastasius I.
457. *circ.*	Cyrense.	Simplicius.
415.	Diospolitanum.	Innocentius I.
400.	Ephesinum.	Anastasius I.
431.	Ephesinum Generale III.	Cœlestinus I.
434.	Ephesinum.	Sixtus III.
439.	Ephesinum.	
447.	Ephesinum.	Leo I.
449.	Ephesinum.	
477.	Ephesinum Conciliabul.	Simplicius.
451.	Forojuliense.	Leo I.
429.	Gallicanum *incerti loci*.	Cœlestinus I.
446.	Gallicanum *incerti loci*.	Leo I.
450. *circ.*	Hibernicum I.	Leo I.
452. *circ.*	Hibernicum II.	
415.	Hierosolymitanus conventus.	Innocentius I.

Hip.

An. Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
. . .	Hipponi-Regiense.	. . . . .
426.	Hipponensis Conventus.	Cœlestinus I.
447.	Hispanicum.	Leo I.
437.	Illyricum.	Sixtus III.
405.	Italicum *fort.* Romanum.	Innocentius I.
478.	Laodicenum.	Simplicius.
495.	Lapetense *Nestorianorum.*	Gelasius I.
418.	Leptense, *vide* Teleptense.	. . . . .
460.	Lugdunense.	Leo I.
475. *circ.*	Lugdunense.	Simplicius.
414.	Macedonicum.	Innocentius I.
451.	Mediolanense.	Leo I.
402.	Milevitanum I.	} Innocentius I.
416	Milevitanum II.	}
482.	Narbonense.	Simplicius.
495.	Nuhadrense *in Perside.*	Gelasius.
423.	Numidicum.	Cœlestinus I.
427.	Orientale.	Cœlestinus I.
453.	Orientale.	Leo I.
499.	Persicum.	Symmachus.
411.	Ptolomaidense.	Innocentius I.
403.	*ad* Quercum.	Innocentius I.
419.	Ravennate.	Bonifacius I.
439.	Regense.	Sixtus III.
496.	Remensis conventus.	Anastasius II.
400.	Romanum.	Anastasius I.
. . .	Romanum.	Innocentius I.
417.	Romanum.	} Zosimus.
418.	Romanum.	}
430.	Romanum.	{ Cœlestinus I.
431.	Romanum.	{
433.	Romanum.	Sixtus III.
444.	Romanum I.	}
445.	Romanum II.	}
447.	Romanum.	}
449.	Romanum III.	} Leo I.
450.	Romanum.	}
451.	Romanum.	}
457.	Romanum.	}
465.	Romanum.	Hilarius.
478.	Romanum.	Simplicius.
483.	Romanum I.	}
484.	Romanum II.	} Felix II.
485.	Romanum.	}
487.	Romanum III.	}
494.	Romanum I.	{
495.	Romanum II.	{ Gelasius.
496.	Romanum.	{
499.	Romanum.	Symmachus.
410.	Seleuciense.	Innocentius I.
485.	Seleuciensia duo.	} Felix II.
489.	Seleuciense *Nestorian.*	}
495.	Seleuciense *Nestorian.*	Gelasius.
465.	Tarraconense.	Hilarius.
431.	Tarsense.	Cœlestinus I.
435.	Tarsense.	Sixtus III.
418.	Teleptense.	Zosimus.
435.	Thessalonicense.	Sixtus III.
457.	Thessalonicensis, Synodus.	Leo I.
417.	Thusdritanum.	Zosimus.
400.	Toletanum I.	Anastasius I.
. . .	Toletanum.	Innocentius I.
444.	Soletanum.	Leo I.
429.	Tricassinum.	Cœlestinus I.
461.	Turonense I.	Hilarius.
449.	Tyrium.	Leo I.
442	Vasense I.	Leo I.
465	Veneticum *in Armorica.*	Hilarius.
446.	Verolamiense.	} Leo I.
444.	Vesontoniense.	}
474.	Viennense *in Gallia.*	Simplicius.
432.	Zeugmatense.	Sixtus III.

Ann. Chr.

§. VI.

Sextum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

LIV. S. *Symmachus*, e Sardinia Insula, patre For- 500.
tunato, Pontificiam Cathedram administravit annis 15. & mensibus 7. *Anastasio* Imperatore, *Theodorico* Italiæ, *Clodovæo* Francorum Regibus. A fautoribus *Laurentii*, per Schisma adversus Ipsum electi, calumniis oneratus, sese in Synodo Romana purgavit. *Anastasium*, qui Sæculi Potestatem supra *Petri* claves extulit, Anathemate confixit. Ipsius Decreta, tum de *Pontificis Romani electione*; tum *de bonis Ecclesiæ non alienandis*, Codici Canonum inserta reperiuntur.

LV. *S. Hormisdas*, Frusionensis ex Campania, 514.
Justi filius, postquam Sedes sex diebus vacasset, Episcopatum tenuit annis 9. Schisma Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali composuit: dum Ipsius consilio, & monito *Justinus* Imperator omnes exules Catholicos Episcopos depositis Eutychianis restituit, & Chalcedonensi Concilio deinceps firmissime inhæreri præcepit.

LVI. *S. Joannes I.* Tuscus, Constantini filius, 523.
post interregnum sex dierum, inter Romanos Pontifices electus, sedit annis duobus, & mensibus 9. Is a *Theodorico* Italiæ Rege compulsus, ut ceu Legatus *Justinum* Imperatorem adiret, eumque ad liberum Arianæ Sectæ exercitium concedendum persuaderet, potius meliora contra eamdem Hæresim nunquam concedendam Consilia illi suasit; propterea a *Theodorico* in carcerem conjectus Ravennæ obiit.

LVII. *Felix III.* aliis *IV.* e Samnio, patre Ca-
storio natus, in *Joannis* locum post duos prope 526.
menses suffectus. Primum a *Theodorico* intrusus, postea legitime acceptatus, cujus suasu *Athalaricus* Theodorici Successor a violanda Immunitate Ecclesiastica destitit. SS. Cosmæ, & Damiani Ecclesiam fundavit; Post quadriennium, & bimestre e vivis excessit.

LVIII. *S. Bonifacius II.* Romanus, Sunibaldi 530.
filius, *Felici* successit Dioscoro, qui schisma exortum ipsi opposuit, vita defuncto, post biennale Regimen & ipse fatis concessit. Ejus nomine circumfertur Epistola ad *Cæsarium Arelatensem Episcopum*, qua confirmantur ea, quæ in Concilio Arausicano II. gesta fuerant.

LIX. *S. Joannes II.* patria itidem Romanus, 532.
Projecti filius, Ecclesiæ præfuit duobus annis, & mensibus 8. Is propter suam Eloquentiam *Mercurius* vocari meruit. Sex Ipsi attribuuntur Epistolæ, quarum nonnullæ probabiliter in dubium a quibusdam revocantur.

LX. *S. Agapetus I.* Romæ Gordiano Presbytero 535.
natus, præsedit 11. tantum mensibus, Imperante *Justiniano*. Is a *Theodato* Gothorum in Italia Rege, qui *Amalasuntham* Conjugem suam occiderat, ad *Justinianum* Imperatorem Pacis componendæ causa Constantinopolim missus, ibi *Antimum* Eutychianum Patriarcham diris devovit. Ibidem mortui Cadaver Romam deportatum ad *S. Petrum* sepultum est.

LXI. *S. Sylverius*, Campanus, *Hormisdæ* Papæ 536.
filius, ante ejus Sacerdotium natus, Pontifex *Theodati* opera creatus; sedi præfuit per annum ferme integrum. Ipsi *Theodora* Augusta *Anthimo* deposito favens *Vigilium* Antipapam opposuit. Hinc in Insulam Pontiam ab eadem *Theodora* relegatus, quod *Anthimum* Patriarcham restituere, & *Mennam*, qui huic ab *Agapeto* subrogatus fuerat, deponere nollet. Obiit in exilio die 20. Junii 540.

LXII. *Vigilius* Romanus, Joannis Consulis fi- 537.
lius, die 27. Maii anni 537. inter Pontifices electus, quem tandem lubens excepit Clerus Romanus. A pristino mutatus errores, quos in *Augustæ* favorem foverat, detestatus est, *Anthimum*, omnesque Eutychianos novo Anathemate confixit. Sub Illo Quintum nempe Constantinopolitanum Concilium 165. Episcoporum convocatum est.

Con-

Ann. Chr. Constantinopoli redux, in Sicilia post 18. annorum Regimen Piissimus Pontifex occubuit.

555. LXIII. *S. Pelagius I.* Romæ itidem, Joanne Vicariano natus, ex Diacono Pontifex creatus, in *Vigilii* locum subrogatus est. Concilium Constantinopolitanum confirmavit; Lipsana S. Protomartyris Stephani in S. Laurentii Sepulchro deposuit, qui iisdem locum magis honoratum cessit. Rexit annis 5. Imperante *Justiniano & Clothario* Francorum Monarcha.

560. LXIV. *S. Joannes III.* Romanus, Anastasio viro illustri patre genitus, Episcopatum obtinuit annis 13. circiter, Sanctorum Sepulchra exornavit atque ædificia a Prædecessoribus cœpta consummavit. Ipsius Epistola apud Isidorum ad *universos per Germaniæ, & Galliæ provincias constitutos Episcopos*, supposititia a *Baronio* censetur.

574. LXV. *Benedictus I.* patria Romanus, cognomento *Bonosus* Benedictinus, postquam Sedes Romana propter irruentes Longobardos 10. mensibus vacasset, inter Pontifices electus, sedit annis 4. mensibus 2. & diebus 15. *Justino* Juniore Imperante, regnantibus vero apud Francos *Guntramno*, *Chilperico* & *Childeberto* fratris filio. Unica ejus nomine præfertur Epistola, quæ suspecta Criticis habetur.

578. LXVI. *S. Pelagius II.* Romæ Vinigildo natus, in *Benedicti* locum suffectus, Ecclesiæ præfuit annis 11. circiter. *Joanni* Patriarchæ Constantinopolitano, Universalis Episcopi præconium usurpanti, invicte se opposuit. Paternæ Domui in Nosocomium conversæ Ecclesiam S. Laurentii adjecit. Inter Epistolas ejus nomine insignitas, illam, quæ *ad Galliæ & Germaniarum Episcopos* inscripta legitur, de novem Præfationibus inter Missarum Solemnia recitandis, spuriam asserit *Blondellus*, sed levibus admodum argumentis.

590. LXVII. *S. Gregorius I.* cognomine *Magnus*, Gordiani Romani Consulis filius, post *Pelagium* Summus Pontifex consecratus est. Ut Anglos cum *Ethelberto* Rege ad Fidem perduceret, Augustinum cum aliquot aliis Monachis ad S. Evangelium ibi prædicandum misit, Anglorum propterea *Apostolus* nominatus. Primus *Servum Servorum Dei* se subscripsit. Doctorum hominum Fautor Ipse doctissimus plurima scripsit, quæ Anno 1705. a Gallis Benedictinis publica luce donata sunt. Post 14. annorum Apostolicos labores Divorum numerum auxit sequentis sæculi anno 604.

INDEX CONCILIORUM

Sexti Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
534.	Africanum *seu* Carthagin.	Joannes II.
550.	Africanum.	Vigilius.
594.	Africanum *fortasse* Carthaginense *in Donatistas*.	Gregorius I.
506.	Agatense.	Symmachus.
515.	Agaunense.	Hormisdas.
530.	Andegavensis conventus.	Felix III.
587.	Andelaense.	Pelagius II.
509.	Antiochenum.	} Symmachus.
512.	Antiochenum Conciliabul.	}
540.	Antiochenum.	Vigilius.
581.	Antiochenum.	} Pelagius II.
589.	Antiochenum.	}
553.	Aquilejense.	Vigilius.
558.	Aquilejense.	Pelagius I.
529.	Arausicanum II.	Felix III.
524.	Arelatense IV.	Joannes I.
554.	Arelatense V.	Vigilius.
555.	Armoricum *incerti loci*.	Pelagius I.
535.	Arvernense.	Agapetus I.
549.	Arvernense.	Vigilius.
588.	Arvernense.	Pelagius II.
511.	Aurelianense I.	Symmachus.
533.	Aurelianense II.	Joannes II.
538.	Aurelianense III.	}
541.	Aurelianense IV.	} Vigilius.
549.	Aurelianense V.	}
578.	Antisiodorense.	Pelagius II.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
540.*circ.*	Barcinonense.	Vigilius.
599.	Barcinonense.	Gregorius I.
563.	Bracarense II.	} Joannes III.
572.	Bracarense III.	}
580.	Brennacense.	Pelagius II.
512.	Britannicum	} Symmachus.
...	Britannicum.	}
516.	Britannicus conventus.	{ Hormisdas.
519.	Britannicum.	{
504.*circ.*	Byzacenum.	Symmachus.
541.	Byzacenum.	Vigilius.
579.	Cabilonense.	} Pelagius II.
589.	Cabilonensis conventus.	}
594.	Cabilonense.	Gregorius.
592.	Cæsaraugustanum II.	Gregorius I.
527.	Carpentoractense.	Felix III.
525.	Carthaginense.	Joannes I.
...	Carthaginense.	Agapetus I.
516.	Cenomanense.	}
515.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	} Hormisdas.
518.	Constantinopolitanum.	}
520.	Constantinopolitanum.	}
531.	Constantinopolitanum.	Bonifacius II.
533.	Constantinopolitana Collatio.	Joannes II.
536.	Constantinopolitanum.	} Agapetus I.
536.	Constantinopolitanum.	}
540.*circ.*	Constantinopolit. Conciliabulum.	{
543.	Constantinopolitanum.	{ Vigilius.
547.	Constantinopolitanum.	{
553.	Constantinopolitanum II. Generale V.	{
587.	Constantinopolitanum.	Pelagius II.
599.	Constantinopolitanum.	Gregorius I.
517.	Epaonense.	} Hormisdas.
516.	Epiri veteris.	}
515.*circ.*	Gallicanum *incerti loci*.	Hormisdas.
588.	Gallicanum *incerti loci*.	Pelagius II.
590.	Gallicanum *in confinio trium Provinciarum* Avernæ Gabalitanæ & Rutenæ	} Gregorius I.
599.	Gallicanum *incerti loci*.	}
517.	Gerundense.	Hormisdas.
579.	Gradense.	Pelagius. II.
515.	Hierosolymitanum.	} Hormisdas.
518.	Hierosolymitanum.	}
536.	Hierosolymitanum.	Agapetus I.
553.	Hierosolymitanum.	Vigilius.
590.	Hispalense I.	Gregorius I.
587.	Hispanicum.	Pelagius II.
524.	Illerdense.	Joannes I.
515.	Illyricanum	Hormisdas.
549.	Illyricanum.	Vigilius.
591.	Istriense Conciliabulum.	Gregorius I.
524.	Juncense.	Joannes I.
560.*circ.*	Landavense.	Joannes III.
...	Landavense.	......
...	Landavense.	......
...	Landavenses Synodi VII.	......
531.	Larissenum.	Bonifacius I.
569.	Lucense.	} Joannes III.
572.	Lucense II.	}
516.	Lugdunense.	{ Hormisdas.
517.	Lugdunense.	{
567.	Lugdunense II.	Joannes III.
575.	Lugdunensis conventus.	Benedictus I.
581.	Lugdunense.	} Pelagius II.
583.	Lugdunense III.	}
589.	Maranense.	}
581.	Matisconense I.	} Pelagius II.
585.	Matisconense II.	}
591.	Menesniense.	Gregorius I.
550.*circ.*	Metense.	Vigilius.
590.	Metense.	Gregorius I.
550.	Mopsuestenum.	Vigilius.

Nar-

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
589.	Narbonense.	Pelagius II.
591.	Nemptodorensis Synodus.	
593.	Numidicum Conciliabulum.	Gregorius I.
598.	Oscense.	Gregorius I.
555.	Parisiense II.	Pelagius I.
557.	Parisiense III.	
574.	Parisiense IV.	Benedictus I.
577.	Parisiense V.	
544.	Persicum *Nestorian.*	Vigilius.
553.	Persicum *Nestorian.*	
588.	Persicum *Nestorian.*	Pelagius II.
596.	Persicum *Nestorian.*	Gregorius I.
589.	Pictaviensis conventus.	Pelagius II.
590.	Pictaviense.	Gregorius I.
500.	Romanum II.	
501.	Romanum III.	
502.	Romanum IV.	Symmachus.
503.	Romanum V.	
504.	Romanum VI.	
518.	Romanum.	Hormisdas.
531.	Romanum I.	
531.	Romanum II.	Bonifacius II.
531.	Romanum III.	
532.	Romanum.	Joannes II.
589.	Romanum.	Pelagius II.
590.	Romanum I.	Gregorius I.
595.	Romanum II.	
583.	Rothomagensis conventus.	Pelagius II.
591.	Salonitanum.	Gregorius I.
563.	Santonense.	Joannes III.
579.	Santonense.	Pelagius II.
521.	Sardiniense.	Hormisdas.
589.	Sauriciacense.	Pelagius II.
576.	Seleuciense *Nestorianor.*	Benedictus I.
512.	Sidonium Conciliabulum.	Symmachus.
536.	Syriacum.	Agapetus I.
516.	Tarraconense.	Hormisdas.
562.	Theimense *Armenorum.*	Joannes III.
518.	Thessalonicensis Synodus.	Hormisdas.
536.	Thevinense.	Agapetus I.
531.	Toletanum II.	Bonifacius II.
581.	Toletanum *Arianorum.*	Pelagius II.
589.	Toletanum III.	
597.	Toletanum.	Gregorius I.
507.	Tolosanum.	Symmachus.
550.	Tullense.	Vigilius.
567.	Turonense II.	Joannes III.
518.	Tyrium.	Hormisdas.
530.	Valentinum.	Felix III.
546.	Valentinum.	Vigilius.
584.	Valentinum II.	Pelagius II.
524.	Valentinum *in Hispania.*	Joannes I.
529.	Vasense II.	Felix III.

§. VII.

Septimum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr.
604. LXVIII. S*Abinianus* Tuscus, post fenestre *Gregorio* suffectus, Romanam Cathedram administravit Annis 5. & mense uno. Campanis, e turri suspensis, Populum ad Ecclesiam vocari præcepit. Alii S. Paulino, qui jam Sæculo IV. vixit, usum Campanarum attribuunt.

607. LXIX. *Bonifacius III.* Romanus, Joannis filius, Summus Pontifex, integro prope anno vacante Sede, electus, *D. Gregorii* antea apud Imperatorem *Phocam* Legatus, Episcopatum tenuit mensibus 8. & diebus 23. Sub eo habitum est Concilium de non eligendo Pontifice, nisi post tertium a sepulto decessore diem.

608. LXX. *S. Bonifacius IV.* Benedictinus, in decessoris locum subrogatus, Sedem Pontificiam obtinuit. Pantheon a Gentili superstitione prius purgatum Deiparæ, omniumque Sanctorum honori dedicavit, quod *Templum apud S. Mariam Rotundam*, cujus est figuræ, hodiedum nuncupatur. Post sexennium & octo menses piissimam mortem oppetiit. Ann. Chr.

LXXI. *S. Deusdedit*, seu *Adeodatus I.* Romanus, Stephani Subdiaconi filius, Ecclesiæ præfuit tribus annis, & 20. diebus *Heraclio* Imperatore, & *Clothario II.* Galliæ Monarcha. Ejus unica præfertur Epistola de viro, qui proprium filium in baptismo suscepit, ab uxore separando, & vice versa. 615.

LXXII. *S. Bonifacius V.* post annuum intervallum, ad Romanæ Ecclesiæ Regimen electus, sedisse legitur annis 5. & mensibus 10. Asylorum violationem severe prohibuit. *Heraclio* imperante, e vivis ereptus est. 619.

LXXIII. *Honorius I.* Campanus, Petronii Consulis filius, Pontificatum post *Bonifacium* obtinuit annis 13. mensibus 4. & diebus 27. Schisma Istriæ, per 70. annos perdurans, ope Reipublicæ Venetæ dissolvit, cui ideo *Christianissimæ Reipublicæ* præconium attribuit. Ejus extant Epistolæ sex, quarum tertia & quarta ad *Sergium* Patriarcham Constantinopolitanum habentur Synodi 5. actione 2. & 13. 625.

LXXIV. *Severinus*, Romanus, Labieno patre natus, in *Honorii* locum suffectus, sedit ad Petri clavum, & claves unico tantum anno. Ethesin publice detestatus est; propterea ab *Heraclio* in exilium missus, fatis concessit. 638.

LXXV. *Joannes IV.* Dalmata, Venantii filius, inter Romanos Pontifices creatus, biennio Tiaram gestavit. Monothelitas, unam tantum in Christo voluntatem admitientes, a Fidelium communitate segregavit. Christianorum a Barbaris captivorum libertatem Ecclesiæ bonis emit.

LXXVI. *Theodorus I.* Jerosolymitanus, Episcopatum obtinuit annis 6. & totidem mensibus. Multis Ecclesiis de novo constructis famam auxit. Duas Epistolas, & Apologiam in *Pyrrhum* Patriarcham Constantinopolitanum, cui diras dixit, post se reliquit. 642.

LXXVII. *S. Martinus I.* Tudertinus Umber, Fabricii filius, postquam Sedes Romana mense uno, & diebus 20. vacasset, Summus Pontifex electus, sedit 6. annis, cum mense uno. A *Constante* Imperatore per Theodorum Exarcham Constantinopolim abreptus, & in Chersonesum, eo quod Heraclii typo subscribere jussus, cum una cum Monothelitarum errore damnasset, relegatus, ibi diem clausit extremum. 649.

LXXVIII. *S. Eugenius I.* in *Martini* locum subrogatus, Ecclesiæ præfuit biennio, & 9. mensibus. Monothelitarum acerrimus hostis carceres pro Hæreticis exstruxit; & ab Episcopis extra Urbem ædificari præcepit. 654.

LXXIX. *S. Vitalianus* Campanus Anastasio patre natus, *Eugenio* post mensem in Cathedra Pontificia successit. Rei musicæ peritus primus Cantum figuratum in Ecclesias introduxit. Cantuariensem Ecclesiam ad Archiepiscopatus Honorem evexit; Officium, & Missam Latina lingua persolvi jussit; 14. Regiminis anno, & sexto mense morte migravit. 657.

LXXX. *Adeodatus II.* Romanus Benedictinus, duobus mensibus vacante Sede, inter Pontifices electus, Ecclesiam rexit annis 4. & mensibus 2. *Constantino* Pogonato Imperante. Viros Apostolicos ad Gentium conversionem emisit, nec pauca Monasteria fundavit. 672.

LXXXI. *Domus*, vel *Donnus I.* Romæ itidem Mauritio patre natus, in *Adeodati* locum suffectus est. Multas Ecclesias, & Monasteria instauravit. Ravennatem Ecclesiam Romanæ Sedi restituit. Theodoro ad Fidem Catholicam perducto, anno Papatus secundo mortem oppetiit. 676.

LXXXII. *S. Agatho* Siculus, ex Monacho Pontifex, sedit annis 4. circiter. Sextam Synodum Universalem Constantinopoli convocavit, cui quatuor Illius Legati præsedere; Imperator *Constantinus Pogonatus*, & 289. Orientis, & Occidentis Episcopi interfuere. In ea *Cyrus Phaseos* Episcopus cum *Sergio*, *Pyrrho*, & *Paulo* Patriarchis Monothelitis proscripti sunt. Duæ Ipsi attribuuntur Epistolæ. 678.

Ann. Chr.

682. LXXXIII. *S. Leo II.* itidem Siculus Pauli filius, elapso semestri electus, Ecclesiæ Romanæ præfuit, 10. tantum mensibus. Græcæ, & Latinæ Linguæ, item Musices apprime peritus Hymnorum modulos invenit. Sextam Synodum confirmavit; Pro Pallio Archiepiscopali pretium acceptari vetuit. Quinque ejus nomine insigniras Epistolas, suppostitias Critici censent.

684. LXXXIV. *S. Benedictus II.* Romanus, Joannis filius, post octomestre electus, Episcopatum administravit per undecim menses, Imperante *Constantino Pogonato*, Regnante apud Francos *Theodorico*. Is ab ipso Imperatore obtinuit, ut qui deinceps ad Pontificiam Cathedram suffectus esset, Cæsarea confirmatione minime indigeret. S. Petri Ecclesiam, aliasque instauravit. Duæ ejus nomine circumferuntur Epistolæ de deferenda in Hispaniam Concilii Constantinopolitani OEcumenici 6. definitione; Prima ad *Petrum Notarium regionarium*; altera *ad Ervigium Gothorum Regem*.

685. LXXXV. *Joannes V.* Antiochenus, Ciriaci filius, Summus Pontifex post mensem creatus, *Benedicto* successit. De Pallii dignitate scripsit, & expleto anno tertis valedixit.

686. LXXXVI. *Conon* Trax, *Angelicus* dictus, contra Petrum Archiepiscopum, & Theodorum electus, Ecclesiæ Romanæ præfuit mensibus 11. & 3. diebus. Post Ipsum Sedes Pontificia tribus prope mensibus vacavit.

687. LXXXVII. *S. Sergius I.* Antiochenus Tiberii filius, contra itidem Theodorum & Paschalem electus, sedisse legitur 13. annis, octoque mensibus. In Missa *Agnus Dei* ter cantari voluit. Aquilejensis Conciliabuli præsides, qui anno 680. quintam Syodum reprobaverant, ad Catholicæ Ecclesiæ consensum salutaribus monitis adduxit. Saxones veræ Fidei rudimentis imbutos ad Fontem perduxit. Memoratur ejus Epistola *ad Ceolfridum in Anglia* de *Beda* Romam mittendo. Vivis excessit, imperante *Tiberio Absimaro*, regnantibus apud Francos *Childeberto*, in Italia vero *Cuniberto*, & septimo Sæculo finem imposuit.

INDEX CONCILIORUM

Septimi Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
630.	Alexandrinum Conciliabulum.	Honorius.
633.	Alexandrinum.	
687.	Anglicanum.	
692.	Anglo-Saxonicum.	Sergius I.
698.	Aquilejense. Conciliabul.	
682.	Arelatense.	Leo II.
672.	Augustodunense.	Adeodatus II.
677.	Augustodunense.	Donnus I.
645.	Aurelianense V.	Theodorus I.
694.	Bacanceldense.	
694.	Bacanceldense.	Sergius. I.
697.	Berghamstedense.	
675.	Bracarense IV.	Adeodatus II.
602.	Byzacenum.	Gregorius I.
646.	Byzacenum.	Theodorus I.
603.	Cabilonense.	Gregorius I.
650.	Cabilonense I.	Martinus I.
691.	Cæsaraugustanum III.	Sergius I.
618.	Cantianum.	Bonifacius V.
605.	Cantuariense.	Sabinianus.
685.	Cantuariense.	Joannes V.
646.	Carthaginense.	Theodorus I.
619.	Charnense.	Bonifacius V.
628.	Clippiacense.	
633.	Clippiacense.	Honorius I.
636.	Clippiacense.	
659.	Clippiacensis conventus.	Vitalianus.
644.	Compendiensis conventus.	Theodorus I.
656.	Compendiensia duo.	Eugenius I.

Salmon Concil.

An.Chr.	*Concilium*	*Pontifex.*
626.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	
630. *circ.*	Constantinop. Conciliab.	Honorius I.
633.	Constantinopolitanum.	
639.	Constantinopolitanum.	
639.	Constantinopol. Conciliab.	Severinus.
640. *circ.*	Constantinopol. Conciliab.	. . . . . .
655. *& seq.*	Constantinopolitana duo.	Eugenius I.
680. *& seq.*	Constantinopolitan. III. Generale VI.	Agatho.
692.	Constantinopolitan. *dict.* Quinisextum.	Sergius I.
667.	Cretense.	Vitalianus.
677.	Dirinensis Synodus *Nestor.*	Donnus I.
614.	Egarense.	Bonifacius IV.
666.	Emeritense.	Vitalianus.
615. *circ.*	Gallicanum *incerti loci.*	Adeodatus I.
658.	Gallicanum.	Vitalianus.
679.	Gallicanum *incerti loci.*	Agatho.
686.	Gallicanum *in Villa regia.*	Joannes V.
680.	Hedtfeldense.	Agatho.
673.	Herfordiense.	Adeodatus II.
684.	Hibernicum.	Leo II.
630.	Hierosolymitanum.	Honorius I.
634.	Hierosolymitanum.	
619.	Hispalense II.	Bonifacius V.
630.	Leniense.	Honorius I.
605.	Londinense.	Sabinianus.
686.	Manaschiertense.	Conon.
678.	Marlacense.	Agatho.
ab an. 616. *ad* 624.	Matisconense *f. comment.*	. . . . . .
627.	Matisconense.	Honorius I.
646.	Mauritaniense.	Theodorus I.
679.	Mediolanense.	Agatho.
658. *circ.*	Namnetense.	Vitalianus.
647.	Nestoriana Synodus.	Theodorus I.
694.	Nestoriana Synodus.	Sergius I.
645.	Nisibense.	Theodorus.
680.	Northumbrense.	Agatho.
602.	Numidicum.	Gregorius I.
646.	Numidicum.	Theodorus I.
615.	Parisiense V.	Adeodatus I.
638.	Parisiense.	Honorius I.
605.	Persicum *Nestorian.*	Sabinianus.
664.	Pharense.	Vitalianus.
630.	Remense.	Honorius I.
601.	Romanum III.	Gregorius I.
601.	Romanum IV.	
606.	Romanum.	Bonifacius III.
610.	Romanum.	Bonifacius IV.
639.	Romanum.	Honorius I.
641.	Romanum.	Joannes IV.
648.	Romanum.	Theodorus I.
649.	Romanum.	Martinus I.
649.	Romanum.	
667.	Romanum.	Vitalianus.
680.	Romana duo.	Agatho.
685.	Romanum.	Joannes V.
650.	Rothomagense.	Martinus I.
682.	Rothomagense.	Agatho.
635.	Scoticus conventus.	Honorius I.
654.	Seleuciense *Nestorian.*	Eugenius I.
601.	Senonense.	Gregorius I.
672.	Senonense.	Adeodatus II.
614.	Tarraconense.	Bonifacius IV.
649.	Thessalonic. pseudosynod.	Theodorus I.
610.	Toletanum.	Bonifacius IV.
633.	Toletanum IV.	
636.	Toletanum V.	Honorius I.
638.	Toletanum VI.	
646.	Toletanum VII.	Theodorus I.
653.	Toletanum VIII.	Martinus I.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
655.	Toletanum IX.	Eugenius I.
657.	Toletanum X.	Vitalianus.
675.	Toletanum XI.	Adeodatus II.
681.	Toletanum XII.	Agatho.
683.	Toletanum XIII.	Leo II.
684.	Toletanum XIV.	Benedictus II.
688.	Toletanum XV.	Sergius I.
693.	Toletanum XVI.	Sergius I.
694.	Toletanum XVII.	Sergius I.
666.	Trevirense.	Vitalianus.
686.	*In Villa regia in Gallia.*	Joannes V.
697.	Ultrajectense.	Sergius I.
601.	VVigorniense.	Gregorius I.

§. VIII.

Octavum Salutis Reparatæ Seculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr. 701. LXXXVIII. S. *Joannes VI.* natione Græcus, post mensem in *Sergii* locum subrogatus est. *Gisulpho* Beneventano Duci, Romanas Ditiones infestanti, meliora persuasit; a Populo Romano contra *Theophylactum* Cæsareum Exarcham, qui a *Tiberio* Imperatore ut Eum in vincula conjiceret, Romam missus fuerat, a Civibus Romanis acerrime defensus est. Egenos bello oppressos large refecit, & plurimos Captivos in libertatem asseruit. Eum post trium Annorum, & duorum mensium Papatum Martyrem occubuisse quidam dicunt.

705. LXXXIX. *S. Joannes VII.* itidem Græcus, Platone pâtre natus inter Pontifices electus, Ecclesiæ Romanæ præfuit annis 2. & mensibus 7. imperante *Justiniano* Rhinotmeto ab exilio revocato. Ut Iconoclastas reprimeret, Ecclesias sacris Imaginibus exornavit. Ab *Ariperto* Longobardorum Rege Alpes Cottias (Taurino per Genuæ Ducatum usque in Galliam extensas) Sedi Apostolicæ ab Ipsis ereptas recepit. Ædem in Ecclesia *S. Petri* in Deiparæ honorem exstruxit, & Cœmeteria *SS. Marcellini, Marci, & Damasi* ornatibus decoravit.

708. XC. *Sisinnius* Syrus, Joannis filius, Summus Pontifex creatus, non nisi 20. diebus Episcopatum administravit; Chiragræ doloribus extinctus est.

XCI. *Constantinus I.* & ipse Syrus, in *Sisinnii* locum suffectus est. Ab Imperatore *Justiniano II.* Constantinopolim invitatus, magnificentissime ibidem exceptus est, ita ut Ipse Imperator Ejus pedes sit osculatus. *Philippico Justiniani* Successori, qui SS. Imaginum cultum prohibuerat, sacris interdixit; Patrum, qui primis 6. Conciliis interfuerant, effigies depingi jussit. Postquam Ecclesiæ 7. annis præfuisset, e vita migravit.

715. XCII. *S. Gregorius II.* Romanus Marcelli filius, post *Constantinum* Cathedram Pontificiam obtinuit. Is, misso trans Rhenum Bonifacio Monacho, Germanos ad Fidem Christi traduxit. *Leonem Isaurum* Iconoclastam a Fidelium communione exclusit; & *Luitprandum* Longobardorum Regem ab Urbis Romanæ obsidione deterruit. Ejus Decreta 19. numero in Synodo Romana anno 721. constituta Codicem Canonum Romanæ Ecclesiæ veterem claudunt. Extant & ejusdem Epistolæ 15. magna ex parte ad Francos vel Germanos inscriptæ. Post 15. annorum Regimen Cœlitum numerum auxit.

731. XCIII. *S. Gregorius III.* Syrus, natione, Joannis filius, cum Sedes Romana diebus 24. vacasset, ad Pontificatum, evectus, sedit annis 10. cum mensibus 9. primum *Leone Isauro*, deinde *Constantino Copronymo* Imperatore, regente Franciam *Carolo Martello*, Is toto Papatus sui tempore propter Sacrarum Imaginum cultum cum *Leone* acerrime collisus, quem postea anathemate percussit. Præcepit, ne inter consanguineos matrimonia contraherentur. Septem Ipsi attribuuntur Epistolæ de rebus Germanorum.

741. XCIV. *S. Zacharias* Græcus, Polychronio patre natus, Ecclesiæ Romanæ præfuit annis 10. mensibus 3. cum diebus 9. Longobardos Ducem Spoleti persequentes sua modestia, & humilitate sedavit. *Pipino Caroli Martelli* Filio, & *Caroli Magni* Patri Franciæ Coronam, *Childerico* in Monasterium Populo consentiente detruso, imposuit. Cæterum Baptismum a Linguæ Latinæ minus perito: *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta* collatum validum, & ratum habuit. Ann. Chr.

XCV. *Stephanus II.* Romanus, Summus Pontifex electus, tertio, vel quarto sui Pontificatus die Apoplexia tactus a vivis discessit; unde ab aliquibus a Pontificum Romanorum serie dimittitur. 752.

XCVI. *Stephanus III.* patria itidem Romanus, ad Ecclesiæ Regimen evectus, a Populo Romano usque in Lateranensem Ecclesiam humeris deportatus. *Astulphi* Longobardorum Regis injurias fugiens, Galliam accessit, ubi omni cultu exceptus *Pipini* duos baptizavit filios, *Carolum*, & *Carolomannum*. Eum ipse *Pipinus* Ravennæ Exarchatu (moderna *Romania*) & Pentapoli (hodierna *Ancora*) item Picentinis, aliisque Civitatibus donavit. Sedit annis 5. & diebus 9.

XCVII. *S. Paulus I. Stephani II.* frater Romæ natus, postquam integro prope mense Sedes Pontificia vacasset, Episcopatum obtinuit. Erga Pauperes liberalissimus; nocte qualibet cum familiaribus suis cubicula ægrotantium, & carceres visitabat. A *Pipino* contra Longobardos, a quibus multa adversa tulit, defensus, post 11. annos supremum diem obiit. 757.

XCVIII. *Stephanus IV.* Siculus, postquam Constantinum, a Totone Nepi Duce intrusum, anathemate in illum dicto dejecisset; Sedem Pontificiam tenuit annis 3. mensibus 5. & diebus 27. Tres ejus Epistolæ ad Reges Reginamve Francorum extant, ex Codice Carolino per *Gretserum* edito. 768.

XCIX. *Hadrianus I.* Theodori Romani filius, in *Stephani* locum subrogatus, præfedit annis 23. cum tribus mensibus. Ipsi *Carolus Magnus* Francorum Rex, Longobardorum Rege *Desiderio* devicto, magnam Italiæ partem donavit. Nicænum septimum Generale Concilium contra Iconoclastas coegit. Ipsius Epistolæ ex Bibliotheca Vaticana a *Baronio* referuntur, quarum plerumque scriptæ sunt ad *Carolum Magnum*; quæ numero 17. habentur in Labbeana omnium Conciliorum Editione. 772.

C. *S. Leo III.* Romanus, Azuppii filius, Ecclesiam rexit annis 20. mensibus 5. & diebus 17. Maxime vexatus a Romanis, qui per seditionem Ipsum Papatu spoliaverunt, *Carolum Magnum* adivit, a quo, objectis criminibus jurejurando discussis, Romanæ Sedi restitutus est. Die Dominici Natalis ipsum *Carolum*, Cæsarea Corona redimitum, Augustum Occidentis Imperatorem salutavit, atque Imperatorii Sceptri Dignitatem, ac Potestatem Occidenti restituit. Episcopatum Salisburgensem ad Archiepiscopatus apicem evexit, & hac Dignitate primo Arnonem decoravit. Pro avertendis, qui totam Italiam tunc temporis concusserunt, horrendis terræ motibus, Lytanias majores per triduum ante Christi in Cœlos Ascensionem instituit. Imperante *Ludovico* Pio e vivis discessit. 795.

INDEX CONCILIORUM

Octavi Seculi.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
788.	Acleense, *seu* Acclechense.	Hadrianus I.
705.	Aderbonense.	Joannes VII.
709.	Alnense.	Constantin. I.
700. *circ.*	Anglicanum *incerti loci.*	. . . .
756.	Anglicum.	Stephanus III.
759.	Anglicana duo.	Paulus I.
797.	Anglicanum.	Leo III.
781.	Antiochenum.	Hadrianus I.
789.	Aquisgranense capitul.	Hadrianus I.
763.	Attiniacensis conventus.	Paulus I.
765.	Attiniacensis conventus.	Paulus I.
766.	Aurelianensis conventus.	Paulus I.
798. *circ.*		

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
798.*circ.*	Bacanceldense.	Leo III.
767.	Bituricense.	Paulus I.
708.	Britannicum.	Sisinnius.
712.*circ.*	Britannicum.	Constantin. I.
787.	Calcutense.	Hadrianus I.
742.	Clovegoense.	} Zacharias.
747.	Cloveghoense.	}
782.	Coloniense.	Hadrianus I.
757.	Compendiense.	} Paulus I.
758.	Compendiensis conventus.	}
711.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	{ Constantin. I.
712.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	{
715.	Constantinopolitanum.	}
715. *aut seq.*	Constantinopolitanum.	} Gregorius II.
725.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	}
754.	Constantinopolitan. Conciliabulum.	Stephanus III.
784.	Constantinopolitanum.	Hadrianus I.
722.	Dingolvingense.	Hadrianus I.
768. *apud*	S. Dionysium.	Stephanus IV.
761.	Duriense.	Paulus I.
775.	Duriensis conventus.	} Hadrianus I.
779.	Duriense.	}
708.*circ.*	Finchalense.	Leo III.
788.	Finchenhallense.	}
791.	Forojuliense.	} Hadrianus I.
794.	Forojuliense.	}
742.	Gallicana Synodus.	Zacharias.
796.	Gallicanum *incerti loci fort. Turon.*	Leo III.
773.	Genavense.	Hadrianus I.
767.	Gentiliacense.	Paulus I.
742.	Germanicum I.	}
745	Germanicum II.	} Zacharias.
747.	Germanicum.	}
759.	Germanicum Conciliabul.	Paulus I.
inter 781. & 798.	Germanicum *incerti loci.*	. . . . . .
755.	Hierapolit. *Syn. Eutych.*	Stephanus III.
717.	Hierosolymitanum.	Gregorius II.
767.	Hierosolymitanum.	Paulus I.
783.	Hispanicum	} Hadrianus I.
793.	Hispanicum *fort.* Tolet.	}
ab 726. *ad* 731.	Jacobitarum *in Sir.*	Gregorius II.
755.	Jacobitarum *in Syr.*	Stephanus II.
793.	Jacobitarum *in Mesopot.*	} Hadrianus I.
788.	Ingilenheimense.	}
742.	Italica Synodus.	Zacharias.
769.	Lateranense.	Stephanus IV.
774.	Lateranensis Synod. dubia.	}
780.	Lippiense.	} Hadrianus I.
782.	Lippiense.	}
743.	Liptinense.	Zacharias.
756.	Liptinense.	Stephanus III.
712.	Londinense.	Constantin. I.
705.*circ.*	Marcianum.	Joannes VII.
753.	Metense.	} Stephanus III.
753.	Moguntinum.	}
788.	Narbonense.	}
787.	Nicænum Bithyn. OEcumenicum VII.	} Hadrianus I.
705.	Niddense.	Joannes VII.
763.	Nivernense.	Paulus I.
777.	Paderbonense.	} Hadrianus I.
786.	Paderbonense.	}
792.	Ratisponense.	Hadrianus I.
798.*circ.*	Ratisponensis conventus.	}
799.	Reiplacense.	} Leo III.
705.	Romanum.	Joannes VII.
710.	Romanum dubium. *Salmon Concil.*	Constantin. I.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
721.	Romanum I.	}
724.	Romanum II.	} Gregorius II.
726.	Romanum III.	}
731.	Romanum I.	{ Gregorius III.
732.	Romanum II.	{
743.	Romanum I.	} Zacharias.
745.	Romanum II.	}
752.	Romanum.	{ Stephanus III.
753.	Romanum.	{
761.	Romanum.	Paulus I.
769.	Romanum.	} Stephanus IV.
769.	Romanum.	}
780.	Romanum.	{ Hadrianus I.
792.	Romanum.	{
799.	Romanum.	Leo III.
705.	Saxonicum.	Joannes VII.
. . .	Saxonicum.	. . . . .
744.	Suessionense.	Zacharias.
. . .	Sufetulense.	. . . . . .
770.	Sufetulense.	Stephanus IV.
740.	Tarinanense *Jacobit.*	Gregorius III.
759.	Telense *Jacobit.*	Paulus I.
701.	Toletanum XVIII.	Joannes VI.
771.	Valentianense.	Stephanus IV.
775.	Venetum.	Hadrianus I.
752.	Vermeriense.	} Stephanus III.
755.	Vernense.	}
793.	Verolamiense I.	{ Hadrianus I.
794.	Verolamiense II.	{
715.	Vicovalariense *in Etr.*	Gregorius II.
761.	Volvicense.	Paulus I.
738.	VVigorniense.	Gregorius III.
764.	VVormatiensis conventus.	Paulus I.
770.	VVormatiense.	Stephanus IV.
772.	VVormatiense.	}
776.	VVormatiense.	}
786.	VVormatiense.	} Hadrianus I.
787.	VVormatiense V.	}
790.	VVormatiense VI.	}

§. IX.

Nonum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

CI. STephanus V. Romanus, Julii Marini filius, *Leoni* Cathedra Pontificia successit. Is Galliam accedens, benignissime acceptus est. Ibi *Ludovicum Pium* Romanorum Imperatorem coronavit, a quo pretiosissima Crucifixi Imagine, in S. Petri Templo collocanda, donatus fuit. Post septimestre Regnum obiit. Concilio, quod tunc temporis sub *Ludovico Pio* Aquisgrani est celebratum, Canonicorum Regularium celeberrimus Ordo suam originem debet. *Ann. Chr.* 816.

CII. *Paschalis I.* Romæ itidem Bonoso patre natus, Episcopatum administravit annis 7. mensibus 3. & diebus 7. Is scripta ad *Ludovicum Pium* Epistola, Pontificiam Dignitatem eo inconsulto acceptam excusavit; *Ludovicus* autem rescripto suo seu constitutione in gratiam *Paschalis* emissa, liberam impostenum Romani Episcopi electionem permisit. Apud ipsum Imperatorem falso approbati cujusdam Parricidii accusatus, innocens coram Patribus & Legatis declaratus est. Sub ipso gravissima *Leonis Isauri* Iconoclastæ Persecutio adhuc perduravit. *Theodorus Studita*, devotissimus Sacrarum Imaginum Cultor, & Vindex, multas ad Eum Epistolas dedit. Quod *Ludovicus* Imperator huic Pontifici Siciliam, Corsicam, & Sardiniam Insulas donaverit, contra Gratianum Ant. Pagius in Critica ad Annum 817. negat. 817.

CIII. *Eugenius II.* patria Romanus, Boemundi filius, contra *Zinzinum*, quem Ipsi quidam Antipapam opposuerant, electus, tres in Papatu annos complevit. A *Lothario* Ludovici filio, quem Pater hac in causa Romam miserat, protectus est. Propter suam erga Pauperes liberalitatem, *Pauperum Pater* nominatus. Exstant aliquot Canones Concilii Romani sub eo celebrati. 824.

 CVI. *Va-*

Ann. Chr.

827. CVI. *Valentinus*, Leonico Romano patre natus, in *Eugenii* locum subrogatus, vir sanctitate plenus, 40. tantum diebus Tiaram gestavit.

CV. *Gregorius IV.* & ipse Romanus, Joanne genitus, Summus Pontifex creatus, ultra 17. annos Ecclesiæ præfuit. Sedem occupare noluit, nisi antea ab Imperatore *Ludovico* confirmatus esset. Sex Ord. S. Benedicti Monachos in Daniam, Sveciam, aliasque Septentrionales Regiones prædicandæ fidei causa ablegavit. *Festum Sanctorum Omnium*, prius jussu *Bonifacii IV.* Romæ duntaxat 13. Maii celebratum, deinceps 1. Novembris, instante Imperat. *Ludovico*, omnibus Catholicis festivum esse jussit, eo quod olim Gentiles hac die Cybelem omnium Deorum Matrem colucrint. Tres hujus Pontificis reperiuntur Epistolæ ad Galliæ vel Germaniæ Præsules inscriptæ.

844. CVI. *Sergius II.* Romæ natus, post *Gregorium* Sedem Pontificiam obtinuit, præfuitque tribus annis cum duobus mensibus. Primus fuit, cujus nomen mutatum in Pontificali consecratione. Ipsum Malevoli prius *Porci proboscidem* vocatum fuisse fingunt. Multas tum a *Ludovici* Imperatoris *Lotharii* filii militibus, tum a Saracenis Siciliam cum tota Italia misere devastantibus ærumnas passus. Pace confecta, Romæ ipsum *Ludovicum II.* Italiæ Regem salutavit.

847. CVII. *S. Leo IV.* & ipse Romanus, Rodoaldi filius, inter Pontifices electus, sedisse legitur annis 8. & mensibus 3. Urbem cum *S. Petri* Ecclesia reparavit. Instructa Classe Saracenos repressit; Vaticanum mœnibus cinxit, & a suo Nomine *Leoninam* vocari jussit. Opera Captivorum Saracenorum variis Propugnaculis Tyberim munivit; *Ælfredum* Angliæ Regem coronavit. Duæ tresve inveniuntur Ipsius Epistolæ cum aliarum fragmentis. Cæterum huic Papæ *Leoni IV.* fœminam *Joannam* sub *Joannis VIII.* nomine successisse, Romanæ Sedis Hostes fabulantur; quod inane tamen commentum inter alios *Blondellus* ipse Calvinianus integro Libro refutat.

855. CVIII. *Benedictus III.* Petro Romano patre natus, post sex dierum vacationem, Summus Pontifex contra Anastasium S. Marcelli Cardinalem invitus electus, duobus, & dimidio annis præfuit. Erga Pauperes liberalissimus, morte migravit, imperantibus *Ludovico II.* & *Michaele* Potore, regnantibus vero apud Francos *Carolo*, *Ludovico*, & *Lothario* juniore.

858. CIX. *Nicolaus I.* cognomento *Magnus*, natione itidem Romanus, præsente *Ludovico II.* electus, Episcopatum administravit Annis 9. mensibus 6. & diebus 21. Bulgaris per Viros Apostolicos Fidem Catholicam prædicavit, & Ecclesiæ Libertatem contra Orientis, & Occidentis Imperatores intrepide defendit. *Lotharii* divortium cum *Theuberga*, & consortium cum *Valdrada* damnavit, exauthoratis Episcopis, qui has nuptias probaverant. In Photium quoque, qui pulso Ignatio Sedem Constantinopolitanam invaserat, anathema pronunciavit. Plures ejus nomine circumferuntur Epistolæ, quæ duplici serie in postrema Conciliorum collectione editæ sunt. Decreta ipsius ex Gratiano collecta in titulos 20. divisa sunt a Joanne Coclaeo.

867. CX. *Hadrianus II.* Romanus, Talari filius, in *Nicolai* locum suffectus, Ecclesiam rexit annis 5. diebus 12. Sub Ipsius Pontificatu ultimum Orientale Constantinopolitanum Concilium a 383. Episcopis celebratum, in quo sancitum est Photium esse e Sede expellendum, & Ignatium restituendum. Erga Egenos liberalis, fatis concessit.

872. CXI. *Joannes VIII.* Romæ Vidone patre genitus, cum Sedes Romana ultra mensem vacasset, inter Pontifices electus, decem annis præfedit. Is intra quadriennii spatium tribus Francorum Regibus, *Carolo Calvo*, *Ludovico II.* & *Carolo III.* Imperialem Coronam imposuit. Exstant ejus Epistolæ ter centum viginti in editione regia Conciliorum, cum aliarum aliquot fragmentis.

882. CXII. *Martinus II.* natione Tuscus, in decessoris locum subrogatus, uno tantum anno, ac quinque mensibus Ecclesiam rexit. *Basilio* Orientis Imperatori, & intruso Photio Patriarchæ Apostolico zelo restitit.

CXIII. *Hadrianus III.* Romanus, Benedicti filius, Summus Pontifex post *Martinum* creatus, sedit anno uno & tribus mensibus. Is Imperatores a Pontificum Electione singulari Decreto exclusit, ut tota eligendi libertas apud Populum & Clerum maneret. *Ann. Chr.* 883.

CXIV. *Stephanus VI.* Romæ itidem natus, ad Pontificiam Cathedram evectus, sex annis, & aliquot diebus Ecclesiæ claves tenuit. Eorum, qui accusati fuerint, Innocentiam candente ferro, vel vivis carbonibus probari vetuit. *Guidonem* Augustum Italiæ Regem coronavit. Pietate clarus e vivis discessit. 885.

CXV. *Formosus* Romanus, e celeberrimo Ordine Canonicorum Regularium, inter Pontifices electus, *Stephano* successit. Ipsi Comites Tusculani *Sergium* Antipapam opposuere. Illis tamen *Arnulphus* Germanorum Rex cum ingenti exercitu Romam pergens sese adversarium objecit, & *Formosi* Sedem stabilivit. Quinto Pontificatus anno multis pressus ærumnis extremum diem clausit. 891.

CXVI. *Bonifacius VI.* natione Tuscus, a Sergianis electus, 15. diebus Tiaram gestavit, & vivis ereptus est. 896.

CXVII. *Stephanus VII.* Romanus, Joanne patre natus, ad Sedem Pontificiam suffectus est. *Formosi* Prædecessoris sui cadaver tribus, quibus benedicere consueverat, digitis mutilatum in Tyberim projici jussit. Propter hanc crudelitatem in carcere fune suffocatus, post annum, duosque menses mortem subiit.

CXVIII. *Romanus* ex Tuscia Constantino genitus, post *Stephanum* Episcopatum administravit quatuor tantum mensibus. *Formosi* Papæ defensor, Prædecessoris Decreta omnia abrogavit. 897.

CXIX. *Theodorus II.* patria Romanus, Summus Pontifex creatus, decreta, seu statuta *Formosi* restituit. Nonnisi 20. diebus Ecclesiæ præfedit. 898.

CXX. *Joannes IX.* Tiburi natus, in Theodori locum subrogatus est. Omnia *Stephani VII.* Prædecessoris contra *Formosum* Acta in Concilio Ravennatensi rescidit; & post biennium, paucosque ultra dies vivere desiit. Illi successit *Benedictus IV.* de quo Sæculo sequenti.

INDEX CONCILIORUM

Noni Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
888.	Agaunensis conventus.	Stephanus VI.
802.	Altiense *dubium.*	Leo III.
. . .	Anglicanum.	Formosus.
822.	Anglicana plura *Beornulpho rege.*	
802.	Aquisgranense.	
803.	Aquisgranense.	Leo III.
809.	Aquisgranense.	
816.	Aquisgranense.	Stephanus V.
817.	Aquisgranense	
818.	Aquisgranense.	Paschalis I.
819.	Aquisgranense.	
825.	Aquisgranense.	Eugenius II.
832.	Aquisgranensis conventus.	
836.	Aquisgranense II.	Gregorius IV.
838.	Aquisgranensis conventus.	
842.	Aquisgranense.	. .
860.	Aquisgranensia duo.	Nicolaus I.
862.	Aquisgranense III.	
836.	Aquitanic. conventus.	Gregorius IV.
838.	Aquitanic. conventus.	
863.	Aquitanicum *incerti loci.*	Nicolaus I.
813.	Arelatense VI.	Leo III.
822.	Attiniacense.	Paschalis I.
835.	Attiniacensis conventus.	Gregorius IV.
865.	Attiniacensis conventus.	Nicolaus I.
870.	Attiniacense.	Hadrianus II.
841.	Antissiodorensis conventus.	Gregorius IV.
847.	Bellovacense.	Sergius II.
850. *circ.*	Benningodonense.	Leo IV.

842. Bi-

An. Chr.	Concilium.	Pontifex.
843.	Bituricense.	Gregorius IV.
855.	Bonoilense.	Leo IV.
813.	Cabilonense II.	Leo III.
839.	Cabilonensis conventus.	Gregorius IV.
873	Cabilonense.	Joannes VIII.
875.	Cabilonensis conventus.	
886.	Cabilonense.	Stephanus VI.
894.	Cabilonense.	Formosus.
820.	Cantuariense.	Paschalis I.
837.	Carisiacensis conventus.	Gregorius IV.
838.	Carisiaca Synodus.	
849.	Carisiacense I.	Leo IV.
853.	Carisiacense II.	
857.	Carisiacense.	Benedictus III.
868.	Carisiacensis conventus.	Hadrianus II.
849.	Carnotensis conventus.	Leo IV.
893.	Catalaunensis Synodus.	Formosus.
816.	Celichytense.	Stephanus V.
839.	Cenomanense.	Gregorius IV.
800.	Cloveghoense.	Leo III.
803.	Cloveghoense.	
822.	Cloveghoense.	Paschalis I.
824.	Cloveghoense.	Eugenius II.
825.	Cloveghoense.	
870.	Coloniense.	Hadrianus II.
873.	Coloniense	Joannes VIII.
877.	Coloniense.	
887.	Coloniense.	Stephanus VI.
843.	Coloniæ *Villa*.	Gregorius IV.
816.	Compendiense.	Stephanus V.
823.	Compendiense.	Paschalis I.
833.	Compendiensis conventus.	Gregorius IV.
871.	Compendiense.	Hadrianus II.
877.	Compendiensis conventus.	Joannes VIII.
860.	Confluentinum.	Nicolaus I.
809.	Constantinopolit. Concil.	
809.	*Alind*.	
810. *circ.*	Constantinopolit. Synodus.	
811. *circ.*	Constantinopolit. Concil.	
813.	Constantinopolitanum.	Leo III.
814.	Constantinopolit. Concil.	
814.	Constantinopolitanus plur.	
815.	Constantinopolitanum.	
815.	Constantinopolitanum.	
...	Constantinopolitanum.	
821.	Constantinopolitanus conv.	Paschalis I.
830. *circ.*	Constantinopolit. Concil.	Gregorius IV.
842.	Constantinopolitanum.	
846.	Constantinopolitanum.	Sergius II.
854.	Constantinopolitanum.	Leo IV.
856.	Constantinopolitanum.	Benedictus III.
858.	Constantinopolit. I. Conciliabulum.	
859.	Constantinopolitanum.	
859.	Constantinopolit. II. Conciliabulum.	Nicolaus I.
861.	Constantinopol. III. Conciliabulum.	
867.	Constantinopolit. Conciliabulum.	
867.	Constantinopolitanum.	
869.	Constantin. IV. Gen. VIII.	Hadrianus II.
879.	Constantinopol. Concil.	Joannes VIII.
893.	Constantin. Synod. duplex.	Formosus.
863.	*in* Convicino *Villa*.	Nicolaus I.
852.	Cordubense.	Leo IV.
834.	*apud* S. Dionysium.	Gregorius IV.
871.	Duziacense I.	Hadrianus II.
874.	Duziacense II.	Joannes VIII.
887.	Firmanum *dubium*.	Stephanus VI.
890.	Forachheimense.	
873.	Francofurtense.	Joannes VIII.
892.	Francfurtense.	Formosus.
800.	Gallicanum.	Leo III.
860.	Gallic. conv. *incerti loci*.	Nicolaus I.
868. *circ.*	Gallicanum *incerti loci*.	Hadrianus II.
868.	Aliud.	
897.	Gallicana Synodus.	Stephanus VII.
843.	Germaniciense.	Gregorius IV.
806.	Germanicum.	Leo III.

An. Chr.	Concilium.	Pontifex.
832.	Hammaburgense.	Gregorius IV.
879.	Hierosolymitana Synodus.	Joannes VIII.
837.	Jacobit. Synodi duæ.	Gregorius IV.
869.	Jacobit. Synod. Capharnutæ.	Hadrianus II.
879.	In confinio trium Provinciarum Arelat.	Joannes VIII.
826.	Ingilenheimense.	Eugenius II.
832.	Ingilenheimensis convent.	Gregorius IV.
885.	Italicum *incerti loci*.	Hadrian. III.
886.	Italicum *incerti loci*.	Stephanus VI.
845.	Judicense *ad Theod. villam*.	Sergius II.
851.	Kingesburiense.	Leo IV.
838	Kingstoniense.	Gregorius IV.
887. *aut seq.*	Landavensis Synodus.	Stephanus VI.
823.	Lateranense.	Paschalis I.
869.	Laudunensis Synodus.	Hadrianus II.
843.	Lauriacense.	Gregorius IV.
848.	Lemovicensis conventus.	Leo IV.
830.	Lingonense	Gregorius IV.
859.	Lingonense	Nicolaus I.
859.	*Alind*.	
820.	Londinense.	Paschalis I.
823.	Londinense.	Gregorius IV.
814.	Lugdunense.	Leo III.
829.	Lugdunense.	Gregorius IV.
835.	Lugdunense.	
848.	Lugdunense.	Leo IV.
881.	*apud* S. Macram.	Joannes VIII.
891.	Magdunense.	Formosus.
879.	Mantalense.	Joannes VIII.
827.	Mantuanum.	Eugenius II.
842.	Mediolanense.	Gregorius IV.
860.	Mediolanense.	Nicolaus I.
880.	Mediolanense.	Joannes VIII.
845.	Meldense.	Sergius II.
835.	Metense.	Gregorius IV.
859.	Metense.	Nicolaus I.
863.	Metense.	
869.	Metense.	Hadrianus II.
888.	Metense.	Stephanus VI.
800.	Moguntinum.	Leo III.
813.	Moguntinum.	
829.	Moguntinum.	Gregorius IV.
843.	Moguntinum.	
847.	Moguntinum.	Leo IV.
848.	Moguntinum.	
852.	Moguntinum.	
857.	Moguntinum.	Benedictus III.
858.	Moguntinum.	Nicolaus I.
888.	Moguntinum.	Stephanus VI.
889.	Morinensis Synodus.	
850.	Murittanum.	Leo IV.
886.	Nemausense.	Stephanus VI.
897.	Nemausense.	Stephanus VII.
877. *vel seq.*	Neustriacum.	Joannes VIII.
821.	Noviamagensis conventus.	Paschalis I.
831.	Noviomagensis conventus.	Gregorius IV.
814.	Noviomense.	Leo III.
821.	Oslaveshlense.	Paschalis I.
873.	Oretense.	Joannes VIII.
878.	Papiense.	Joannes VIII.
824.	Parisiensis conventus.	Eugenius II.
929.	Parisiense VI.	Gregorius IV.
846.	Parisiensia duo.	Sergius II.
847.	Parisiense.	
847.	Parisiense.	Leo IV.
849.	Parisiense.	
820.	Persicum *Nestorian.*	Paschalis I.
862.	Pistense.	Nicolaus I.
864.	Pistense.	
869.	Pistense.	Hadrianus II.
876.	Pontigonense.	Joannes VIII.
886.	Portuense.	Stephanus VI.
897.	Portuense.	Stephanus VII.
803.	Ratisponense.	Leo III.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
874.	Ravennate.	
877.	Ravennate.	Joannes VIII.
882.	Ravennate.	
850.	Regiaticinense.	Leo IV.
803.	Reipsacensis Synodus.	Leo III.
813.	Remense.	
874.	Remense.	Joannes VIII.
880.	Remense.	
892.	Remense.	Formosus.
800.	Romanum.	Leo III.
816.	Romanum.	Stephanus V.
826.	Romanum.	Eugenius II.
849.	Romanum.	
850.	Romanum.	Leo IV.
853.	Romanum.	
856.	Romanum.	Benedictus III.
860. & 861.	Romana duo.	
861.	Romanum I.	
862.	Romanum II.	Nicolaus I.
863.	Romana tria III. IV. V.	
864.	Romanum VI.	
865.	Romanum VII.	
868.	Romanum.	
868.	Romanum *aliud*.	Hadrianus II.
869.	Romanum.	
872.	Romanum.	
875.	Romanum.	
876.	Romanum.	
876.	Romanum *aliud*.	
877.	Romanum I.	Joannes VIII.
878.	Romanum.	
879.	Romanum II.	
879.	Romanum III.	
879.	Romanum.	
881. 882. 883.	Romana tria.	Joannes VIII. Martinus II. Hadrianus III.
893.	Romanum.	Formosus.
897.	Romanum Conciliabul.	Stephanus VII.
898.	Romanum.	Theodorus II.
898.	Romanum.	Joannes IX.
898.	Romanum.	
813.	Rothomagense.	Leo III.
848.	Rotonense.	Leo IV.
862. *ad*	Sablonarias conventus.	Nicolaus I.
807.	Salzburgense.	Leo III.
899.	Salzburgense.	Joannes IX.
859. *ad*	Saponarias.	Nicolaus I.
862.	Schiracavannense.	
806.	Seleuciense *Nestorian.*	Leo III.
845.	Senonense.	Sergius II.
846.	Senonense.	
850.	Senonense.	Leo IV.
853.	Senonensis conventus.	
862.	Senonense.	Nicolaus I.
863.	Silvanectense.	
873.	Silvanectense.	Joannes VIII.
859.	Sistericense.	Nicolaus I.
847.	Sparnacense.	Sergius II.
836.	Stramiacense.	Gregorius IV.
851.	Svessionense.	Leo IV.
853.	Svessionense II.	
858.	Svessionense.	
861.	Svessionense.	Nicolaus I.
862.	Svessionensia duo.	
866.	Svessionense III.	
804.	Tegernsense.	Leo III.
840.	Theatina Synodus.	Gregorius IV.
...	Thenitanum.	......
821. *ad*	Theodonis *Villam.*	Paschalis I.
832. *ad*	Theodonis *Villam.*	Gregorius IV.
835.	*Ibidem.*	
844.	*Ibidem.*	Sergius II.
850.	Ticinense.	
852.	Ticinensis conventus.	Leo IV.
853.	Ticinensis conventus.	
855.	Ticinense.	
876.	Ticinense.	Joannes VIII.
829.	Tolosanum.	Gregorius IV.
843.	Tolosanum Capitulare.	
883.	Tolosanum.	Martinus II.
814.	Trevirense.	Leo III.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
895.	Triburiense.	Formosus.
867.	Tricassinum I.	Nicolaus I.
878.	Tricassinum II.	Joannes VIII.
859.	Tullense I. *apud Saponar.*	Nicolaus I.
860.	Tullense II. *apud Tusiacum.*	
800.	Turonense.	Leo III.
813.	Turonense III.	
849.	Turonense IV.	Leo IV.
858.	Turonensis Synodus.	Nicolaus I.
887.	Turonense.	Stephanus VI.
860. *ad*	Tusiacum.	Nicolaus I.
855.	Valentinum III.	Leo IV.
890.	Valentinum.	Stephanus VI.
889.	Varennense placitum.	
818.	Veneticum *in Armorica.*	Paschalis I.
846.	Veneticum Conciliabul.	Sergius II.
818.	Venetum.	Paschalis I.
853.	Vermeriense.	Leo IV.
863.	Vermeriense.	Nicolaus I.
869.	Vermeriense.	Hadrianus II.
844.	Vernense.	Sergius II.
870.	Viennense.	Hadrianus II.
892.	Viennense.	Formosus.
811.	VVinchelcombensis Synod.	Leo III.
855.	VVintoniense.	Benedictus III.
800.	VVormatiense.	Leo III.
829.	VVormatiense.	
833.	VVormatiensis conventus.	Gregorius IV.
836.	VVormatiensis conventus.	
857.	VVormatiense.	Benedictus III.
864.	VVormatiense.	Nicolaus I.
868.	VVormatiense.	Hadrianus II.
890.	VVormatiense.	Stephanus VI.

§. X.

Decimum Reparatæ Salutis Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr.

CXXI. B*Enedictus IV.* Romanus, *Ludovicum* Bosonidem Ludovici II. Imperatoris *ex Irmengarde* Nepotem Provinciæ, seu Burgundiæ Cisiuranæ Regem, imposterum etiam Italiæ Regia Corona insignivit, & *Communis omnium Patris* titulum suis Benefactis implevit. Post triennium, & 4. menses vivis ereptus est. 901.

CXXII. *Leo V.* Italus, in *Benedicti* locum suffectus est. Is a *Christophoro* Cardinali suo Æmulo, quem plurimis beneficiis cumulaverat, in monasterium post 40. dies redire compulsus, ibidem ærumnis confectus obiit. 903.

CXXIII. *Christophorus* Romanus, de quo mox diximus, quia pravis mediis Pontificatum obtinuerat, similibus post semestre a Sergianis Sede pulsus, & in monasterium relegatus est. 904.

CXXIV. *Sergius III.* Romæ itidem natus, opera *Adalberti* Tusciæ Marchionis ad Pontificiam Cathedram suffectus est. Is e Monasterio *Christophorum* egredi jussit, non causa libertatis illi dandæ; sed ut illico in carcerem conjiceretur. Lateranensem Ecclesiam renovavit. Rebus Italiæ compositis, Galliam favore *Lotharii* Regis adivit. Romam reversus in *Formosi* Papæ ossa eruta crudelissime sævit, & non sine maximo scandalo 7. annis, & 3. mensibus præfuit.

CXXV. *Anastasius III.* & ipse Romanus, Luciani filius, post *Sergium* inter Pontifices electus, Ecclesiam rexit duobus annis, & duobus mensibus. Ticinensi Episcopo splendida privilegia concessit, inter quæ etiam hæc continebantur, ut in Conciliis primum a Pontifice locum occupare, Crux in itinere sibi præferri, & ipse equo albo, & umbraculo uti posset. 911.

CXXVI. *Landus* Sabinus, in decessoris locum subrogatus, Ecclesiæ Romanæ præfuit 6. mensibus, & 10. diebus; Ipsius tempore Itali, Germani, & Galli multa inter se bella inierant; eo quod *Formosus* Pontifex Imperium a Gallis ad alios transtulisset. 913.

CXXVII. *Joannes X.* Ravennas, postquam Sedes Romana diebus 26. vacasset, Pontificatum obtinuit

Ann. Chr. tinuit annis 14. 2. mensibus, & 16. diebus. A *Lando*, Theodora potenti fœmina, cui *Adalbertus* Tusciæ Marchio Romanum Castellum donaverat, urgente ad Ravennensem Archiepiscopatum evectus. Copias Ipsemet contra Saracenos in aciem eduxit, eosque in monte Cariliano obsessos, & demum superatos dissipavit. Illum *Marozia*, altera *Jezabel*, Theodoræ filia *Guidonis* Tusciæ Marchionis sui mariti opera in carcerem conjecit, ubi paulo post (quo mortis genere nescitur) exanimis repertus fuit.

928. CXXVIII. *Leo VI.* Romanus, Christophori filius, contra Joannem *Maroziæ* filium electus, Episcopatum administravit 7. mensibus, & 6. diebus. Tumultus Populi a Prædecessoribus suis causatos compescuit; unionem Civium restituit; Hostes ejecit; demum a *Marozia* veneno sublatus est.

929. CXXIX. *Stephanus VIII.* Romæ itidem natus, in *Leonis* locum suffectus est. *Pupillorum*, & *Viduarum Pater* meritus nominari, post biennium, & mensem Cœlos adiit.

931. CXXX. *Joannes XI. Sergii III.* & *Maroziæ* filius, Summus Pontifex creatus, integris quatuor annis Ecclesiæ præfuit. *Guidonis* potentia violenter intrusus; ab *Hugone Maroziæ* focero una cum Matre in arctum carcerem conjectus, ibique post biennium extinctus est.

936. CXXXI. *Leo VII.* Romanus, ad Sedem Pontificiam evectus, *Odonem* Cluniacensem Abbatem Romam vocavit, ut ejus opera dissolutos Cleri mores reformaret. Post triennium, & semestre e vivis discessit.

939. CXXXII. *Stephanus IX.* Germanus, *Leoni* Cathedra Romana successit, seditque annis 4. & totidem mensibus. Ab *Ottone Magno* Romano Clero præsentatus, *Alberico* instigante plurimis a Plebe in vultu vulneribus affectus. Tantam propter seditiones Romanorum sustulit persecutionem, ut Ipsius memoria ære digna sit.

942. CXXXIII. *Martinus III.* Romanus, post decem dierum vacationem, Summus Pontifex creatus est. *Pius*, *Pacificus*, & *Liberalis* nominatus, plures Ecclesias instauravit. Anno tertio, & dimidio vitæ finem fecit.

946. CXXXIV. *Agapetus II.* Romæ & ipse natus, ultra decennium Ecclesiæ præfuit. *Hugonis Capeti* Neustriæ Ducis a Sacris segregationem in Ingelheimensi Synodo, ab *Ottone Magno* celebrata, factam approbavit. *Ottonis* contra *Berengarium*, qui *Adelheidem* Italiæ Hæredem in Castello Canusio obsidebat, & Clerum durissime vexabat, opem imploravit. Post Ipsum 12. diebus Sedes vacua fuit.

956. CXXXV. *Joannes XII.* Alberici filius ex Tusculanis Comitibus, *Octavianus* prius appellatus, a Parente cum annum tantum ageret 18. intrusus, 8. fere annis sedisse fertur. Is primus Pontificum nomen suum mutavit, & *Joannis* nomen Adulatorum suasu assumpsit, ut de seipso verum redderet illud: *Fuit Homo missus a Deo*. Cum in Clerum crudelis esset, Romani *Ottonem Magnum* in auxilium vocarunt, qui Eidem profugo Potestate sua abusus *Leonem VIII.* substituit. Post *Ottonis* ex Italia discessum *Joannes* e fuga redux Acta Conciliabuli sub *Ottone* celebrati restituit. Ob corruptam, & pravam vitam, fabulæ de *Joanna* Papissa ansam præbuisse creditur ab Onuphrio. Ab ignota manu vita exuitur. Ipsius recensentur Epistolæ duæ: Prior ad *Dunstanum Archiepiscopum Cantuariensem*, de concessione pallii; & altera ad *Ottonem*, quæ extat in Actis Concilii Romani anno 963.

964. CXXXVI. *Benedictus V.* Romæ Hildebrando patre genitus, postquam Sedes Pontificia diebus 23. vacasset, ad Papatum evectus est. Is summe vexatus a *Leone VIII.* eo quod ab amicis *Joannis* electus fuisset: *Otto Magnus* Imperator, qui *Joanni Leonem* præferebat, totam Romæ viciniam, ipso *Leone* instigante, vastavit, & *Benedictum* captum Hamburgum relegavit, ubi elapso anno mortem oppetiit.

CXXXVII. *Joannes XIII.* Romanus, Episcopatu *Benedicto* successit, seditque 6. annis, & mensibus 11. Is a Romano Magistratu in carcere ultra annum detentus, ab *Ottone Magno* Imperatore demum liberatus est, qui Primores aliquot Romanos in furcam agi, Gubernatorem Civitatis virgis castigari, & una cum Consule in Germaniam deportari jussit. Hic Pontifex primus Campanam, ut ajunt, baptizavit, & certis ritibus initiavit. *Ann. Chr.*

CXXXVIII. *Benedictus VI.* itidem Romanus, in *Joannis* locum subrogatus est. Is postquam anno uno, & aliquot mensibus Ecclesiæ præsedisset, 972.
Æmulo suo Cardinali *Ferrutio* instigante a *Cincio* in carcere jugulatus est. Inde *Ferrutius* ille Papalem Tiaram sub nomine *Bonifacii VII.* sibi imponit, quam tamen mox deponere coactus cum omnibus Vaticani Thesauri ablatis post mensem aufugit.

CXXXIX. *Domnus*, vel *Donnus II.* patria & ipse Romanus, inter Pontifices creatus, Episcopatum administravit tribus tantum mensibus. Modestia, & morum suavitate clarus occubuit. 974.

CXL. *Benedictus VII.* e Tusculanorum Comitum Sanguine oriundus, Summus Pontifex post *Donnum* electus est. Is novem annis, & aliquot mensibus Ecclesiæ Romanæ Pontificem egit. Ipsius tempore *Otto II.* Imperator occubuit. 975.

CXLI. *Joannes XIV.* Patavienfis, ad Papatum evectus, postquam 8. mensibus claves gessisset, jussu *Ferrutii*, seu *Bonifacii VII.* in carcerem detrusus, ibique fame enectus est. Hoc tempore Idem *Bonifacius* Antipapa Sedem tenuisse fertur. 984.

CXLII. *Joannes XV. Leone* Presbytero Romæ genitus, in decessoris locum suffectus, decem fere annos in Pontificatu complevit. A *Cresentio* Roma pulsus, sed brevi revocatus est. Primus *in Canonizatione S. Udelrici* modernis solemnitatibus est usus. 985.

CXLIII. *Gregorius V.* e Saxonia *Bruno* vocatus, & *Ottonis III.* proximus Agnatus, ipsius Imperatoris auctoritate Summus Pontifex creatus Ecclesiam rexit 2. annis, & mensibus 8. Ei *Philagatus* sub nomine *Joannis XVI.* se opposuit. Cum *Gregorio V. Otto* ipse pactum iniit, vi cujus Pontifex Illum, quem Germani suum Regem electuri essent, Romanorum simul Imperatorem agnosceret, ac confirmaret. Cæterum *Jus* Imperatorem eligendi primum post duo abhinc Sæcula Electoribus accrevit. Illi *Sylvester II.* successit, de quo plura sequenti Sæculo. 996. 999.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Sæculi.

944. Con-

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
944.	Constantinopolit. Conciliabulum.	Martinus III.
963.	Constantinopolitanum.	Joannes XII.
975.	Constantinopolitanum.	Benedict. VII.
932.	Dingolvingense.	Joannes XI.
997. circ.	apud S. Dionysium.	Gregorius V.
927.	Duisbergense.	Joannes X.
932.	Erphordiense.	Joannes XI.
911.	*apud* Fontem coopertum.	Anastasius III.
984.	*apud* Galdonis *Villam*.	Joannes XV.
988.	Gallicanum *incerti loci*.	
Inter 994. & 1006.	Gallicana Synodus *incerti*.	. . . . . .
997.	Græcorum Sisinnio Capolitano.	. . . . .
928.	Grateleanum.	Leo VI.
947. circ.	Helenense.	Agapetus II.
955.	*Incerti loci*.	
955.	*Incerti loci*.	
948.	Ingilenheimensis conventus.	Agapetus II.
948.	Ingilenheimense.	
972.	Ingilenheimense.	Benedict. VI.
980.	Ingilenheimense.	Benedict. VII.
957.	Italicum *incerti loci fort.* Romanum.	Joannes XII.
909.	Juncariense.	Sergius III.
989.	Karrofense.	Joannes XV.
978.	Kirtlingtoniense.	Benedict. VII.
950. circ.	Landavensis Synodus.	Agapetus II.
955.	Landavensis Synodus.	
988. circ.	Landavensis Synodus.	Joannes XV.
948.	Laudunensis conventus.	Agapetus II.
948.	Londinense.	
970. vel 971.	Londinense.	Joannes XIII.
911.	Lugdunense.	Anastasius III.
935.	*apud* S. Macram.	Joannes XI.
. . .	Macrianense.	. . . . .
909.	Magalonense.	Sergius III.
999.	Magdeburgense.	Sylvester II.
973.	Marzaliense.	Benedict. VI.
969.	Mediolanense.	Joannes XIII.
962.	Meldense.	Joannes XII.
972.	Montis *S. Mariæ Tardanensis*.	Joannes XIII.
948.	Mosomense.	Agapetus II.
995.	Mosomense.	Joannes XV.
973.	Mutinense.	Benedict. VI.
900.	Namnetense.	Joannes IX.
901.	Narbonense.	Benedict. IV.
906.	Narbonense.	Sergius III.
907.	Narbonense.	
911.	Narbonense.	Anastasius III.
947.	Narbonense.	Agapetus II.
990.	Narbonense.	Joannes XV.
900.	Nestorianorum.	Joannes IX.
900.	Ovetense.	Joannes IX.
933.	Papiense.	Joannes XI.
955.	Paravinum.	Agapetus II.
. . .	Pictavense.	. . . . .
999.	Pictavense.	Sylvester II.
932.	Ratisponense.	Joannes XI.
904.	Ravennate.	Sergius III.
954.	Ravennate.	Agapetus II.
967.	Ravennate.	Joannes XIII.
967.	Ravennate.	
968.	Ravennate.	
976.	Ravennate.	Benedict. VII.
997.	Ravennate.	Gregorius V.
900.	Remense.	Joannes IX.
923.	Remense.	Joannes X.
936.	Remense.	Leo VII.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
975.	Remense.	Benedict. VII.
980. circ.	Remense.	
988.	Remense.	Joannes XV.
989.	Remense.	
991.	Remense Conciliabul.	
994.	Remense.	
995.	Remense.	
900.	Romanum.	Joannes IX.
903.	Romanum.	Benedict. IV.
904.	Romanum.	
906.	Romanum.	Sergius III.
910.	Romanum.	
949.	Romanum.	Agapetus II.
962.	Romanum.	Joannes XII.
963.	Romanum.	
964.	Romanum.	
964.	Romanum Conciliabul.	Benedictus V.
969.	Romanum.	Joannes XIII.
971.	Romanum.	
972.	Romanum.	
973.	Romanum.	Benedict. VI.
975.	Romanum.	Bened. VII.
979.	Romanum.	
982.	Romanum.	
983.	Romanum.	Joannes XV.
989.	Romanum.	
993.	Romanum.	
996.	Romanum.	
998.	Romanum.	Gregorius V.
999.	Romanum.	
999.	Romanum I.	Sylvester II.
997.	Sandyonisianum.	Gregorius V.
906.	Scoannense.	Sergius III.
920.	Senonense.	Joannes X.
980.	Senonense.	Benedict. VII.
996.	Senonense.	Gregorius V.
988.	Silvanectense.	Joannes XV.
990.	Silvanectense.	
941.	Suessionense.	Stephanus IX.
953.	*apud* S. Theodericum.	Agapetus II.
907.	S. Tiberii *Narbon. provinc.*	Sergius III.
997.	Ticinense.	Gregorius V.
944.	Trenorcianum.	Martinus III.
927.	Trevirense.	Joannes X.
948.	Trevirense.	Agapetus II.
909.	Troslejanum.	Sergius III.
921.	Troslejanum.	Joannes X.
924.	Troslejanum.	
927.	Troslejanum.	
913.	Turonense.	Landus.
925.	Turonense.	Joannes X.
967.	Veronense.	Joannes XIII.
994.	Veronense.	Joannes XV.
906.	Viennense.	Sergius III.
947.	Virdunense.	Agapetus II.
991.	Urgelitanus conventus.	Joannes XV.
975.	VVintoniense.	Benedict. VII.

§. XI.

Undecimum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

CXLIV. S*Ylvester II.* Aquitanus, Aureliacensis Abbatiæ in Galliis Monachus, *Roberti* Galliæ, & *Ottonis III.* Germaniæ Regis Præceptor, primo Archiepiscopus Rhemensis, deinde Ravennensis, & demum Summus Pontifex creatus, sedit 4. annis, & mensibus tribus. Cum Matheseos, & Magiæ Naturalis, tunc temporis oppido ignotæ, apprime peritus varia aliis abscondita patrarit, illum Adversarii Magiæ Diabolicæ falso accusant. Ejus supersunt 149. Epistolæ, item aliquot Tractatus de Geometria, Rhetorica, Mathesi, Astrolabio &c. Cæterum *S. Stephano* Hungariæ Regi Coronam, hodiedum usitatam transmisit. Ann. Chr. 1000.

CXLV. *Joannes* vulgo dictus *XVI.* Romanus, postquam Sedes Pontificia diebus 25. vacasset, inscio Imperatore electus est. Is Populum deinceps a Pa- 1003.

Ann. Chr. a Papali Electione exclusit. *Commemorationem Defunctorum*, in Cluniacensibus Monasteriis jam usitatam, 2. Novembris pro tota Ecclesia instituit. Quinto Papatus Mense lethum oppetiit.

CXLVI. *Joannes XVII.* Romæ natus, in decessoris locum suffectus, Papatum obtinuit 5. annis, & mensibus 8. Episcoparum a S. *Henrico* Imperatore Bambergæ erectum confirmavit. Eo regnante Cardinalium Dignitas, & Nomen paulatim increbuit.

1009. CXLVII. *Sergius IV.* itidem Romanus, Martini filius, post mensem ad Cathedram Pontificiam evectus est. Ipsius suasu uniti Principes Saracenos Italia ejecerunt. Præsedit novem ultra biennium mensibus, & supremum vitæ diem egit.

1012. CXLVIII. *Benedictus VIII.* filius Comitis Tusculani undecim annorum a Patre intrusus, & ad evitandum Schisma a Clero receptus, annis fere duodecim ad Ecclesiæ clavum sedit. Mortuo Imperatore *Henrico*; qui multum *Benedicto* favebat, alium in Pontificatu admiserunt Romani, nomine *Gregorium*; contra quem ab *Henrico II.* protectus, ejecto paulo post Antipapa, *Benedictus* restitutus est.

1024. CXLIX. *Joannes XVIII.* Tusculanus, Prioris frater, a Patre iterum intrusus, ultra 9. annos aliquot diebus claves gessit. Die Paschatis anno 1027. *Conradum Salicum* Imperatorem coronavit. Quidam dicunt hunc, cum creatus fuit Pontifex, fuisse Episcopum Portuensem; alii vero nullo Ordine sacro initiatum asserunt.

1033. CL. *Benedictus IX.* & ipse Tusculanus, ab *Alberico* Comite itidem intrusus, ad majora mala evitanda Summus Pontifex acceptatus est. Is varios Episcopos Pallio donavit; Synodum Romæ celebravit, & *Simeonem* Syracusanum Sanctorum numero adscripsit. Per diversa intervalla Sedem annis 12. & 4. mensibus occupavit. Propter effusam vitæ licentiam Populo invisus, Papatum cuidam Sacerdoti *Joanni Gratiano* vendidit, qui *Gregorium VI.* se nominavit.

1045. CLI. *Gregorius VI.* Romanus, ad Cathedram Pontificiam evectus; sedit 2. annis, & 9. mensibus. Ipsi *Benedictus*, quem venditi Papatus pœnituerat, & *Ptolomæus*, sub nomine *Sylvestri III.* a Romano Populo *Benedicto* substitutus, sese opposuere, ita ut tres simul Pontifices *Gregorius VI. Sylvester III.* & *Benedictus IX.* unus in *Vaticano*, alter in *Laterano*, & tertius ad *S. Mariam Majorem* Romæ cum non levi totius Ecclesiæ offendiculo præsiderent. His malis ut obviaret *Henricus III.* Imperator Synodum celebravit, in qua tres istos Pontifices condemnatos ab Ecclesia deponi jussit.

1048. CLII. *Clemens II.* Germanus e Saxonia, Bambergæ Episcopus, jussu *Henrici III.* Imperatoris tribus ejectis Pontificibus substitutus est. Is Synodum contra Simoniacam labem instituit. A *Benedicto IX.* Sedem recuperare prætendente summe vexatus. Post novem Regiminis menses vitæ, & Papatui valedixit.

CLIII. *Damasus II.* ex Bavaria, Episcopus Brixinensis, *Poppo* cognomine dictus, sine consensu Cleri, & Populi Romani Cathedram Pontificiam post *Clementem* occupavit. Ecclesiæ præfuit 23. tantum diebus, & veneno sublatus est.

1049. CLIV. *S. Leo IX.* Germanus, (ex Comitibus Dagsburgensibus, *Bruno* antea dictus) in *Damasi* locum, postquam Sedes 6. mensibus vacasset, subrogatus est. Is ab Imperatore Beneventum accepisse scribitur ea lege ut Bambergensis in Germania Ecclesiæ tributum remitteret. Normannorum in Apulia Ducem *Rogerium* ope Germanorum aggressus, ab eo victus, atque in Castello quodam obsessus: inde tamen Beneventum honorifice perductus, tandemque dimissus est. Sedit annis 5. mensibus 2. & diebus 7. Extant in nupera Conciliorum Collectione ipsius Epistolæ quatuordecim.

1055. CLV. *Victor II.* ex Svevia, antea *Gebbardus* Episcopus Aichstadiensis, & Imperatoris Propinquus, Istius favore Summus Pontifex creatus, tribus annis, & tribus mensibus *Petri* Naviculam rexit. Ipsius Sacro Calici a quodam Subdiacono venenum mixtum fuisse, perhibent, quem tamen Pontifex non assumpsit. Florentiæ Synodum cogit, in qua multos Episcopos, causa fornicationis, & Simoniæ, sua dignitate privavit. *Ann. Chr.*

CLVI. *Stephanus X.* e Ducum Lotharingiæ Stem-
mate oriundus, prius Abbas Cassinensis, *Federi-* 1057.
cus dictus, a Clero Romano inter Pontifices electus est. Petrum Damiani S. R. E. Cardinalem, & Episcopum Ostiensem creavit. Nondum finitis in Papatu 8. mensibus, fatis ereptus est. Ejus habetur Epistola ad Rhemensem Archiepiscopum, in qua inter cætera mentio fit Concilii Regis consensu celebrandi.

CLVII. *Nicolaus II.* Sabaudus, *Gerardus* antea
dictus, ex Florentino Episcopo, creatus Summus 1058.
Pontifex Antipapæ *Benedicto X.* a Comite Tusculano, & Primatibus Romanis intruso, oppositus est. Ipse, habito Concilio apud Lateranum, statuit, ut si quis pecunia, aut gratia humana, aut populari, vel militari tumultu fuerit in Sede collocatus, is non Apostolicus, sed Apostaticus dicatur. Hinc Pontificis electionem deinceps *Soli Cardinalium Collegio* propriam fecit, & Comitum Tusculanorum insolentiam, hactenus exercitatam, repressit. Sub ipso *Berengarius* Andegavensis hæresi suæ de Sacramento Eucharistiæ renunciavit. Tribus annis haud completis Papalem Tiaram cum vita deposuit.

CLVIII. *Alexander II.* Mediolanensis, antea
dictus *Anselmus*, ex Episcopatu Lucensi ad Ro- 1061.
manam Cathedram evectus, Ecclesiæ 11. annis, & 6. mensibus præfuit. Ipsi *Henricus IV.* *Cadolum* sub nomine *Honorii II.* opposuit, qui tamen in Concilio Mantuano depositus ad Parmensem suum Episcopatum redire compulsus est. Epistolæ ipsius 28. extant, præter quarumdam fragmenta, majori ex parte ad Galliæ Episcopos inscriptæ.

CLIX. *Gregorius VII.* Suanensis e Tuscia, prius 1073.
Hildebrandus appellatus, eodem die, quo *Alexander* obierat summo consensu creatus est. Ecclesiæ, & Sanctæ Sedis Jura contra *Henricum IV.* Imperatorem, & Antipapam *Clementem III.* integris 12. annis intrepide, & ipsa quidem Anathematis pœna Imperatori inflicta defendit. Nigerrimis propterea coloribus ab Ecclesiæ Romanæ Adversariis depictus. Habetur ejus Epistolarum 361. *Registrum* in 11. distinctum libros.

CLX. *Victor III.* e Principum Beneventanorum
Stemmate, antea *Desiderius*, Summus Pontifex 1086.
electus, uno tantum anno præfuit. Misso in Africam Exercitu 100. Saracenorum millia fudit. Quidam dicunt Ipsum necatum fuisse veneno in Calicem injecto opera *Henrici IV.* cui non permittebat Pontifex, ut Beneficia argento venderet.

CLXI. *Urbanus II.* Gallus ex Diœcesi Rhemen- 1088.
si, postquam Romana Sedes morte *Victoris III.* viduata, 5. mensibus cum 16. diebus vacasset, ad Pontificatum evectus, sedit 11. annis, & 4. mensibus. Ab Ipso *Philippus I.* Francorum Rex propter *Berthæ* uxoris repudium, atque ascitam in conjugium *Bertradam*, Sacrorum usu est interdictus. Christianos Principes suis exhortationibus ad Sacras in Palæstinam Expeditiones permovit. Ci-
stercienfium Ordinem sua authoritate confirmavit. 1099.
Ei successit *Paschalis II.* de quo Sæculo sequenti.

INDEX CONCILIORUM

Undecimi Sæculi.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1015.	Aquilejense,	Bened. VIII.
1000.	Aquisgranense.	Sylvester II.
1022.	Aquisgranense.	Bened. VIII.
1062.	Aragonense,	Alexander II.
1055.	Arelatense,	Victor II.
1046.	Arulensis conventus,	Gregorius VI.
1025.	Atrebatensis Synodus,	Joann. XVIII.
1097.	Atrebatensis duplex Synodus,	} Urbanus II.
1098.	Atrebatensis Synodus.	}
1099.	Andomarense.	}
1060.	Avenionense,	Nicolaus II.
1080.	Avenionense,	Gregor. VII.
1065.	Augustodunense.	Alexander II.
1077.	Augustodunense,	Gregor. VII.
1094.	Augustod. *vide Eduense*.	Urbanus II.
1017.	Aurelianense.	Bened. VIII.
1029.	Aurelianensis conventus.	} Joann. XVIII.
1029.	Auscense.	}
1068.	Auscense.	Alexander II.
1027.	Ausonense,	Joann. XVIII.
1038.	Ausonensis conventus,	Benedict. IX.
1068.	Ausonense,	Alexander II.
1086.	Balneolensis conventus,	Gregor. VII.
1012.	Bambergense.	Sergius IV.
1009.	Barcinonensis conventus,	Joannes XVII.
1054.	Barcinonensis conventus.	Leo IX.
1058.	Barcinonensis conventus,	Nicolaus II.
1064.	Barcinonense.	Alexander II.
1097.	Barense.	Urbanus II.
1061.	Basileense Conciliabul.	Alexander II.
1059.	Beneventanum.	} Nicolaus II.
1061.	Beneventanum.	}
1062.	Beneventanum.	Alexander II.
1075.	Beneventanum.	Gregor. VII.
1087.	Beneventanum.	Victor III.
1091.	Beneventanum,	Urbanus II.
1085.	Berbacense,	Gregor. VII.
1089.	Biterensis conventus,	Urbanus II.
1031.	Bituricense.	Joann. XVIII.
1034.	Bituricense.	Benedict. IX.
1050.	Brionensis conventus.	Leo IX.
1079.	Britannicum *hoc est* Aremeticum.	Gregor. VII.
1094.	Brivatense.	Urbanus II.
1080.	Brixiense Conciliabul.	Gregor. VII.
1068.	Burdegalense.	Alexander II.
1078.	Burdegalense.	}
1079.	Burdegalense.	} Gregor. VII.
1080.	Burdegalense.	}
1092.	Burdegalense.	} Urbanus II.
1098.	Burdegalense,	}
1080.	Burgense,	Gregor. VII.
1056.	Cabilonense.	Victor II.
1063.	Cabilonense.	} Alexauder II.
1072.	Cabilonense.	}
1073.	Cabilonense.	Gregor. VII.
1042.	Cadomense.	Benedict. IX.
1061.	Cadomense.	Nicolaus II.
1042.	Cartenatense.	Benedict. IX.
	Calense, *vide* Kalense.	
1087.	Capuanum.	Victor III.
1082.	Carrocense.	} Gregor. VII.
1077.	Claromontanum.	}
1095.	Claromontanum.	Urbanus II.
1056.	Coloniense.	Victor II.
1000.	Compendiense.	Sylvester II.
1066.	Compendiense.	Alexand. II.
1085.	Compendiense.	Gregor. VII.
1095.	Compendiense.	Urbanus II.
1056.	Compostellanum.	Victor II.
1012.	Confluentina Synodus,	Bened. VIII.
1044.	Constantiense.	Benedict. IX.
1094.	Constantiense.	Urbanus II.
1026.	Constantinopolitanum.	} Joann. XVIII.
1029.	Constantinopolitanum,	}
1052.	Constantinopolitanum.	(
1054.	Constantinopolitan. pseudosynodum.	(Leo IX.
1058.	Constantinopolitanum.	. . . . . .
1066.	Constantinopolitanum.	} Alexander II.
1067.	Constantinopolitanum,	}

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1081.	Constantinopolitanum.	Gregor. VII.
1086.	Constantinopolitanum.	} Victor III.
1086.	Constantinopolitanum.	}
1099.	Constantinopolitanum.	Paschalis II.
1035.	Coxanensis conventus.	Benedict. IX.
1050.	Coyacense.	Leo IX.
1054.	*apud* S. Dionysium.	Leo IX.
1076.	Divionense.	Gregor. VII.
1094.	Dolense colloquium.	Urbanus II.
1065.	Eduense.	Alexander II.
1094.	Eduense, *sive* Augustod.	Urbanus II.
1073.	Ephordiense Conciliab.	Alexander II.
1081.	Exoldunense,	Gregor. VII.
1002.	Faventinum.	Sylvester II.
1055.	Florentinum.	Victor II.
1045.	Fluviancensis conventus,	Gregorius VI.
1057.	*apud* Fontanetum.	Victor II.
1000.	Francofordiense.	Sylvester II.
1006.	Francofordiense.	Joann. XVII.
1027.	Francofordiense,	Joann. XVIII.
1088.	Fusselense,	Urbanus II.
1002.	Gallicana Varia.	Sylvester II.
1021.	Gallicanum.	Bened. VIII.
1031.	Gallicana Varia.	Joann. XVIII.
1041.	Gallicana Varia.	Benedict. IX.
1000.	Gandesheimense.	Sylvester II.
1074.	*apud* S. Genesium *in Lucensi ditione*.	Gregor. VII.
1020.	Germanicum *incerti loci*.	Bened. VIII.
1048.	Germanicum.	Clemens II.
1071.	Germanicum *incerti loci*.	Alexander II.
1019.	Gerundensis conventus.	Bened. VIII.
1038.	Gerundensis conventus.	Benedict. IX.
1068.	Gerundense.	Alexander II.
1078.	Gerundense.	Gregor. VII.
1097.	Gerundense.	Urbanus II.
1099.	Gliffonensis conventus.	Paschalis II.
1085.	Glocestrense.	. . . . . .
1018.	Goslariense.	Bened. VIII.
1066.	Gradense.	Alexander II.
1027.	Helenense.	Joann. XVIII.
1058.	Helenensis conventus.	Nicolaus II.
1065.*circ.*	Helenense.	Alexander II.
1097.	Hibernicum.	Urbanus II.
1099.	Hierosolymitanum.	Urbanus II.
1068.	Hispanica Varia.	Alexander II.
1060.	Jaccitanum.	Nicolaus II.
1022.	Italicum *incerti loci*.	Bened. VIII.
1038.	Italicum *fort.* Romanum.	Benedict. IX.
1080.	Juliobonense.	Gregor. VII.
1008.	Kalense.	Joann. XVII.
1028.	Karrofense.	Joann. XVIII.
1082.	Karrofense.	Gregor. VII.
1034.	Landavensis Synodus.	Benedict. IX.
1056.*circ.*	Landavensis Synodus.	Victor II.
1012.	Legionense.	Bened. VIII.
1091.	Legionense.	Urbanus II.
1021.	Lemovicense.	Bened. VIII.
1029.	Lemovicense.	} Joann. XVIII.
1031.	Lemovicense.	}
1052.	Lemovicensis conventus.	Leo IX.
1095.	Lemovicense.	Urbanus II.
1055.	Lexoviense.	Victor II.
1023.	Leyrense.	} Bened. VIII.
1017.	Lingonensis Synodus.	}
1080.	Lingonense.	Gregor. VII.
1070.	Londinense.	Alexander II.
1075.	Londinense.	}
1078.	Londinense.	} Gregor. VII.
1082.	Lugdunense.	}
1055.	Lugdunense.	Victor II.
1080.	Lugdunense.	Gregor. VII.
1037.	Magalonense.	Benedict. IX.
1000.	Magdeburgense.	Sylvester II.
1052.	Mantuanum.	Leo IX.

1064. Man-

An. Chr.	Concilium.	Pontifex.
1064.	Mantuanum.	Alexander II.
1072.	Mantuanum.	
1092.	Matisconense.	Urbanus II.
1075.	S. Maxentii.	Gregor. VII.
1009.	Mediolanense.	Sergius I.
1059.	Mediolanensis conventus.	Nicolaus II.
1081.	Mediolanense.	Gregor. VII.
1098.	Mediolanense.	Urbanus II.
1080.	Meldense I.	Gregor. VII.
1082.	Meldense II.	
1067.	Melfiense.	Alexander II.
1089.	Melfitanum.	Urbanus II.
1001.	Moguntinum.	Sylvester II.
1020.	Moguntinum.	Bened. VIII.
1023.	Moguntinum.	
1028.	Moguntinum.	Joann. XVIII.
1049.	Moguntinum.	Leo IX.
1054.	Moguntinum.	
1069.	Moguntinum.	Alexander II.
1071.	Moguntinum.	
1075.	Moguntinum.	
1080.	Moguntinum conventus.	Gregor. VII.
1085.	Moguntinum Conciliab.	
1063.	Moypiacensis conventus.	Alexander II.
1031.	Narbonense.	Joann. XVIII.
1038.	Narbon. *Galliæ* convent.	Benedict. IX.
1043.	Narbon. provinc. duo.	
1045.	Narbonense.	Gregorius VI.
1054.	Narbonense.	Leo IX.
1090.	Narbonense.	Urbanus II.
1080. *circ.*	Navarrense.	Gregor. VII.
1096.	Nemausense.	Urbanus II.
....	Normannicum *inc. loci*.	......
1070.	Normannicum *inc. loci*.	Alexander II.
1057.	Novariense.	Stephanus IX.
1073.	Novempopulanum.	Alexander II.
1076.	Oppenhaimense.	Gregor. VII.
1062.	Osboriense.	Alexander II.
1082.	Oxellensis conventus.	Gregor. VII.
1029.	*in* Palithi.	Joann. XVIII.
1023.	Pampilonense.	Bened. VIII.
1032.	Pampilonense.	Joann. XVIII.
1076.	Papiense Conciliabulum.	Gregor. VII.
1006.	Parisiense.	Joann. XVII.
1024.	Parisiense.	Joann. XVIII.
1050.	Parisiense.	Leo IX.
1051.	Parisiense.	
1072.	Parisiense.	Alexander II.
1074.	Parisiense.	Gregor. VII.
1092.	Parisiense.	Urbanus II.
1062.	Parmense Conciliabul.	Alexander II.
1071.	Pedredanum.	
1085.	Perstadiensis conventus.	Gregor. VII.
1023.	Pictavense.	Bened. VIII.
1030.	Pictavense.	Joann. XVIII.
1032.	Pictavense.	
1036.	Pictavense.	Benedict. IX.
1076.	Pictavense.	Gregor. VII.
1078.	Pictavense.	
1095.	Placentinum.	Urbanus II.
1000.	Polonicum.	Sylvester II.
1099.	*ad* Portum *Ansillæ*.	Paschalis II.
1073.	Pragense.	Gregor. VII.
1085.	Quintilineburgense.	Gregor. VII.
1014.	Ravennate.	Bened. VIII.
1086.	Ravennate Conciliabul.	Gregor. VII.
1015.	Remense.	Bened. VIII.
1049.	Remense.	Leo IX.
1059.	Remensis conventus.	Nicolaus II.
1092.	Remense.	
1094.	Remense.	Urbanus II.
1097.	Remense.	
1032.	Rivipullensis conventus.	Joann. XVIII.
1094.	Rochingamense.	Urbanus II.
1001.	Romanum II.	Sylvester II.
1002.	Romanum III.	
1007.	Romanum.	Joann. XVII.
1014.	Romanum.	Bened. VIII.
1015.	Romanum.	

An. Chr.	Concilium.	Pontifex.
1027.	Romanum.	
1027. *inter & 1032.*	Romanum.	Joann. XVIII.
1029.	Romanum.	
1033.	Romanum.	
1037.	Romanum.	Benedict. IX.
1039.	Romanum.	
1046.	Romanum.	
1046.	Romanum.	Gregor. VI.
1047.	Romanum.	
1049.	Romanum I.	
1050.	Romanum II.	Leo IX.
1051.	Romanum III.	
1053.	Romanum IV.	
1057.	Romanum.	Victor II.
1058.	Romanum.	Stephanus IX.
1059.	Romanum.	Nicolaus II.
1061.	Romanum.	
1062.	Romanum.	
1063.	Romanum I.	Alexander II.
1065.	Romanum II.	
1065.	Romanum III.	
1070.	Romanum.	
1073.	Romanum.	
1074.	Romanum I.	
1074.	Romanum *aliud*.	
1075.	Romanum II.	
1076.	Romanum III.	
1078.	Romanum IV.	
1078.	Romanum V.	Gregor. VII.
1079.	Romanum VI.	
1079.	Romanum *aliud*.	
1080.	Romanum VII.	
1081.	Romanum VIII.	
1083.	Romanum IX.	
1084.	Romanum X.	
1084.	Romanum Conciliabul.	
1085.	Romanum Conciliabul.	
1089.	Romanum I.	
1098.	Romanum Conciliabul.	Urbanus II.
1098.	Romanum II.	
1099.	Romanum III.	
1022.	Rotensis conventus.	Bened. VIII.
1025.	Rothomagense.	Joann. XVIII.
1050.	Rothomagense.	Leo IX.
1055.	Rothomagense.	Victor II.
1063.	Rothomagense.	Alexander II.
1072.	Rothomagense.	
1074. *& seq.*	Rothomagensia tria.	Gregor. VII.
1078.	Rothomagense.	
1091.	Rothomagense.	Urbanus II.
1096.	Rothomagense.	
1021.	Selegustadiense.	Bened. VIII.
1067.	Salernitanum.	Alexander II.
1075.	Salonitanum.	Gregor. VII.
1076.	Salonitanum.	
1053.	Sandyonisianus convent.	Leo IX.
1075.	Santonense.	
1080.	Santonense I.	Gregor. VII.
1083.	Santonense II.	
1089.	Santonense.	Urbanus II.
1096.	Santonense.	
1076. *circ.*	Scoticum.	Gregor. VII.
1048.	Senonense.	Damasus II.
1071.	Senonense.	Alexander II.
1080.	Senonense.	Gregor. VII.
1048.	Silvanectense.	Damasus II.
1050.	Sipontinum.	Leo IX.
1075.	Spalatinum.	Gregor. VII.
1092.	Stampense.	Urbanus II.
1099.	Stampense.	Paschalis II.
1092.	Suessionense.	Urbanus II.
1046.	Sutrinum.	Gregor. VI.
1059.	Sutrinum.	Nicolaus II.
1092.	Szabolchense.	Urbanus II.
1050.	S. Tiberii.	Leo IX.
1020.	Ticinense.	Bened. VIII.
1046.	Ticinense.	Gregorius VI.
1049.	Ticinense.	Leo IX.
1086.	Toletanum.	Gregor. VII.
1020.	Tolosanum conventus.	Bened. VIII.
1056.	Tolosanum.	Victor II.
1068.	Tolosanum.	Alexander II.

An.Chr.	Concilium,	Pontifex,
1075.	Tolosanum,	Gregor. VII.
1089. vel 1090.	Tolosanum,	Urbanus II.
1005.	Tremoniense,	Joann. XVII.
1070.	Trevirense.	Alexander II.
1031.	Triburiense.	Joann. XVIII.
1035.	Triburiense,	Benedict. IX.
1076.	Triburiense.	Gregor. VII.
1089.	Trojanum,	Urbanus II.
1093.	Trojanum.	
1001.	Tudertinum.	Sylvester II.
1035.	Turonense.	Benedict. IX.
1055.	Turonense.	Victor II.
1060.	Turonense.	Nicolaus II.
1096.	Turonense.	Urbanus II.
1088.	Turritanum,	
1040.	Venetum.	Benedict. IX.
1050.	Vercellense,	Leo IX.
1014.	Veronense.	Bened. VIII.
1030.	Viennense,	Joann. XVIII.
1060.	Viennense.	Nicolaus II.
1040.	Vindocinensis conventus,	Benedict. IX.
1070.	Volaterranum dioeces.	Alexander II.
1040.	Urgelitanus conventus.	Benedict. IX.
1066.	VVestmonasteriensis conv.	Alexander II.
1077.	VVestmonasteriense.	Gregor. VII.
1078.	VVestmonasteriense.	
1092.	VVigorniense,	Urbanus II.
1070.	VVindleshorense.	Alexander II.
1021.	VVintoniense.	Bened. VIII.
1070.	VVintoniense.	Alexander II.
1076.	VVintoniense I.	Gregor. VII.
1076.	Vintoniense II.	
1080.	VVirtzeburgense,	
1048.	VVormatiensis convent.	Damasus II.
1076.	VVormatiensis convent.	Gregor. VII.
1081.	Xantoniense.	Gregor. VII.

§. XII.

Duodecimum Salutis Reparatæ Sæculum,

PONTIFICES ROMANI,

Ann. Chr. 1100. CLXII. PAschalis II. Hetruscus, dictus antea *Rainerius*, latitans, & nolens electus a Clero, Ecclesiæ præfuit annis 18. & 5. mensibus. Is a *Guiberto*, seu *Clemente III.* Antipapa, & hoc mortuo a tribus aliis, nempe *Alberto*, *Theodorico*, & *Maginulpho* Antipapis, & ipso Imperatore *Henrico IV.* ac Illius Filio *Henrico V.* Successore propter *Investituras*, ut vocant, plurima mala perpessus est, Imo ab *Henrico* captus, omnia jura, de quibus inter Imperatorem, & Pontifices dudum certabatur, ei concessit; quod tamen postea irritum a Romana Synodo est pronunciatum. Primus in suis Bullis loco Annorum Cæsarei Regiminis, antea consuetorum, *annos Papatus* sui subjecit, qui mos apud Summos Pontifices hodiedum obtinet.

1118. CLXIII. *Gelasius II.* antea *Joannes* vocatus, *Crescentiorum* Nobilissima Prosapia ortus, in decessoris locum suffectus est. Ipsi *Frangipanorum* factio *Gregorium VIII.* opposuit. Ideo Pontifex in Gallias aufugere compulsus, in Cluniacensi Cœnobio elapso anno, & aliquot diebus vitam cum morte commutavit. Ejus nomine quatuor insigniuntur Epistolæ.

1119. CLXIV. *Callistus II.* priori nomine *Guido*, Stephani Burgundiæ Comitis frater, in Cluniacensi Cœnobio, in quo obierat *Gelasius*, Summus Pontifex electus, Cathedram Romanam administravit annis 5. & mensibus 10. Is Antipapam *Gregorium VIII.* captum in monasterium trusit. In VVormatiensibus Comitiis *Jus Investituræ* obtinuit; & nonum universale Concilium Lateranense I. coegit, in quo sancita est *Callistum* inter & *Henricum* concordia quoad Investituras Episcopatuum. Extant ejusdem novem aut paulo plures Epistolæ.

1124. CLXV. *Honorius II.* Bononiensis, antea *Lambertus de Fagnano* dictus, ad Pontificatum evectus, quinque annis, & bimestri Papalem Tiaram gessit. Is a Roberto *Frangipani* contra *Cælestinum II.* sub ipso *Hymni Ambrosiani* in Ecclesia concentu armata manu intrusus; sed paulo post pacifice acceptatus. Ad quatuor ejus Epistolas quæ extabant, alias Labbæus adjecit. Ann. Chr.

CLXVI. *Innocentius II.* Romanus, cui prius *Gregorio Paparesco* nomen, contra Cardinalem *Petrum Leonis*, qui *Anacletum II.* se dixit, electus, 13. annis, 7. mensibus, ac 9. diebus Ecclesiæ præfuit. Is Pisam primo fugere coactus, & *D. Bernardi Abbatis* hortatu a Galliæ Episcopis, atque Angliæ Rege acceptatus est. *Lotharium* Imperatorem Leodii invisit; Ipsum Romam reversum paulo post *Lotharius* cum ingenti exercitu subsecutus, ab Illo coronatus est, & eidem propria *Mathildis* Bona donavit. Post *Petri Leonis* mortem rursus *Gregorius* Cardinalis a *Petri* Contribulibus sub *Victoris III.* nomine electus est, qui tamen sponte sua cessit, & ab *Innocentio* veniam rogavit ac obtinuit. Cæterum Decimum *Concilium universale Lateranense II.* mille Clericorum contra *Petrum Leonis*, & *Abaillardum*, atque *Arnoldum* Hæreticos, pro recuperanda Terra Sancta coegit. Ipsius Epistolæ circiter viginti leguntur. 1130.

CLXVII. *Cælestinus II.* Tuscus, prius *Guido de Castello* dictus omnium de consensu Pontifex creatus est. Postquam quinque mensibus, & tredecim diebus præsedisset, *Manuele* & *Conrado II.* Imperantibus, Rege vero in Gallia *Ludovico* Juniore fatis concessit. 1143.

CLXVIII. *Lucius II.* Bononiensis, antea *Gerardus Caccianimicus*, in *Cælestini* locum subrogatus est. Ipsum alii morbo animi alii ictu lapidis, a quodam rebelli Romano in Eum projecti obiisse dicunt. Quinque mensibus, & 13. diebus Ecclesiæ claves gessit. Præter aliquot ejus Decreta apud Gregorium, extant ejus Epistolæ tres. 1144.

CLXIX. *Eugenius III.* Pisanus, *Bernardus Paganellus* prius appellatus, *S. Bernardi* Discipulus, postquam undecim diebus Sedes Romana vacasset, Summus Pontifex creatus est. Propter continuas insolentium Romanorum turbas, Sedem suam in Gallias transtulit. Ad Illum scripsit *D. Bernardus* Libros de *Consideratione*, & eidem oblatum fertur a Gratiano Monacho Decretorum Opus. Post octenne Regimen, Tuburi e vivis discessit.

CLXX. *Anastasius IV.* Romanus, antea *Conradus*, Benedicti filius, *Eugenio* successit, præfuitque Ecclesiæ anno uno, & quinque mensibus. *Pantheon* noviter restauratum, *Mariam Rotundam* vocavit. Ingruente fame subditis verum se Patrem exhibuit. 1153.

CLXXI. *Hadrianus IV.* Anglus, primo ante Pontificatum ab *Eugenio III.* Cardinalis creatus, & in Novvergiam ad Gentium conversionem missus, tandem Pontifex electus est. Ipse a *Rogerio* Siciliæ Rege, Ecclesiæ bona diripiente, Beneventi, cum aliquot Cardinalibus captus, & Pacem Regi placitam inire coactus est. *Fridericum Barbarossam* coronavit, qui equum conscendenti stapedes tenuit. Paulo post tamen, quod *jus investituræ* prætensum Imperatori negaret, acriter cum Illo collisus quarto Pontificatus anno, & decimo mense animam emisit. 1154.

CLXXII. *Alexander III.* Senensis, dictus antea *Rolandus Bandinellus*, in *Hadriani* locum suffectus, Ecclesiam rexit annis 21. cum tribus mensibus. Contra Ipsum *Fridericus Barbarossa* tres Antipapas, videlicet *Victorem IV.* *Paschalem III.* & *Calistum III.* concitavit; variisque Illum bellis acerrimis exagitavit. A Galliæ tamen, Angliæ, & Siciliæ Regibus strenue semper defensus est. Hic Pontifex Jurisconsultus fuit magni nominis; habenturque Ipsius Decreta ingenti numero apud Gregorium. Sub Eo tertium Lateranense Concilium OEcumenicum convocatum est, pro reformatione Ecclesiæ; ejusque Pontificatus initium dedit colligendis Decretalibus Pontificum extra Gratianum sparsis. 1159.

CLXXIII. *Lucius III.* Lucensis, antea *Humbaldus Allucingulus*, inter Romanos Pontifices electus, sedit annis 4. mensibus 2. & diebus 18. Ex Urbe ejectus fuit, eo quod Consulum nomen abolere nitebatur. Multa suæ Urbi nativæ contralit 1181.

Ann. Chr. lit Privilegia. Hujus præter Epistolas duas, Decreta complura referuntur in Appendice ad Concilium Lateranense III. Veronæ suum diem clausit extremum.

1185. CLXXIV. *Urbanus III.* Mediolanensis, antea *Lambertus Crivelli*, & Archiepiscopus Mediolanensis, post *Lucium* Cathedram Romanam obtinuit. Is audito captæ a Saracenis Hierosolymæ nuncio, mœrore animi contabuit, & altero Papatus anno Naturæ debitum solvit.

1187. CLXXV. *Gregorius VIII.* Beneventanus, prius *Albertus Mora*, omnium consensu Summus Pontifex creatus est. Amplissimam Epistolam ad omnes Christianos Principes scripsit, ut ad recuperandam Hierosolymam excitarentur. Altero Papatus mense mortalitatem explevit.

1188. CLXXVI. *Clemens III.* Romanus, dictus antea *Paulinus*, seu *Paulus Scholaris*, postquam Sedes Pontificia diebus 20. vacasset, in decessoris locum subrogatus, Ecclesiam rexit tribus annis, mensibus 2. & diebus 19. Is sacram Expeditionem contra Saracenos adornavit, quam *Fridericus* Imperator, *Philippus* Galliæ, & *Richardus* Angliæ Reges sunt comitati. Septem Ipsius nomine circumferuntur Epistolæ.

1191. CLXXVII. *Cœlestinus III.* Romanus, prius *Hiacynthus Bobo* ex *Ursinorum* ut creditur familia, ad Papatum evectus, sedit annis 6. mensibus 8. & diebus 28. Is nihil prætermisit, quo Terra Sancta recuperaretur. Illi successit *Innocentius III.*

1198. de quo proximo Sæculo.

INDEX CONCILIORUM

Duodecimi Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1172.	Abrincatense.	Alexand. III.
1161.	Anagninum.	
1157.	Andegavense.	Hadrian. IV.
1167.	Anglicanum Conciliab.	Alexand. III.
1183.	Anglicanum.	Lucius III.
1188.	Anglicanum.	Clemens III.
1190.	Anglicana duo.	
1130.	Aniciense.	Innocent. II.
1100.	Ansanum.	Paschalis II.
1112.	Ansanum.	
1136.	Antiochenum.	Innocent. II.
1112.	Aquense.	Paschalis II.
1181.	Aquilejense.	Lucius III.
1184.	Aquilejense.	
1135.	*apud* Ardeam.	Innocent. II.
1171.	Ardmachiense.	Alexander II.
1126.	Argentinensis conventus.	Honorius II.
1158.	Arulensis conventus.	Hadrianus IV.
1101.	Atrebatensis Synodus.	Paschalis II.
1128.	Atrebatense.	Honorius II.
1153.	Atrebatense Diœcesi.	Eugenius III.
....	Aurelianense.	Honorius II.
1104.	Balgenciacense.	Paschalis II.
1151.	Balgenciacense.	Eugenius III.
1126.	Barcinonensia comitia.	Honorius II.
1114.	Bellovacense.	Paschalis II.
1119.	Bellovacense.	Callistus II.
1124.	Bellovacense.	
1161.	Bellovacense.	Alexander III.
1108.	Beneventanum I.	Paschalis II.
1112.	Beneventanum II.	
1117.	Beneventanum III.	
1119.	Beneventanum.	Callistus II.
1131.	Beneventanum.	Innocent. II.
1123.	Bituricense.	Callistus II.
1145.	Bituricensis conventus.	Eugenius III.
1136.	Burgense.	Innocent. III.
1154.	Burguliense.	Hadrianus IV.
1170.	Buxiensis.	Alexander III.
1173.	Cadomense.	Alexander III.
1182.	Cedomense.	Lucius III.
1189.	Cantuariense.	Clemens III.
1108.	*apud* Capi castel.	Paschalis II.
1110.	Capuanum.	

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1118.	Capuanum.	Gelasius II.
1124.	Carnotense.	Callistus II.
1146.	Carnotense.	Eugenius III.
1110.	Carrionense.	Paschalis II.
1172.	Cassiliense.	Alexander III.
1157.	Castri Morel. conventus.	Hadrian. IV.
1115.	Castri *Radulphi*.	Paschalis II.
1114.	Catalaunensis Synodus, *aut* conventus.	
1115.	Catalaunense.	
1129.	Catalaunense.	Honorins II.
1167.	Cenomanensis conventus.	Alexander III.
1188.	Cenomanensis conventus.	Clemens IH.
1167.	Chinonense.	Alexander III.
1157.	Cicestrense.	Hadrianus IV.
1114.	Ciperanense.	Paschalis II.
1164.	Clarandonense Concil.	Alexander III.
1110.	Claramontanum.	Paschalis II.
1124.	Claramontanum.	Callistus II.
1130.	Claramontanum.	Innocent. II.
1162.	Cleonadense.	Alexander III.
1115.	Coloniense.	Paschalis II.
1116.	Coloniense.	
1118.	Coloniense.	Gelasius II.
1132.	Coloniense.	Innocent. II.
1114.	Compostellanum.	Paschalis II.
1110.	Constantinopolit. duo.	
1140.	Constantinopolitanum.	Innocenti. II.
1143.	Constantinopolitanum.	
1143.	Constantinopolitanum.	Cœlestin. II.
1146.	Constantinopolitanum.	Eugenius III.
1156.	Constantiaopolitanum.	Hadrianus IV.
1166.	Constantinopolitanum.	Alexand. III.
1166.	*Aliud*.	
1168.	Constantinopolitanum.	
1171.	Constantinopolitanum.	
1177.	Constantincpolitanum.	
1186.	Constanrinopolitanum.	Urbanus III.
1189.	Cracoviense.	Clemens III.
1132.	Creislanus conventus.	Innocent. II.
1160.	Cremonense Conciliab.	Alexand. III.
1114.	*apud* Cyperanum.	Paschalis II.
1199.	Dalmatiæ ac Diocliæ.	Innocent. III.
1116.	Divionense.	Paschalis II.
1199.	Divionense.	Innocent. III.
1199.	*Aliud*.	
1129.	Dolense.	Honorius II.
1176.	Dubliniense.	Alexand. III.
1183.	Dubliniense.	Lucius III.
1195.	Eboracense.	Cœlestin. III.
1186.	*apud* Egenhesam.	Urbanus III.
1112.	Engolismense.	Paschalis II.
1117.	Engolismense.	
1118.	Engolismense.	Gelasius II.
1170.*circ.*	Engolismense.	Alexander III.
1149.	Erphordiense.	Eugenius III.
1106. & 1110.	Ferrariensia duo.	Paschalis II.
1105.	Florentinum.	
1159.	Florentinum.	Innocent. III.
1107.	Floriacensis conventus.	Paschalis II.
1110.	Floriacense.	
1160.	Francfordiense.	Alexand. III.
1195.	Francfordiensis convent.	Cœlestin. III.
1100.	Frideslariense.	Paschalis II.
1118.	Frideslariense.	Gelasius II.
1160.	Frisacense.	Alexand. III.
1199.	Fritislariense.	Innocent. III.
1145.	Fulginatense.	Eugenius III.
1104.	Fusselense.	Paschalis II.
1164.	Gallicanus conventus.	Alexander III.
1199.	Gallicanum *incerti loci*.	Innocent. III.
1199.	Gallicanum *eque ac* Anglicanus conventus.	
1101.	Gerundense.	Paschalis II.
1143.	Gerundensis conventus.	Cœlestin. II.
1197.	Gerundensis conventus.	Cœlestin. III.
1188.	Gisortianus conventus.	Clemens III.
1122.	Glocestrense.	Callistus II.
1106.	Guastellense.	Paschalis II.
1158.	Guaterfordiense.	Hadrian. IV.

1113. He-

An.Chr.	Concilium	Pontifex.
1113.	Helenensis Synodus.	Paschalis II.
1121.	Herbipolensis conventus.	Callistus II.
1130.	Herbipolense.	Innocent. II.
1166.	Herbipolense Conciliab.	Alexand. III.
1137.	Herfordiensis Synodus.	Innocent. II.
1151.	Hibernicum.	Eugenius III.
1186.	Hibernicum.	Urbanus III.
1107.	Hierosolymitanum.	
1111.	Hierosolymitanum.	Paschalis II.
1112.	Hierosolymitanum.	
1136.	Hierosolymitanum.	Innocent. II.
1143.	Hierosolymitanum.	
1165.	Hiperbolense Conciliab.	Alexand. III.
1178.	Hohenaviense.	
1130.	Iotrense.	Innocent. II.
1116.	Italicus Episcopor. conv.	Paschalis II.
1138.	Karleonense.	Innocent. II.
1186.	Katrosense.	Urbanus III.
1152.	Kenana Synodus.	Eugenius III.
1188.	Lanciciense.	Clemens III.
1197.	Lanciciense.	Cœlestin. III.
1102.	Lateranense I.	
1104.	Lateranense II.	
1110.	Lateranense.	Paschalis II.
1111.	Lateranense.	
1112.	Lateranense III.	
1116.	Lateranense IV.	
1123.	Lateranense I. gener. IX.	Callistus II.
1139.	Lateranense II. gener. X.	Innocent. II.
1168.	Lateranense.	
1179.	Lateranense III. gener. XI.	Alexand. III.
1161.	Laudense.	
1109.	Laudunense.	Paschalis II.
1145.	Laudunensis conventus.	Eugenius III.
1109.	Lausdunense.	Paschalis II.
1114.	Legionense.	
1134.	Legionense.	Innocent. II.
1180.	Lemovicense.	Alexand. III.
1131.	Leodiense.	Innocent. II.
1152.	Leodiense.	Eugenius III.
1106.	Lexoviense.	Paschalis II.
1143.	Lincolniense.	Innocent. II.
1148.	Lincopense.	Eugenius III.
1107.	Lingonensis diœcesana.	
1116.	Lingonense.	
1102.	Londinense I.	Paschalis II.
1107.	Londinense II.	
1108.	Londinense III.	
1109.	Londinense IV.	
1125.	Londinense I.	
1127.	Londinense II.	Honorius II.
1129.	Londinense III.	
1135.	Londinense.	
1136.	Londinense.	Innocent. II.
1138.	Londinense.	
1140.	Londinense.	
1143.	Londinense.	Cœlestinus II.
1151.	Londinense.	Eugenius III.
1154.	Londinense.	Anastasius IV.
1162.	Londinense.	Alexander III.
1175.	Londinense.	
1185.	Londinensis conventus.	Lucius III.
1191.	Londinense.	Cœlestin. III.
1129.	*apud* Lusen conventus.	Honorius II.
1126.	Lugdunense.	
1176.	Lumbariense.	Alexand. III.
1176.	Magdeburgense.	Alexand. III.
1182.	*apud* Malabergiam.	Lucius III.
1148.	Marsicanus conventus.	Eugenius III.
1103.	Massiliense.	
1101.	Mediolanens. conventic.	Paschalis II.
1116.	Mediolanense.	
1135.	Mediolanense.	Innocent. II.
1130.	Melfitanum.	
1152.	Merense.	Eugenius III.
1105.	Moguntinus conventus.	Paschalis II.
1125.	Moguntinum.	Honorius II.
1131.	Moguntinum.	Innocent. II.
1159.	Moguntinum.	Alexand. III.
1188.	Moguntinus conventus.	Clemens III.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1134.	Monspeliense.	Innocent. II.
1161.	Monspeliense.	Alexand. III.
11 2.	Montispessulani.	
1195.	Montispessulani.	Cœlestin. III.
1186.	Mosomense.	Urbanus III.
1106.	Mutinense.	Paschalis II.
1127.	Namnetense.	Honorius II.
1134.	Narbonense.	Innocent. II.
1160.	Narenum.	Alexander III.
1120.	Neapolitanum.	Callistus II.
1133.	Northamptoniense.	Innocent. II.
1157.	Northamptoniense.	Hadrian. IV.
1164.	Northamptoniense.	
1176.	Northamptoniense.	
1177.	Northamptoniense.	Alexand. III.
1169.	Norvicense.	
1161.	Novimercatus.	
1115.	Ovetense.	Paschalis II.
1160.	Oxoniense.	Alexand. III.
1114.	Palentinum.	Paschalis II.
1129.	Palentinum.	Honorius II.
1146.	Palentinum.	Eugenius III.
1128.	Papiense.	Honorius II.
1160.	Papiense Conciliab. *Vide etiam* Ticinense.	Alexand. III.
1105.	Parisiense.	Paschalis II.
1129.	Parisiense.	Honorius II.
1147.	Parisiense.	Eugenius III.
1170.	Parisiense.	Alexand. III.
1186.	Parisiense.	Urbanus III.
1188.	Parisiense.	Clemens III.
1196.	Parisiense.	Cœlestin. III.
1187.	Parmense.	Gregor. VIII.
1100.	Pictavense I.	Paschalis II.
1109.	Pictaviense II.	
1189.	Pipevvellense.	Clemens III.
1134.	Pisanum.	Innocent. II.
1107.	Placentinum.	Paschalis. II.
1132.	Placentinum.	Innocent. II.
1107.	*ad* Pontem *de Sorga*.	Paschalis II.
1133.	Provinciale.	Innocent. II.
1105.	Quintilineburgense.	Paschalis II.
1121.	Quintilineburgensis conv.	Callistus II.
1104.	Ratisponense.	Paschalis II.
1128.	Ravennate.	Honorius II.
1176.	Redonense.	Alexander III.
1105.	Remense.	
1109.	Remense.	
1112.	Remense.	Paschalis II.
1113.	Remense.	
1114.	Remense.	
1115.	Remense.	
1119.	Remense.	Callistus II.
1128.	Remense.	Honorius II.
1130.	Remense.	
1131.	Remense.	Innocent. II.
1140.	Remense Conciliabul.	
1148.	Remense.	Eugenius III.
1157.	Remense.	Hadrian. IV.
1158.	Remensis conventus.	
1164.	Remense.	Alexand. III.
1195.	Remense Conciliabul.	Cœlestin. III.
1119.	*apud* Renum conventus.	Gelasius II.
1101.	Romanum.	
1103.	Romanum.	Paschalis II.
1104.	Romanum.	
1116.	Romanum.	
1120.	Romanum.	
1121.	Romanum.	Callistus II.
1122.	Romanum I.	
1113.	Romanum II.	
1126.	Romanum.	Honorius II.
1158.	Roscomaniense.	Hadrian. IV.
1108.	Rothomagense.	Paschalis II.
1118.	Rothomagense.	Gelasius II.
1119.	Rothomagense.	Callistus II.
1129.	Rothomagense.	Honorius II.
1189.	Rothomagense.	Clemens III.
1161.	Ruthenense diœces.	Alexand. III.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1126.	Sagiensis conventus.	Honorius II.
1175.	Salmaticense.	Alexander III.
1190.	Salmaticense.	Clemens III.
1178.	Salzburgense.	Alexander III.
1162.	Saonensis conventus.	
1110.	Saxonicus conventus.	Paschalis II.
1177.	Scoticum.	Alexander III.
1105.	Senonense.	Paschalis II.
1140.	Senonense.	Innocent. III.
1165.	Senonense.	Alexander III.
1198.	Senonense.	Innocent. III.
1116.	Setberianus convent.	Paschalis II.
1112.	Stampense.	
1130.	Stampense.	Innocent. II.
1147.	Stampensis conventus.	Eugenius III.
1114.	Strigoniense.	Paschalis II.
1169.	Strigoniense.	Alexander III.
1100.	Svessionense.	Paschalis II.
1115.	Svessionense.	
1120.	Svessionense.	Callistus II.
1155.	Svessionense.	Hadrianus IV.
1115.	Syriacum.	Paschalis II.
1146.	Tarraconense.	Eugenius III.
1180.	Tarraconense.	
1167.	Tarsense.	Alexand. III.
1177.	Teniense.	
1132.	ad Theodonis *villam*.	Innocent. II.
1114.	Ticinense.	Paschalis II.
1110.	Tolosanum.	
1118.	Tolosanum.	Gelasius II.
1119.	Tolosanum.	
1120.	Tolosanum.	Callistus II.
1124.	Tolosanum.	
1129.	Tolosanum.	Honorius II.
1161.	Tolosanum.	Alexand. III.
1127.	Torcellense.	Honorius II.
1104.	Trecense.	Paschalis II.
1107.	Trecense.	
1128.	Trecense, *vide Tricassinum.*	Honorius II.
1115.	Trenorcianum.	Paschalis II.
1117.	Trenorcianum.	
1107.	Trevirense.	
1140.	Trevirense.	Innocent. II.
1148.	Trevirense.	Eugenius III.
1152.	Trevirense.	
1115.	Trojanum.	Paschalis II.
1127.	Trojanum.	Honorius II.
1163.	Turonense.	Alexand. III.
1100.	Valentinum.	Paschalis II.
1136.	Vallisoletanum.	Innocent. II.
1155.	Vallsioletanum.	Hadrianus IV.
1112.	Vasatense.	Paschalis II.
1152.	Venetum.	Eugenius III.
1177.	Venetum.	Alexander III.
1184.	Veronense.	Lucius III.
1111.	Verulanense.	Paschalis II.
1146.	Vezeliacense.	Eugenius III.
1113.	Viennense.	Paschalis II.
1119.	Viennense.	Gelasius II.
1124.	Viennense.	Callistus II.
1141.	Viennense.	Innocent. II.
1164.	Viennensis conventus.	Alexander III.
1199.	Viennense.	Innocent. III.
1102.	Villæbertrandi convent.	Paschalis II.
1146.	Vizeliacum.	Eugenius III.
1152.	Ulmensis conventus.	
1139.	Uzetense.	Innocent. II.
1142.	VVestmonasteriense.	
1173.	VVestmonasteriense.	
1176.	VVestmonasteriense.	Alexander III.
1177.	VVestmonasteriense.	
1190.	VVestmonasteriensia duo.	Clemens III.
1101.	VVindleshorensis conv.	Paschalis II.
1113.	VVindleshorensis conv.	
1175.	VVindleshorense.	Alexander III.
1184.	VVindleshorensis conv.	Lucius III.
1112.	VVineachense.	Paschalis II.
1139.	VVintoniense I.	
1142.	VVintoniense II.	Innocent. II.
1143.	VVintoniense.	
1127.	VVirceburgense.	Honorius II.
1175.	VVodesthoc.	Alexand. III.
1118.	VVormatiense.	Gellasius II.
1122.	VVormatiensis conventus.	Callistus II.

§. XIII.

Decimum Tertium Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

CLXXVIII. INnocentius III. Anagninus, Trasimundi filius ex familia Comitum *Signiensium*, *Lotharius* antea nominatus, trigesimo tertio ætatis anno, & necdum Sacerdos, electus, Ecclesiam rexit annis 18. mensibus 7. & diebus 13. Is Papalis Dignitatis Authoritatem contra *Ottonem IV.* *Joannem* Angliæ, *Petrum* Arragoniæ, *Svenum* Norvvegiæ Reges, item *Dandulum* Venetorum Ducem, Episcopos Herbipolensem, Narbonensem, & Coloniensem, aliosque Magnates intrepide, ipso etiam Anathemate inflicto defendit. Obsequiosos e contra Ecclesiæ Filios Carolum Bulgarorum, & Armenorum, item *Primislaum* Bohemiæ Reges, aliosque magnis honoribus cumulavit. Insuper Magnum Lateranense IV. Concilium coegit, & in eo Albigenses, ac VValdenses confixit. *Ann. Chr.* 1200.

CLXXIX. *Honorius III.* Romanus, antea *Cencius Sabellus*, in Decessoris locum suffectus, decem annis, & 7. mensibus Papalem Tiaram gessit. Is *Fridericum II.* Occidentis, & *Petrum* Ducem Antisiodorensem *Orientis Imperatores* coronavit. Sacris in Palæstinam Expeditionibus promovendis, & Albigensium erroribus extirpandis præcipuam curam impendit. Cum paulo post *Fridericus* Imperator suis promissis juramento firmatis non staret, Eum Sacris excludit. Sed deprecante *Joanne Brennaeo*, in gratiam cum Eo rediit. Ordines BB. *Dominici*, & *Francisci* confirmavit, Ejus habentur Epistolæ tres in Collectione Conciliorum, præter alias, quæ occurrunt apud Raynaudum, Duchenium, & reliquos Ecclesiasticos Scriptores. 1216.

CLXXX. *Gregorius IX.* Anagninus e Signiæ Comitibus, *Hugolinus* antea dictus, inter Romanos Pontifices electus. Ecclesiæ præfuit annis 14. mensibus 5. cum tribus diebus. Is iteratis vicibus *Fridericum II.* Imperatorem Anathemate confixit. Ad Salutationem Angelicam, item ad S. Hostiæ in Missa elevationem signum campana dari jussit. *B. Dominicum*, & B. *Franciscum* inter Sanctos retulit. S. Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum cooperante, Decreto Gratiani quinque Decretalium Libros addidit, & edita Bulla Gradus Academicos instituit. 1227.

CLXXXI. *Cœlestinus IV.* Mediolanensis, antea *Gotfredus Castilionius*, *Gregorio* successit. Doctrina, & Vitæ Probitate clarus octodecim tantum mensibus, Senio & ærumnis confectus, præsedit. Eo fatis erepto, cum plures Cardinalium *Fridericus II.* captivos teneret, Sedes Pontificia 20. mensibus vacavit. 1241.

CLXXXII. *Innocentius IV.* Genuensis, *Sinibaldus Filiscus* prius appellatus, ex Lavaniæ Comitibus, communi consensu inter Pontifices electus est. Decimum Tertium Universale Concilium Lugduni convocavit, in quo *Fridericus II.* Imperator, cum ibi comparere recusaret, iterum a Fidelium Communione exclusus est. Ut Cardinales meminissent, se ad Sanguinem pro Christi Fide fundendum paratos esse debere, rubros Illis Pileos præscripsit. Septem Imperii Romano-Germanici Electores confirmavit; V. Libros Decretalium Commentariis illustravit. A *Sultano* Turcarum Tyranno in Epistola quadam Titulo prorsus insolito est salutatus, quem Rainaldus Baronii Continuator ad annum 1247. refert. Undecim annis, & sex Mensibus *Petri* claves gessit. 1243.

CLXXXIII. *Alexander IV.* Anagninus, antea *Raynaldus* ex Signiæ Comitibus, ad Pontificatum evectus, sedit 6. annis, ac 5. mensibus. Doctorum Virorum Mecœnas propter Doctrinam Plures ad Cardinalitiam Dignitatem evexit. Manfredum 1243.

Fri-

Ann. Chr. Friderici II. Imperatoris Nothum, Saracenorum partibus addictum, a Sacris exclusit. Cæterum *B. Claram* Virginem in SS. numerum retulit; Librosque Guillelmi a S. Amore contra paupertatem conscriptos condemnavit.

1261. CLXXXIV. *Urbanus IV.* Gallus, Trecensis Sutoris Filius, antea *Jacobus Pantaleon* appellatus, postquam Sedes Pontificia tribus mensibus vacasset, Summus Pontifex creatus est. Is *Carolo* Andegavi, ac Provinciæ Comiti, contra *Manfredum* Siciliæ Invasorem, Siciliæ Coronam Summæ Sedi Feudalem obtulit. *Sacratissimi Corporis* Festum, ac *Processiones* hactenus usitatas instituit, quam Festivitatem *D. Thomas Aquinas* devotissimis Hymnis, & Antiphonis exornavit. Duæ dumtaxat ejus Epistolæ in Editione Conciliorum habentur. Annis tribus, & uno mense ad Ecclesiæ clavum sedit.

1265. CLXXXV. *Clemens IV.* Gallus, prius *Guido Fulcodius*, ex Narbonensis Provinciæ oppido, cui a S. Ægidio nomen, mortua uxore factus est Episcopus, deinde Cardinalis, & tandem absens in Pontificem electus, præsedit annis 3. & mensibus 9. Is Bellum Sacrum indixit, & illud *S. Ludovico* Galliæ Regi detulit. *Carolum* Andegavensem in Siciliis occupandis adjuvit. Nepotismum eximio odio habuit. Post Illius obitum Sedes Romana tribus prope annis vacavit.

1271. CLXXXVI. *Gregorius X. Theobaldus* antea dictus, e Placentiæ Vicecomitibus, Leodinensis Archidiaconus, inter Pontifices a sex Cardinalibus, in quos cæteri compromiserant electus, Ecclesiam rexit annis 4. & totidem mensibus. Decimum quartum Concilium universale 50. Episcoporum Lugduni celebravit, in quo pro Sacris in Oriente Expeditionibus Piæ Collectæ sunt ordinatæ; & Græci *Processioni Spiritus Sancti a Patre, & Filio* subscripserunt. Paulo post tamen in pristinum errorem lapsi, *Græcam fidem* nullam esse demonstrarunt. In eodem Concilio corrupta Clericorum vita emendata; &, ne Pontificia Electio in longum deinceps protraheretur, *Cardinalium Conclave*, ut vocatur, institutum est.

1276. CLXXXVII. *Innocentius V.* Burgundus, antea *Petrus Tarantasius*, postquam Sedes Pontificia 10. diebus vacasset, in Pontificem assumptus est. Is Theologiæ Compendium, & Commentarium in 4. Libros Petri Lombardi Magistri Sententiarum, atque in Epistolas *D. Pauli* reliquit; Sexto Papatus mense fatis concessit.

CLXXXVIII. *Hadrianus V.* Genuensis, prius *Ottobonus Filiscus* ex Lavaniæ Comitibus, post *Innocentium* ad Romanam Cathedram evectus, necdum consecratus, quadragesimo ab Electione die obiit.

CLXXXIX. *Joannes XIX.* Lusitanus, antea *Petrus Hispanus* appellatus, Papatum obtinuit mensibus 8. & 4. diebus. Medicinæ, & Philosophiæ apprime gnarus. Damnati sunt sub eo errores *Joannis de Poliaco* Doctoris Parisiensis.

1277. CXC. *Nicolaus III.* Romanus, ex Gente *Ursinorum*, antea *Joannes Cardinalis Gaetanus*, ex Ordine S. Francisci assumptus fuit. Istius Ordinis regulæ explicuit ambiguitates; & post 2. annorum, & 9. mensium Regimen mortem oppetiit.

1281. CXCI. *Martinus IV.* Gallus e tractu Briensi, *Simon* antea dictus, inter Pontifices electus, Ecclesiæ præfuit annis 4. mense uno, & 7. diebus. *Panormum* Siciliæ Urbem propter Siculas Vesperas Anathemate confixit. *Carolum* Siciliæ Regem insuper Dignitate Senatoria spoliavit.

1285. CXCII. *Honorius IV.* Romanus, prius *Jacobus Savellus*, ad Pontificatum evectus, biennio præsedit. *Petrum* Arragoniæ Regem iterum a Sacris exclusit. Aliquot Italiæ Urbes a *Rudolpho* Imperatore coemit: Insuper Carmelitarum Ordinem, mutata habitus forma confirmavit. Post Ipsum Sedes Romana mensibus 10. vacavit, eo quod plures Cardinales in Conclavi congregati, subito morbo correpti, & mortui sunt; unde electio ad aliud tempus dilata fuit.

1288. CXCIII. *Nicolaus IV.* Tusculanus, antea *Hieronymus* Cardinalis *Prænestinus* e S. Francisci Familia Pontifex creatus, quatuor annis, ac uno mense ad Ecclesiæ clavum sedit. Is Romam propter seditiones deseruit, & Urbem Reatinam petiit, ubi Beneficia Ecclesiastica non nisi dignis contulit. Post Ipsum Sedes vacavit per biennium, & tres menses propter Cardinalium discordiam. *Ann. Chr.*

CXCIV. *S. Cœlestinus V.* Neapolitanus, antea *Petrus de Morono* in decessoris locum suffectus est. Is cum ab Eremitica vita, quam prius ducebat, non declinaret, visus est parum idoneus ad regendam Ecclesiam; ideoque post 5. menses Tiaram deposuit, & Congregationis Cœlestinorum sub *S. Benedicti* Regula Parens ad dilectam solitudinem rediit. Illum excepit *Bonifacius VIII.* de quo Sæculum sequens. 1294.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Tertii Sæculi.

An. Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1210.	*In* S. Ægidii *Villa.*	Innocenr. III.
1213.	*Ad* S. Albanum *in Anglia.*	
1254.	Albiense.	Alexand. IV.
1269.	Andegavense.	Clemens IV.
1279.	Andegavense.	Nicolaus III.
1269.	Anglicanum.	Clemens IV.
1272.	Anglicana duo.	Gregor. X.
1222.	Aniciense.	Honorius III.
1299.	Ansanum.	Bonifac. VIII.
1204.	Antiochenum.	
1205.	Antiochenum.	Innocent. III.
1212.	Apamiensis conventus.	
1265.	Aptense.	Urbanus IV.
1216.	Aquilejense.	Innocent. III.
1282.	Aquilejense.	Martinus IV.
1229.	Arausicanum.	Gregorius IX.
1210.	Arelatense.	Innocent. III.
1234.	Arelatense.	Gregor. IX.
1246.	Arelatense.	Innocent. IV.
1260.	Arelatense.	Alexander IV.
1275.	Arelatense.	Gregorius X.
1282.	Arelatense, *sive* Avenion.	Martinus IV.
1292.	Aschaffemburgense.	Sede vacante.
1267.	Audomarense.	Clemens IV.
1279.	Audomarense.	Nicolaus III.
1209.	Avenionense.	
1209.	Avenionensia duo.	Innocent. III.
1210.	Avenionense.	
1270.	Avenionense.	Clemens IV.
1279.	Avenionense.	Nicolaus III.
1282.	Avenionense.	Martinus IV.
1278.	Aureliacense.	Nicolaus III.
1294.	Aureliacense.	Cœlestinus V.
1279.	Auseense.	Nicolaus III.
1228.	Bassegiensis conventus.	Gregor. IX.
1233.	Biterrense.	
1246.	Biterrense.	Innocent. IV.
1255.	Biterrense.	Alexand. IV.
1279.	Biterrense.	Nicolaus III.
1280.	Biterrense.	
1299.	Biterrense.	Bonifac. VIII.
1213.	Bituricense.	
1214.	Bituricense.	Innocent. III.
1215.	Bituricense.	
1225.	Bituricense.	Honorius III.
1228.	Bituricense.	Gregor. IX.
1240.	Bituricense.	
1276.	Bituricense.	Hadrianus V.
1280.	Bituricense.	Nicolaus III.
1286.	Bituricense.	Honorius IV.
1264.	Bononiense *in Gallia.*	Urbanus IV.
1236.	Bremense.	Gregor. IX.
1292.	Bremense.	Sedes vacans.
1216.	Bristoliense.	Innocent. III.
1279.	Budense.	Nicolaus III.
1255.	Burdegalense.	Alexand. IV.
1260.	Burdegalense.	
1262.	Burdegalense.	Urbanus IV.
1238.	Campiniacense.	Gregorius IX.
1236.	Cantuariense.	
1269.	Cantuariense.	Clemens IV.
1281.	Cantuariense.	Martinus IV.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1231.	Castri *Gonterii*.	Gregorius IX.
1253.	*Ibidem*.	Innocent. IV.
1268.	*Ibidem*.	Clemens IV.
1237.	Cenomanense.	Gregorius IX.
1289.	Cicestrense.	Nicolaus IV.
1292.	Cicestrense.	Sede vacante.
1268.	Claromontanum.	Clemens IV.
1225.	Coloniense *falso dictum*.	Honorius III.
1247.	Coloniense.	Innocent. IV.
1260.	Coloniense.	Alexander IV.
1266.	Coloniense.	Clemens IV.
1280.	Coloniensis Synodus.	Nicolaus III.
1235.	Compendiense.	Gregorius IX.
1270.	Compendiense.	Gregorius X.
1277.	Compendiense.	Joann. XIX.
1280.	Conserannense.	Nicolaus III.
1222.	Constantinopol. *aut* Nicænum.	Honorius III.
1247.	Constantinopolitanum.	Innocent. IV.
1277.	Constantinopolitanum I. }	Joannes XIX.
1277.	Constantinopolitanum II. }	
1280.	Constantinopolitanum.	Nicolaus III.
1283.	Constantinopol. *Schism.* }	Martinus IV.
1283.	Constantinopol. Concil. }	
1285.	Constantinopolitanum.	Honorius IV.
1297.	Constantinopolitanum. }	Bonifac. VIII.
1299.	Constantinopolitanum. }	
1255.	Copriniacense. }	Alexander IV.
1260.	Copriniacense. }	
1262.	Copriniacense.	Urbanus IV.
1237.	Coventrensis Synodus.	Gregorius IX.
1226.	Cremonense.	Honorius III.
1260.	Cyprium *Græcorum*.	Alexander IV.
1257.	Danicum.	Alexand. IV.
1267.	Danicum. }	Clemens IV.
1267.	Dinniensis Synodus. }	
1255.	Dunelmensis Synodus.	Alexander IV.
1276.	Dunelmensis Synodus.	Hadrianus V.
1214.	Dunstapliense.	Innocent. III.
1201.	Eboracense, *seu* Scoticum.	Innocent. III.
1250.	Eboracense. }	Innocent. IV.
1252.	Eboracense. }	
1290.	Ebredunense.	Nicolaus IV.
1223.	E[illegible]liense.	Honorius III.
1287.	Exoniensis Synodus.	Sede vacante.
1234.	Francofordiense.	Gregorius IX.
1226.	Fuxense.	Honorius III.
1216.	Genuense.	Innocent. III.
1292.	Genuense.	Nicolaus IV.
1225.	Germanicum.	Honorius III.
1210.	Gnesnense *in Polonia*.	Innocent. III.
1295.	Gradense.	Bonifac. VIII.
1223.	Græcum.	Honorius III.
1229.*circ.*	Græcum *Schismaticorum*. }	Gregorius IX.
1235.	Græcorum *in Oriente*. }	
1287.	Herbipolense.	Sede vacante.
1284.	S. Hippolyti *in Austria*.	Martinus IV.
1392.	S. Hippolyti.	Sede vacante.
1216.	Hispanum.	Innocent. III.
1239.	Jacobitarum *Cayri*. }	Gregorius IX.
1229.	Illerdense. }	
1246.	Illerdense.	Innocent. IV.
1254.	Illerdense.	Alexand. IV.
1200.	*Incerti loci*.	Innocent. III.
1251.	Insulanum.	Innocent. IV.
1288.	Insulanum.	Nicolaus IV.
1211.	Kelmœllocense.	Innocent. III.
1206.	Lambetense.	Innocent. III.
1261.	Lambetense.	Alexander IV.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1280.	Lambetense.	Nicolaus III.
1281.	Lambetense.	Martinus IV.
1246.	Lanciciense.	Innocent. IV.
1258.	Lanciciense.	Alexander IV.
1285.	Lanciciense.	Honorius IV.
1278.	Langesiense.	Nicolaus III.
1215.	Lateranense IV. Gen. XII.	Innocent. III.
1232.	Laudunense.	Gregorius IX.
1226.	Leodiense.	Honorius III.
1200.	Londinense. }	Innocent. III.
1214.	Londinense. }	
1225.	Londinense. {	Honorius III.
1226.	Londinense. {	
1231.	Londinense. }	Gregorius IX.
1237.	Londinense. }	
1239.	Londinense. }	
1257.	Londinense. {	Alexand. IV.
1261.	Londinense. {	
1265.	Londinense. }	Clemens IV.
1268.	Londinense. }	
1278.	Londinense. {	Nicolaus III.
1279.	Londinense. {	
1291.	Londinense.	Nicolaus IV.
1297.	Londinense.	Bonifac. VIII.
1253.	Lucense Diœcesanum. }	Innocent. IV.
1245.	Lugdunense. }	
1274.	Lugdunense OEcumen.	Gregorius X.
1297.	Lugdunense *fictitium*.	Bonifac. VIII.
1286.	Magdeburgense.	Honorius IV.
1263.	Massiliense.	Urbanus IV.
1286.	Matixonense.	Honorius IV.
1287.	Mediolanense.	Sede vacante.
1291.	Mediolanense.	Nicolaus IV.
1204.	Meldense.	Innocent. III.
1228.	Meldensis conventus. }	Gregorius IX.
1240.	Meldense. }	
1284.	Melfitanum.	Martinus IV.
1216.	Melodunense.	Innocent. III.
1225.	Melodunense.	Honorius III.
1232.	Melodunensis conventus.	Gregorius IX.
1258.	Mertonense.	Alexander IV.
1233.	Moguntinus conventus. }	Gregorius IX.
1235.	Moguntinum Conciliab. }	
1239.	Moguntinum. }	
1261.	Moguntinum.	Alexander IV.
1209.	Montiliense.	Innocent. III.
1224.	Montiliense.	Honorius III.
1215.	Montispessulani.	Innocent. III.
1224.	Montispessulani.	Honorius III.
1258.	Montispessulani.	Alexand. IV.
1248.	Mulferdense.	Innocent. IV.
1213.	Murittanum.	Innocent. III.
1264.	Namnetense.	Urbanus IV.
1207.	Narbonense. }	Innocent. III.
1210.	Narbonensis conventus. }	
1227.	Narbonense.	Honorius III.
1235.	Narbonense.	Gregorius IX.
1284.	Nemausensis Synodus.	Martinus IV.
1220.	Nicænum. }	Honorius III.
1222.	Nicænum, *seu* Constantinopolitanum. }	
1234.	Nimpheum.	Gregorius IX.
1200.	Nivigellense.	Innocent. III.
1290.	Nabiliacense.	Nicolaus IV.
1211.	Northamptoniense.	Innocent. III.
1267.	Northamptoniense.	Clemens IV.
1255.	Norvicensis Synodus.	Alexander IV.
1232.	Noviomense.	Gregorius IX.
1280.	Noviomense.	Nicolaus III.
1290.	Nugaroliense.	Nicolaus IV.
1233.	Nymphæense.	Gregorius IX.
1239.	Olimburgense.	Gregorius IX.
1245.	Othoniense.	Innocent. IV.
1207.	Oxoniense.	Innocent. III.
1222.	Oxoniense.	Honorius III.
1241.	Oxoniense. }	Innocent. IV.
1250.	Oxoniense. }	

An. Chr.	Concilium.	Pontifex.
1201.	Parisiense.	Innocent. III.
1209.	Parisiense.	
1212.	Parisiense.	
1223.	Parisiense.	Honorius III.
1224.	Parisiensia duo.	
1225.	Parisiensia duo.	Honorius III.
1226.	Parisiensia duo.	
1228.	Parisiensis conventus,	Gregorius IX.
1248.	Parisiense.	Innocent. IV.
1251.	Parisiense.	
1255.	Parisiense.	Alexander IV.
1260.	Parisiense.	
1263.	Parisiense.	Urbanus IV.
1264.	Parisiense.	
1284.	Parisiense.	Martinus IV.
1290.	Parisiense.	Nicolaus IV.
1284.	Patavicense.	Martinus IV.
1292.	Patavicense.	Sede vacante.
1268.	*apud* Perthum.	Clemens IV.
1275.	*apud* Perthum.	Gregorius X.
1280.	*apud* Perthum gener.	Nicolaus III.
1201.	Perthusanum.	Innocent. III.
1206.	Perthusanum.	
1221.	Perthusanum.	Honorius III.
1242.	Perthusanum.	Sede vacante.
1280.	Pictavensis Synodus.	Nicolaus III.
1284.	Pictavensis Synodus.	Martinus IV.
1219.	Polonicum.	Honorius III.
1261.	Pontanum.	Urbanus IV.
1279.	Pontefractense.	Nicolaus III.
1267.	*ad* Pontem *Andomari*.	Clemens IV.
1279.	*ad* Pontem *Andomari*.	Nicolaus III.
1251.	Pruvinense.	Innocent. IV.
1232.	S. Quintini duo.	Gregorius IV.
1235.	S. Quintini.	
1236.	S. Quintini.	
1239.	S. Quintini.	
1255.	S. Quintini.	Alexander IV.
1270.	S. Quintini.	Clemens IV.
1206.	Radingense.	Innocent. III.
1279.	Radingense.	Nicolaus III.
1271.	*apud* Radinges *in Anglia*.	Gregorius X.
1253.	Ravennate.	Innocent. IV.
1259.	Ravennate.	Alexander IV.
1270.	Ravennate.	Clemens IV.
1280.	Ravennate.	Nicolaus III.
1286.	Ravennate.	Honorius IV.
1279.	Redingense, *vide Radingense*.	Gregorius X.
1273.	Redonense.	Martinus IV.
1285.	Regense.	
1235.	Remense *apud S. Quintinum*.	Gregorius IX.
1235.	Remense Compendii.	
1236.	Remense *apud S. Quintinum*.	
1287.	Remense.	Sede vacante.
1258.	Roffiacense.	Alexander IV.
1210.	Romanum.	Innocent. III.
1220.	Romanum.	Honorius III.
1228.	Romanum I.	Gregorius IX.
1234.	Romanum II.	
1214.	Rothomagense.	Innocent. III.
1222.	Rothomagense.	Honorius III.
1231.	Rothomagense.	Gregorius IX.
1256.	Rothomagense.	Alexander IV.
1299.	Rothomagense.	Bonifac. VIII.
1253.	Salmuriense.	Innocent. IV.
1276.	Salmuriense.	Hadrianus V.
1294.	Salmuriense.	Cœlestinus V.
1216.	Salzburgense.	Honorius III.
1219.	Salzburgense.	
1274.	Salzburgense.	Gregorius X.
1281.	Salzburgense.	Martinus IV.
1288.	Salzburgense.	Nicolaus IV.
1291.	Salzburgense.	
1294.	Salzburgense.	Sede vacante.

An. Chr.	Concilium	Pontifex.
1280.	Santoniensis Synodus.	Nicolaus III.
1282.	Santoniensis Synodus.	Martinus IV.
1298.	Santoniensis Synodus.	Bonifac. VIII.
1217.	Sarumensis Synodus.	Honorius III.
1256.	Sarumensis Synodus.	Alexander IV.
1248.	Schevingense.	Innocent. IV.
1201.	Scoticum.	Innocent. III.
1225.	Scoticum provinc.	Honorius III.
1259.	Scoticum.	Alexander IV.
1267.	Sedense.	Clemens IV.
1226.	Seligenstadense.	Honorius III.
1216.	Senonense.	Innocent. III.
1239.	Senonense.	Gregorius IX.
1252.	Senonense.	Innocent. IV.
1256.	Senonense.	Alexander IV.
1256.	Senonense.	
1269.	Senonense.	Sede vacante.
1280.	Senonense.	Nicolaus III.
1208.	*apud* S. Severum.	Innocent. III.
1235.	Silvanectense.	Gregorius IX.
1240.	Silvanectense.	
1222.	Slevicense.	Honorius III.
1239.	Soderense.	Gregorius IX.
1292.	Spalatinum.	Nicolaus IV.
1234.	Spoletanum.	Gregorius IX.
1256.	Strigoniense.	Alexander IV.
1292.	Strigoniense.	Nicolaus IV.
1201.	Svessionense.	Innocent. III.
1230.	Tarraconense.	Gregorius IX.
1230.	Tarraconense.	
1234.	Tarraconensis conventus.	
1239.	Tarraconense.	
1240.	Tarraconense.	
1242.	Tarraconensia duo.	Sede vacante.
1244.	Tarraconense.	Innocent. IV.
1246.	Tarraconense.	
1247.	Tarraconense.	
1248.	Tarraconense.	
1253.	Tarraconense.	
1266.	Tarraconense.	Clemens IV.
1279.	Tarraconense.	Nicolaus III.
1282.	Tarraconense.	Martinus IV.
1292.	Tarraconense.	Nicolaus IV.
1229.	Tolosanum.	Gregorius IX.
1295.	Torcellana Synodus.	Bonifac. VIII.
1294.	Trajectensis Synodus.	Cœlestinus V.
1297.	Trajectensis Synodus.	Bonifac. VIII.
1231.	Trevirense.	Gregorius IX.
1233.	Trevirense.	
1277. *circ.*	Trevirense.	Nicolaus III.
1229.	Turiasonense.	Gregorius IX.
1236.	Turonense.	
1239.	Turonense.	
1282.	Turonense.	Martinus IV.
1248.	Valentinum.	Innocent. IV.
1224.	Vallisсoloris.	Honorius III.
1207.	*apud* Vallem *Guidonis*.	Innocent. III.
1242.	*apud* Vallem *Guidonis*.	Sede vacante.
1213.	Vaurense.	Innocent. III.
1278.	Veddelense *in Dania*.	Nicolaus III.
1289.	Viennense.	Nicolaus IV.
1267.	Viennense *in Germania*.	Clemens IV.
1249.	Ultrajectinum.	Innocent. IV.
1248.	Uratislaviense.	
1267.	Uratislaviense.	Clemens IV.
1279.	Uratislaviense.	Nicolaus III.
1290.	Uratislaviensis Synodus.	Nicolaus IV.
1226.	VVestmonasteriense.	Honorius III.
1252.	VVestmonasteriense.	Innocent. IV.
1240.	VVerfordiense.	Gregorius IX.
1240.	VVirgoniense.	
1278.	VVindleshorense.	Nicolaus III.
1257.	VVormatiense.	Innocent. IV.

§. XIV.

§. XIV.

Decimum Quartum Salutis Reparatæ Seculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr. 1300. CXCV. BOnifacius VIII. Anagniæ natus, prius *Benedictus Cajetanus*, qui per varia Officia ad ipsum Summi Pontificatus fastigium evectus, Primus *Jubilæum* annis 1300. instituit, & deinceps singulis centenis annis celebrari jussit. Illo anno Romæ 200. Peregrinorum millia sunt numerata. Ipse *Philippum Pulchrum* Galliæ Regem, quod Sacram militiam in Saracenos ejus arbitrio non susciperet, anathemate percussit. Deinde a Sarra Columnio & Felice Nogaretio ex Gallia in Italiam profecto Anagniæ comprehensus, ac Romam perductus, ubi 35. die post vita excessit. Sedit annis 8. mensibus 9. cum 28. diebus. *Sextum* Decretalium Librum prioribus *quinque* adjecit, quo cum Ipsius Constitutionibus continentur superiorum Pontificum Decretales non paucæ. Ipsius quoque nonnullæ Epistolæ habentur in Editione Conciliorum.

1304. CXCVI. *Benedictus X.* Tarvisii in Ditione Veneta natus, Pastoris Ovium filius, antea *Nicolaus Bocasinus*, Ordinis Prædicatorum Generalis Præfectus, in *Bonifacii* locum subrogatus est. *Philippum Pulchrum*, ejusque partibus addictos ab Anathemate, a Prædecessoribus suis inflicto, sub certis conditionibus liberavit. Matrem splendidis indutam vestibus, donec his abjectis in Pastoritio vili habitu se præsentem sisteret, agnoscere noluit. Postquam 9. mensibus ad Ecclesiæ Clavum sedisset, Ficu veneno tincta obiit.

1305. CXCVII. *Clemens V.* e Vasatensi Aquitaniæ Diœcesi, prius *Bertrandus de Gotho*, ex Archiepiscopo Burdigalensi Romanus Pontifex a Cardinalibus, Perusii integro anni spatio congregatis, electus, demum Lugduni in Galliis ipso *Philippo* Rege præsente maxima cum Pompa coronatus est.
1311. Is Sedem Papalem Avenionem transtulit, quæ ultra 70. annos ibi fixa permansit. Concilium Viennense 300. Episcoporum in Gallia coegit, cui cum duobus Alexandriæ, & Antiochiæ Patriarchis ipse *Philippus* Rex interfuit, & propter orta scandala *Templariorum Ordo* in eo extinctus est, eorumque bona partim Equitibus S. Joannis, partim Castellæ, Arragoniæ, Lusitaniæ, & Majoricæ Regibus adjudicata fuit, ut Bellis contra Mauros gerendis pares redderentur. Cæterum Galliæ *Regibus* Privilegium sub utraque specie Eucharistiam sumendi concessit, quo hodiedum Illi in die Coronationis suæ, & extremo mortis articulo utuntur. Corpori Juris Canonici *Clementinas Constitutiones*, seu *Decretalium Librum VII.* addidit, quem Illius Successor *Joannes* evulgavit. Octo annis præfedit; & post ejus mortem Sedes Pontificia annis 2. cum mensibus 3. ac diebus 17. vacavit.

1316. CXCVIII. *Joannes XX.* Gallus, prius *Jacobus de Ossa*, ex Cancellario Galliæ ad Papatum Lugduni assumptus, Ecclesiæ præfuit annis 18. & mensibus 3. Ipsi *Ludovicus IV.* Bavarus cum Cardinalium Romæ præsentium consensu, qui *Joannem* hæreseos accusaverant, *Petrum Corbarium* Ordinis S. Francisci sub Nomine *Nicolai V.* doctorum, quos colebat, virorum suasu deceptus opposuit; & Anathematis pœnam incurrit. *Nicolaus* vero post triennium in carcere, in quem a *Joanne* conjectus est, obiit. Cæterum hic Pontifex Auditorum Rotæ Judicium, ad quod omnes Catholici appellare possent, instituit, & *Extravagantes*, sic dictas, Corpori Juris adjecit. Sex præterea ejusdem Epistolas edidere Conciliorum Collectores.

1334. CXCIX. *Benedictus XI.* Gallus, antea *Jacobus Fornerius*, ex oppido Tolosanæ tunc diœcesis Saverduno, Borbonensis primum Monachus Ordinis Cisterciensis, deinde Cardinalis; tandem Summus Pontifex creatus, in decessoris locum suffectus est. Is Scaligeris Veronæ, Estensibus Ferrariæ; Gonzagis Mantuæ, aliisque aliarum Italiæ civitatum, quas quisque per Pontificum absentiam occupaverat, possessionem permisit, quo eorum auxilia contra Imperatorem haberet parata. Ipsum Galliæ, Siciliæ, Hungariæ, Poloniæ, & Bohemiæ Reges *Ludovici* quoad Imperii Coronam Æmuli deterruerunt, ne *Ludovicum* Imperatorem ab Anathematis vinculo solveret. Cum porro Electores per fœdus Rensense omnem Imperatoris quoad temporalia a Pontifice dependentiam abjecissent, iterato *Ludovicus* una cum Illis a Pontifice Fidelium Communione privatur. *Benedictus* vero post septenne Regimen fatis concedit.

CC. *Clemens VI.* Lemovicensis, prius *Petrus Rogerius*, inter Pontifices electus, Cathedram administravit annis 10. mensibus 6. & diebus 29. Is *Ludovico* magis, quam sui Prædecessores, infensus Jubilæum centenarium ad 50. annos detraxit, & anno 1350. eidem initium dedit, quo tempore Romæ integer hominum Peregrinorum millio comparuit. Hic emisse fertur Avenionem a Rege Franciæ, quam urbem in Jus Pontificium transtulit. 1342.

CCI. *Innocentius VI.* & ipse Lemovicensis, antea *Stephanus Albertus* Papatum obtinuit annis 9. mensibus 10. cum 6. diebus. Is utriusque Juris Doctor Præbendas Ecclesiasticas non nisi probatissimis Sacerdotibus vita, & doctrina dedit. Episcopos sub Anathematis pœna suis Diœcesibus præsentes esse jussit, & Pontificiam Aulam in melius reformavit. 1353.

CCII. *Urbanus V.* itidem Lemovicensis, prius *Guilielmus de Grisaco*, absens dum esset in Italia Legatione fungens versus Vicecomites, electus est, seditque annis 8. & duobus mensibus. Cereos sic vocatos: *Agnos Dei*, jam pridem usitatos, instauravit. Item *Rosis aureis*, Dominica *Lætare* benedictis, Principes Personas donavit. Cum eo tempore Romani Imperatores triplici in tribus diversis locis Diademate coronarentur, *Urbanus* quoque Pontificiæ Tiaræ tres Coronas imposuit. 1363.

CCIII. *Gregorius XI.* patria quoque Lemovicensis, antea *Petrus ex Comitibus Belfortibus*, qui annorum ætatis suæ 17. nondum expleto a *Clemente VI.* Cardinalis creatus fuerat, ad Summum Pontificatus fastigium evectus, Ecclesiæ præfuit annis 7. & tribus mensibus. Is Sedem Papalem Avenione Romam iterum transtulit, & ab hoc tempore Gallorum nullus factus est Pontifex, ne iterum sedes mutaretur. 1371.

CCIV. *Urbanus VI.* Neapolitanus, dictus antea *Bartholomæus Prignanus*, a Cardinalibus Romæ præsentibus electus, duodecim annis Ecclesiam gubernavit. Ipsi nimis rigido a Gallis Cardinalibus *Robertus Clarimontanus* Comes sub nomine *Clementis VII.* opponitur, qui Avenione suam fixit Sedem, quod Schisma numero vigesimum quintum integris 50. annis duravit. Alter in alterum censuris sæviebat. *Urbanus* Jubilæum in honorem Ætatis Christi ad trigesimum tertium quemvis annum reduxit. 1378.

CCV. *Bonifacius IX.* itidem Neapolitanus, antea *Petrus* ex *Thomacellorum* familia, Romæ legitime electus, cui Galli Avenione, mortuo *Clemente VII.* *Petrum de Luna* Arragonem sub nomine *Benedicti XII.* contra posuerunt. Sed de hoc Pontifice Sæculum sequens. 1389.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Quarti Sæculi.

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1396.	Arbogense.	Bonifacius IX.
1342.	Armenorum.	Benedictus XI.
1328.	Aschaffemburgense.	Joannes XX.
1305.	Audomatense.	Clemens V.
1326.	Avenionense.	Joannes XX.
1327.	Avenionense.	
1337.	Avenionense.	Benedictus XI.
1301.	Auscense.	Bonifac. VIII.
1308.	Auscense.	Clemens V.
1330.	Auscense *apud Marciacum*.	Joannes XX.
1330.	Bajocensis Synodus.	Joannes XX.
1339.	Barcinonense.	Benedict. XI.
1387.	Barcinonensis conventus.	Urbanus VI.
1378.	Beneventanum.	
1310.	Biterrense.	Clemens V.
1351.	Biterrense.	Clemens VI.
1315.	Bituricense.	Sede vacante.
1337.	Bituricense.	Benedict. XI.
1322.	Borgogliense.	Joannes XX.
1379.	Burgensis conventus.	Urbanus VI.
1318.	Cæsaraugustanum.	Joannes XX.
1383.	Cameracense.	Urbanus VI.
1300.	Cantuariense.	Bonifac. VIII.
1310.	Cantuariense provinc.	Clemens V.
1341.	Cantuariense.	Benedict. XI.
1399.	Cantuariense.	Bonifac. IX.
1336.	Castri *Gonterii*.	Benedict. XI.
1300.	Coloniensis Synodus.	Bonifac. VIII.
1310.	Coloniense.	Clemens V.
1322.	Coloniense.	Joannes XX.
1302.	Compendiense.	Bonifac. VIII.
1304.	Compendiense.	Benedictus X.
1326.	Compendiense.	Joannes XX.
1329.	Compendiense.	
1300.	Constantiense.	Bonifac. VIII.
1341.	Constantinopolit. Conciliabulum.	Benedict. XI.
1345.	Constantinopolit. Conciliabulum.	
1347.	Constantinopolit. pseudosynodus.	Clemens VI.
1350.	Constantinopolit. Conciliabulum.	
1348.	Dubliniense provinc.	Clemens VI.
1351.	Dubliniense.	
1310.	Eboracense.	Clemens V.
1311.	Eboracense.	
1367.	Eboracense.	Urbanus V.
1338.	Francfordiensis conventus.	Benedict. XI.
1310.	Gallicana *plura*.	Clemens V.
1378.	Glocestriense.	Urbanus VI.
1330.	Gradense.	Joannes XX.
1344.	Græcorum.	Clemens VI.
1351.	Hispalense.	Clemens VI.
1379.	Illescensis conventus.	Urbanus VI.
1330.	Lambetense.	Joannes XX.
1351.	Lambetense.	Clemens VI.
1362.	Lambetense.	Innocent. VI.
1309.	Londinense.	
1311.	Londinense.	Clemens V.
1312.	Londinense.	
1321.	Londinense.	Joannes XX.
1328.	Londinense.	

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1342.	Londinensia duo.	Clemens VI.
1359.	Londinense.	Innocent. VI.
1382.	Londinense.	Urbanus VI.
1382.	Londinense *aliud*.	
1391.	Londinense.	
1396.	Londinense.	Bonifac. IX.
1398.	Londinense.	
1399.	Londinense.	
1308.	Lucana Synodus.	Clemens V.
1376.	Lugdunense.	Gregorius XI.
1332.	Magfeldense.	Joannes XX.
1362.	Magfeldense.	Innocent. VI.
1326.	Marciacense.	Joannes XX.
1330.	Marciacense.	
1380.	Medinensis conventus.	Urbanus VI.
1300.	Melodunense.	Bonifac. VIII.
1300.	Mertonense.	
1310.	Moguntinum.	Clemens V.
1374.	Narbonense.	Gregorius XI.
1387.	Navarrensis conventus.	Urbanus VI.
1344.	Noviomense.	Clemens VI.
1303.	Nugaroliense.	Benedictus X.
1315.	Nugaroliense.	Sede vacante.
1382.	Oxoniense.	Urbanus VI.
1322.	Palentinum.	Joannes XX.
1388.	Palentinum.	Urbanus VI.
1302.	Parisiensis conventus.	Bonifac. VIII.
1303.	Parisiensis conventus.	
1310.	Parisiense.	Clemens V.
1314.	Parisiense.	Sede vacante.
1323.	Parisiense.	
1329.	Parisiensis conventus.	Joannes XX.
1333.	Parisiensis conventus.	
1346.	Parisiense.	Clemens VI.
1394.	Parisiense.	Bonifac. IX.
1350.	Pataviense.	Clemens VI.
1302.	Pennæ *fidelis*.	Bonifac. VIII.
1311.	Pergamense.	Clemens V.
1321.	*apud* Perthum.	Joannes XX.
1305.	Pintervillense.	Benedictus X.
1309.	Posoniense.	Clemens V.
1346.	Pragense.	Clemens VI.
1313.	Pratense.	Clemens V.
1307.	Ravennate.	
1310.	Ravennate.	Clemens V.
1311.	Ravennate.	
1314.	Ravennate III.	Sede vacante.
1317.	Ravennate.	Joannes XX.
1301.	Remense.	
1302.	Remense.	Bonifac. VIII.
1303.	Remense.	
1327.	Rossiacense.	Joannes XX.
1302.	Romanum.	Bonifac. VIII.
1322.	Rothomagense.	Joannes XX.
1335.	Rothomagense.	Benedict. XI.
1342.	Rothomagense.	Clemens VI.
1310.	Salmaticense.	Clemens V.
1312.	Salmaticense.	
1375.	Salmaticense.	Gregorius XI.
1381.	Salmaticense.	Urbanus VI.
1315.	Salmuriense.	Sede vacante.
1310.	Salzburgense I.	Clemens V.
1310.	Salzburgense II.	
1386.	Salzburgense.	Urbanus VI.
1310.	Senonense *al.* Paris.	Clemens V.
1315.	Senonense.	
1320.	Senonense *al.* Paris.	Joannes XX.
1324.	Senonense *al.* Paris.	
1315.	Silvanectense.	Sede vacante.
1317.	Silvanectense.	Joannes XX.
1326.	Silvanectense.	

1301. Si-

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1301.	Sisense *Arianorum*.	Bonifac. VIII.
1307.	Sisense.	Clemens V.
1382.	Strigoniense.	Urbanus VI.
1312.	Tarraconense.	Clemens V.
1317.	Tarraconense.	
1318.	Tarraconense.	
1323.	Tarraconense.	Joannes XX.
1329.	Tarraconense.	
1331.	Tarraconensia duo.	
1335.	Tarraconense.	Benedict. XI.
1389.	S. Tiberii.	Urbanus VI.
1324.	Toletanum.	Joannes XX.
1327.	Toletanum.	
1339.	Toletanum.	Benedict. XI.
1347.	Toletanum.	Clemens VI.
1355.	Toletanum.	Innocent. VI.
1379.	Toletanum.	Urbanus VI.
1319.	Tolosanum.	Joannes XX.
1310.	Trevirense.	Clemens V.
1315.	Turonense.	
1322.	Vallisoletanum.	Joannes XX.
1368.	Vauxense.	Urbanus V.
1311.	Viennense OEcumenic.	Clemens V.
1392.	Ultrajectense.	Bonifac. IX.
1375.	Uniejoviense.	Gregorius XI.

§. XIV.

Decimum Quintum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr. CCVI. BOnifacius IX. Castellum *S. Angeli* firmissimis munimentis vallavit. *Annatas*, quas vocant, instituit. Postquam Ecclesiæ præfuisset annis 14. & mensibus 11. Tiaram cum vita deposuit.

1404. CCVII. *Innocentius VII.* Italus Sulmonensis, cui prius *Cosmato Miliorato* nomen, post 15. dierum vacationem, ex Cardinali in Pontificem electus, sedit annis 2. & diebus 23. Is contra Antipapam *Benedictum XII.* creatus fuit; & ideo ab infestis Romanis plurima adversa invicta patientia pertulit.

1406. CCVIII. *Gregorius XII.* Venetus, antea *Angelus Corrarius*, in decessoris locum suffectus, Pontificatum administravit 2. annis 7. mensibus & diebus 5. Is Tiaram deponere promisit, si Antipapa *Benedictus XII.* Papatu usurpato sese abdicaret. Id cum hic recusaret, demum in Concilio Pisano uterque depositus est. *Gregorius* tamen Arimini, & *Benedictus* in Hispania Papalem Sedem figere perrexerunt.

1409. CCIX. *Alexander V.* Cretensis, antea *Petrus Filarchus*, in Concilio Pisano contra *Gregorium XII.* & *Benedictum XII.* electus est. Sæpius dicere auditus est: *Episcopus dives, Cardinalis pauper fui, nunc Papa mendicus sum*. In Pauperes propterea perquam liberalis. Doctissime scripsit in Libros Sententiarum. Ecclesiam rexit decem tantum mensibus, & 8. diebus.

1410. CCX. *Joannes XXI.* prius *Baltassar* ex familia *Coscia*, Neapolitanus, ex Cardinali in Pontificem creatus est. Is mortuo *Ruperto* Imperatore, Electoribus proposuit *Sigismundum Caroli IV.* filium, Hungariæ, Bohemiæque Regem; & Ipsius *Sigismundi* Coronatione Constantiensi Concilio solemne initium dedit. Ut tamen diuturno Schismati trium Pontificum demum finis imponeretur, etiam Ipse Tiaram ponere jussus est.

1417. CCXI. *Martinus V.* Romanus, antea *Otto de Columna*, postquam Pontificatus de Concilii Constantiensis sententia *Joanni XXI.* & *Benedicto XII.* abrogatus fuisset, inter Pontifices electus, sedit annis 13. mensibus 3. cum 12. diebus. Ipsi *Alphonsus* Arragoniæ Rex, *Benedicto* Antipapa mortuo, Canonicum Barcinonensem sub nomine *Clementis VIII.* opposuit, qui tamen hoc honore sponte abdicato Papali 50. annorum Schismati finem demum imposuit. *Martinus* vero Temporum suorum *Felicitas* dictus, multas in Concilio Constantiensi edidit Constitutiones, præsertim adversus VViclefi, & Hussi errores. Ann. Chr.

CCXII. *Eugenius IV.* prius *Gabriel Condulmerius* Venetus, Canonicus Regularis, & Cardinalis ad Pontificatum assumptus, Ecclesiæ præfuit 16. fere annis. Is Concilium Basileense a *Martino V.* promulgatum primo confirmavit. Cum vero ejusdem Patres quædam Authoritati Pontificiæ contraria decrevissent, *Eugenius* illa Decreta irritavit, & aliud Concilium *Ferrariæ* indixit, quod ingruente peste *Florentiam* translatum est, *Florentinum* postea vocatum; in quo coram *Joanne Paleologo* Orientis Imperatore, ejusque Fratre *Demetrio* & *Josepho* Patriarcha Constantinopolitano, ac aliis Græcis Prælatis, numero septingentis, *Græca* cum *Latina* Ecclesia *Unio* stabilita est. Dum hæc Florentiæ feliciter agerentur, Patres Concilii Basileensis vigesimum sextum Schisma excitarunt; & *Amadeum* octavum *Sabaudiæ* Ducem, qui abdicato Regno Eremitam in Ripaliæ Castro ad Lacum Genevensem agebat, *Eugenio IV.* sub *Felicis V.* nomine opposuerunt, qui novem annis Petri Claves usurpavit. Eo tempore Pragmatica Sanctio instituta fuit. 1431.

CCXIII. *Nicolaus V.* ex Urbe Lunæ in Italia natus, prius *Thomas Lucensis*, post decem dierum vacationem in decessoris locum suffectus, sedit annis 8. & diebus 17. Is demum impetravit, ut *Felix V.* in Concilio Lausanensi publice, & sponte prætenso suo Pontificatu se abdicaret, & *Nicolao* submitteret. Hic Pontifex Litteratorum munificentissimus Mecœnas Bibliothecam Vaticanam 30. Librorum millibus, & variis Græcis, ac Latinis manuscriptis auxit. Eo tempore *Mahometus II.* Urbem Constantinopolitanam invasit, in qua crudelitates exercuit incredibiles; hinc dolore affectus Pontifex vitam cum morte commutavit. 1447.

CCXIV. *Callistus III.* Hispanus, antea *Alphonsus Borgia*, ex Cardinali in Pontificem electus, cathedram Romanam obtinuit annis 3. cum 4. mensibus. Is 150. Aureorum millia pro instaurando contra Turcas bello reliquit, ac pro felici illius exitu impetrando quotidie preces institui, & campana turris signum ad eas dari præcepit. *B. Vincentium* Ordinis Prædicatorum inter Sanctos retulit. 1455.

CCXV. *Pius II.* Senensis, antea *Æneas Sylvius Piccolomineus* dictus, *Callisto* successit. Turcis reprimendis sollicite intentus; eximius Poeta & Orator plura scripsit; & inter Sanctas *B. Catharinam* Senensem annumeravit. Postquam sex annis ad Petri Clavum sedisset, e vivis ereptus est. 1458.

CCXVI. *Paulus II.* Venetus, antea *Petrus Barbus*, ad Pontificatum evectus, præfuit annis 6. mensibus 10. & diebus 26. Is Romæ *Fridericum* Tertium Imperatorem splendidissime excepit. Cardinalitiam Dignitatem quoad habitus splendorem, & ampliores reditus augere studuit, ac Jubilæum singulis 25. annis celebrari jussit. 1464.

CCXVII. *Sixtus IV.* Savonensis, dictus antea *Franciscus Roboreus*, ex Ordine Minorum Generalis Cardinalis ad Papatum assumptus, Tiaram gestavit tredecim annis, & quindecim diebus. Ipsius commissione speciali Alphonsus Carillus Archiepiscopus Toletanus, multis congregatis Theologiæ Doctoribus, Petrum Oxoniensem condemnavit. Romam splendidissimis recens exstructis Ædificiis exornavit. *Catholici Regis* cognomen in *Ferdinando* Rege instauravit. Bonaventuram Sanctum pronunciavit; ejusdemque duo habentur Decreta de Conceptione B. Mariæ Virginis immaculata. 1471.

CCXVIII. *Innocentius VIII.* Genuensis, prius *Joannes Baptista* ex nobilissima Familia *Cibo* oriundus, Summus Pontifex creatus, sedit annis 7. mensibus 10. cum 27. diebus. Is ab Imperatore Turcarum *Bajazetho S. Lanceam*, & *Crucis* 1484.

Titu-

Ann. Chr. *Titulum* obtinuit. Regularum Cancellariæ Apostolicæ Auctor præcipuus habetur.

1492. CCXIX. *Alexander VI.* Hispanus, antea *Rodericus*, ex genere *Borgia*, ad Pontificatus fastigium evectus, Tiaram gestavit 11. annis & mensibus 8. Jubilæum anni 1500. per totam Ecclesiam promulgavit. Ipsius vitam Catholicorum Hostes turpissimis ad scandalum usque flagitiis, falso Ipsi impactis, denigrare, sed frustra conantur.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Quinti Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1448.	Andegavense, *sive* Turonense.	Nicolaus V.
1400.	Anglicanum.	
1404.	Anglicanum, *vide* Britannicum.	Bonifac. IX.
1405.	Anglicanum.	Innocent. VII.
1409.	Aquense.	Alexander V.
1408.	Aragoniense, *seu* Perpinianense Conciliabulum.	Gregor. XII.
1409.	*Armenorum.*	......
1440.	Aschaffemburgense.	Eugenius IV.
1457.	Avenionense.	Callistus III.
1479.	Aurelianensis conventus.	Sixtus IV.
1431.	Basileense.	Eugenius IV.
1470.	Beneventanum.	Paulus II.
1438.	Bituricense.	Eugenius IV.
1420.	Calischiensis Synodus.	Martinus V.
1413.	Cantuariense.	Joannes XXI.
1419.	Cantuariense.	Martinus V.
1439.	Cantuariense.	Eugenius IV.
1463.	Cantuariense.	Pius II.
1453.	Cashelense provinciale.	Nicolaus V.
1423.	Coloniensis Synodus.	Martinus V.
1452.	Coloniense.	Nicolaus V.
1470.	Coloniense.	Paulus II.
1414.	Constantiense generale.	Joannes XXI.
1429.	Dertusanum.	Martinus V.
1466.	Eboracense.	Paulus II.
1488.	Eboracense provinciale.	Innoc. VIII.
1438.	Florentinum generale.	Eugenius IV.
1409.	Francofurtiensis conventus.	Gregor. XII.
1440.	Frisingense.	Eugenius IV.
1406.	Hammaburgense.	Innoc. VII.
1425.	Haphniæ.	Martinus V.
1412.	Hispalense.	Joannes XXI.
1423.	Lanciciense.	Martinus V.
1449.	Laudunense.	Nicolaus V.
1448.	Lausanense.	
1402.	Londinense.	Bonifac. IX.
1413.	Londinense.	Joannes XXI.
1480.	Londinense.	Sixtus IV.
1486.	Londinense.	Innoc. VIII.
1449.	Lugdunense.	Nicolaus V.
1473.	Madritense.	Sixtus IV.
1489.	Magdeburgense.	Innoc. VIII.
1459.	Mantuanus conventus.	Pius II.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1423.	Moguntinum.	Martinus V.
1451.	Moguntinum.	Nicolaus V.
1430.	Narbonense.	Martinus V.
1415.	Novogradense.	Joannes XXI.
1408.	Oxoniense.	Gregor. XII.
1404.	Parisiense.	Bonifac. IX.
1407.	Parisiense.	
1408.	Parisiense.	Gregor. XII.
1414.	Parisiense.	Joannes XXI.
1429.	Parisiense.	Martinus V.
1408.	Perpinianense, *vide* Aragoniense.	Gregor. XII.
1409.	Pisanum.	
1405.	Pragense.	Innocent. VII.
1408.	Remense.	Gregor. XII.
1429.	Rigense.	Martinus V.
1412.	Romanum, *vide etiam Lateranensia.*	Joannes XXI.
1445.	Rothomagense.	Eugenius IV.
1412.	Salmaticense.	Joann. XXII.
1420.	Salzburgense.	Martinus V.
1456.	Salzburgense.	Callistus III.
1490.	Salzburgense.	Innoc. VIII.
1423.	Senense.	
1429.	Senonense, *aliter* Parisiense.	Martinus V.
1460.	Senonense.	Pius II.
1485.	Senonense.	Innoc. VIII.
1450.	Sophianum Conciliabulum.	Nicolaus V.
1456.	Suessionense.	Callistus III.
1473.	Toletanum.	Sixtus IV.
1423.	Trevirense.	Martinus V.
1448.	Turonense.	Nicolaus V.
1400.	Vaztenense *in Suecia.*	Bonifac. IX.
1422.	Vernoniense.	Martinus V.

§. XVI.

Decimum Sextum Reparatæ Salutis Sæculum:

PONTIFICES ROMANI.

CCXX. Pius III. Senensis, *Pii II.* Cognatus, antea *Franciscus Piccolomineus* dictus, postquam Sedes Pontificia integro mense vacasset, ex Cardinali in Pontificem assumptus est. Is humilitate clarus, vigesimo sexto post Electionem die mortuus. *Ann. Chr.* 1503.

CCXXI. *Julius II.* Genuensis, antea *Julianus* ex familia de Ruvore in *Pii III.* locum subrogatus est. Is licet primum unanimi suffragio electus fuerit, Ipsi tamen *Imperatoris*, & *Galliæ Regis* hortatu postea aliqui Cardinalium in Pisano Conciliabulo, quod deinde Mediolanum transtulerunt, diu sese opposuere, donec *Cæsar* meliora edoctus Illum in Concilio Lateranensi quinto legitimum agnovit, & ipsis etiam armis contra Gallos defendit. Cæterum magnificentissimi ad *S. Petrum* Templi Structuræ initium dedit; & postquam 9. annis, ac 4. mensibus præsedisset, ætate, & maximis laboribus fractus demum vivere desiit.

CCXXII. *Leo X.* Florentinus, antea *Joannes* ex illustri familia *de Medicis*, ad Pontificatum evectus, annis 9. Papalem Tiaram gestavit. Is 1513.

Prag-

Ann. Chr. Pragmaticam Sanctionem abolevit, & Concordatum iniit cum *Francisco I.* Galliæ Rege. Ad citius promovendam *S. Expeditionem* contra Turcas omnibus illis Indulgentias promulgari jubet, qui ad Illam aliquid subsidii collaturi essent, Istud Promulgationis Officium *Joanni Tezelio* Dominicano, Pirnæ in Misnia nato committitur; quæ res *Lutherum* pridem huic Officio inhiantem, adeo afflixit, ut dehortante licet *Staupizio* Ord. Eremit. S. August. per Germaniam Vicario Generali, Pontifici *Indulgentiarum Potestatem* denegaret, Eum harum *Nundinatorem* publice traduceret; Quo tempore hæreses suas *Lutherus* insinuare cœpit.

1522. CCXXIII. *Hadrianus VI.* Trajectensis Belga, ex humili familia natus, ex Cardinali in Papam electus, Ecclesiam gubernavit anno uno, 8. mensibus, & diebus 6. Is Germaniæ Principes affectu vere Paterno, ut *Lutheri* errores mature proscriberent, per Legatos exhortatus est; verum Libertatis dulcedine, & temporalium bonorum, Clericis deinceps auferendorum, avaritia inescatis Surdis fabulam cecinit; & propterea mœrore confectus diem suum clausit extremum.

1523. CCXXIV. *Clemens VII.* Florentinus, dictus antea *Julius de Medicis*, post duorum mensium vacationem, Pontificatum obtinuit annis 10. cum totidem mensibus. Is cum *Francisco I.* Galliæ Rege contra *Carolum V.* fœdus iniit, Quare Roma expugnata a *Carolo*, in Castello S. Angeli integris 7. mensibus captivus retentus. Sub ejus Regimine *Henricus VIII.* Angliæ Rex, *Catharina Arragonia* legitima Uxore repudiata, *Annam Bolenam* contra omne fas sibi junxit; propterea a *Clemente VII.* Sacris exclusus, & in tantam demum dementiam prolapsus; ut consuetis Annatis, & Petri Denario Pontifici deinceps denegatis *Papale Ecclesiæ Anglicanæ Regimen* usurparet, & *Cantuariensi* Archiepiscopo tanquam *Primario suo in Sacris Ministro* Ecclesiastica negotia decidenda relinqueret.

1534. CCXXV. *Paulus III.* Romanus, antea *Alexander ex Farnesiorum* familia, in decessoris locum suffectus est. Principes ad Bellum Turcis inferendum stimulavit. Imperatorem *Carolum* cum *Francisco* Galliæ Rege univit. Concilium universale vigesimum *Tridenti* missis tribus Legatis exorditur, quod a *Paulo III.* inceptum sub Pontificibus *Julio III. Marcello II. Paulo IV.* & *Pio IV.* integris 18. annis duravit, & pro Symbolicæ rectæ Fidei norma contra *Lutheri*, *Calvini*, eorumque Assectarum dogmata inposterum semper agnitum, & acceptatum fuit. Cæterum *Carolo V.* quem Romæ magna pompa exceperat, cognomen *Maximi* adjecit, & post 15. annorum Regimen Tiaram cum vita deposuit. Eo tempore *Jesu Societas* a *D. Ignatio* instituta est.

1550. CCXXVI. *Julius III.* Aretinus, dictus antea *Joannes Maria Montius*, postquam Sedes Pontificia tribus mensibus vacasset, ad Papatum evectus, sedit annis 5. mense uno & diebus 21. Is *Tridentinum Concilium* summo cum fervore continuavit, & incidens Jubilæum celebravit. Ut Fides Catholica in Anglia restitueretur, nulli labori pepercerat.

1555. CCXXVII. *Marcellus II.* Tusculanus, antea *Marcellus Cervinus*, post *Julium III.* ad Cathedram Romanam electus, sedit tantum 21. vel 22. diebus. Dum Christianos Principes ad mutuam Pacem componere studet, inopinato fato eripitur.

CCXXVIII. *Paulus IV.* Neapolitanus, antea *Petrus Caraffa*, Summus Pontifex creatus, Ecclesiæ præfuit 2. annis, & tribus mensibus. Is Primus *Theatinorum* Generali Transactioni Passaviensi sese opposuit. 70. Cardinales lateri suo præsentes esse voluit. *Sacra Inquisitionis Tribunal* instituit; &, ut *Judæi* Romæ flavos gestarent pileos, præcepit.

1559. CCXXIX. *Pius IV.* Mediolanensis, prius dictus *Joannes Angelus Mediceus*, *D. Caroli* Borromæi Patruus postquam Romana Sedes 4. mensibus vacasset, inter Pontifices electus est. Is *Concilium Tridentinum* finiit; Ordinem *Equitum Piorum*, Papam comitantium, fundavit, & *Equitibus Militensibus* prætulit. Post sex annorum Regimen fatis concessit. *Ann. Chr.*

CCXXX. *S. Pius V.* Insuber, antea *Michael e Gisleriorum* Bononiensium Nobilissima Familia oriundus, ex Prædicatorum Ordine assumptus, Tiaram gestavit annis 6. & tribus mensibus. Is vitæ probitate & Doctrina conspicuus *Simoniam* singulari Bulla proscripsit. *Congregationes Cardinalium de propaganda Fide*, & extirpandis hæresibus constituit; & *Festum S. Mariæ de Victoria* propter insignem Victoriam ad Echinadas Insulas de Turcis reportatam instituit. 1566.

CCXXXI. *Gregorius XIII.* Bononiensis, antea *Hugo* Boncompagnus, Summus Pontifex electus, Ecclesiæ præfuit annis 13. Hic *Kalendarium Julianum* per ambos Aloysium, & Antonium Liliös emendatum, posthac *Gregorianum* vocari jussit. In variis Regionibus 22. Collegia fundavit ad Fidei Catholicæ incrementum. 1572.

CCXXXII. *Sixtus V.* Anconitanus, antea *Felix Perettus* vocatus ex Ordine S. Francisci in Pontificem assumptus. Is artificiosissimam Templi *S. Petri* structuram perfecit. Romam splendidissimis Ædificiis, Columnis, & Obeliscis exornavit, & in S. Angeli Castello thesaurum 20. millionum deposuit. Laureto nomen Civitatis, & Sedem Episcopalem contulit, retulitque *D. Didacum* inter Sanctos. Sexto Regiminis anno inchoato terris valedixit. 1585.

CCXXXIII. *Urbanus VII.* Romanus, prius *Joannes Baptista Castaneus*, *Sixto* successit. In Juribus Civili, & Canonico versatissimus, 12. tantum diebus præsedit. 1590.

CCXXXIV. *Gregorius XIV.* Mediolanensis, antea *Nicolaus Sfondratus*, postquam Sedes Romana duobus mensibus vacasset, ad Pontificatum ex Cremonensi Episcopo evectus est. Is, dum Bellum contra *Calvinistas*, vulgo *Hugonotos* promovere niteretur, post 11. menses fatis concessit.

CCXXXV. *Innocentius IX.* dictus antea *Joannes Antonius Facchenettus*, Bononiensis, inter Pontifices electus, duobus tantum mensibus Tiaram gestavit, Is omni virtute præditus, Populi egestati & inopiæ providit. 1591.

CCXXXVI. *Clemens VIII.* Florentinus, antea *Hippolytus Aldobrandinus* ad Summi Pontificatus fastigium evectus, cathedram obtinuit annis 13. mense uno, & 5. diebus. Ejus opera *Henricus IV.* Galliarum Rex cum *Philippo II.* Rege Hispaniarum Pacem iniit. Anno 1600. Jubilæum celebravit, suoque, & Cardinalium optimo exemplo multos Acatholicos, illo tempore Romam confluentes ad Christi Ovile reduxit. Mortuo *Alphonso II.* Ferrariensem Ducatum seu Papale Feudum Territorio Ecclesiæ univit. 1592.

INDEX CONCILIORUM.

Decimi Sexti Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1597.	Amalphitanum.	Clem. VIII.
1585.	Aquense.	Gregor. XIII.
1509.	Avenionense.	Julius II.
1594.	Avenionense.	Clem. VIII.
1548.	Augustana Synodus.	Paulus III.
1528.	Bituricense.	Clemens VII.
1584.	Bituricense.	} Gregor. XIII.
1583.	Burdegalense.	} Gregor. XIII.
1565.	Cameracense.	Paulus IV.
1586.	Cameracense.	Sixtus V.
1529.	Cantuariensis provinciæ convocatio.	Clemens VII.
1557.	*Altera.*	Paulus IV.
1569.	Capuanum.	Pius V.

1577. Ca-

An.Chr.	Concilium.	Pontifex.
1577.	Capuanum.	Gregor. XIII.
1536.	Coloniense.	Paulus III.
1549.	Coloniense.	
1579.	Consentinum.	Gregor. XIII.
1565.	Constantinopolitanum.	Pius IV.
1599.	Diamperiense.	
1599.	Diamperitanum *in Malabria*.	Clemens VIII.
1518.	Dubliniense.	Leo X.
1559.	Edimburgense.	Paulus IV.
1517.	Florentinum Provinciale.	Leo X.
1573.	Florentinum Provinciale.	Gregor. XIII.
1512.	Lateranense V. Generale XIII.	Julius II. & Leo X.
1501.	Londinense.	Alexander VI.
1556.	Lovitiense *in Polonia*.	Paulus IV.
1527.	Lugdunense.	Clemens VII.
1596.	Maronitarum.	Clem. VIII.
1510.	Mechliniense.	Julius II.
1565.	Mediolananse I.	Pius IV.
1569.	Mediolanense II.	Pius V.
1573.	Mediolanense III.	
1576.	Mediolanense IV.	
1579.	Mediolanense V.	Gregor. XIII.
1582.	Mediolanense VI.	
1582.	Memphiticum.	
1585.	Mexicanum.	Sixtus V.
1549.	Moguntinum.	Paulus III.
1551.	Narbonense.	Julius III.
1576.	Neapolitanum.	Gregor. XIII.
1521.	Parisiense Provinciale.	Leo X.
1528.	Parisiense.	Clemens VII.
1510.	Petercavvense.	Julius II.
1511.	Pisanum Conciliabulum.	
1568.	Ravennate Provinciale.	Pius V.
1564.	Remense.	Pius IV.
1583.	Remense.	Gregor. XIII.
1514.	Rothomagense.	Leo X.
1522.	Rothomagense.	Hadrian. VI.
1581.	Rothomagense.	Gregor. XIII.
1596.	Salernitanum.	Clem. VIII.
1549.	Scoticum.	
1551.	Scoticum.	Julius III.
1552.	Scoticum.	
1528.	Senonense *alit.* Paris.	Clemens VII.
1597.	S. Severinæ Provincialia duo.	Clem. VIII.
1567.	Sipontinum Provinciale.	Pius V.
1565.	Toletanum.	Pius IV.
1590.	Tolosanum.	Sixtus V.
1548.	Trevirense I.	
1549.	Trevirense II.	Paulus III.
1545.	Tridentinum generale.	
1510.	Turonense.	Julius II.
1583.	Turonense.	Gregor. XIII.
1557.	Viennense.	Paulus IV.
1569.	Urbinatense Provinciale.	Pius V.

§. XVII.

Decimum Septimum Salutis Reparatæ Seculum.

PONTIFICES ROMANI.

CCXXXVII. LEo *XI.* Florentinus, antea dictus *Alexander Mediceus*, Archiepiscopus & Cardinalis, postquam integro fere mense Pontificia Sedes vacasset, ad Papatum evectus, sedit tantum 27. diebus. Omnes qualitates Pontifici debitas perfectissime possidens, summo omnium dolore ereptus est. *Ann. Chr.* 1605.

CCXXXVIII. *Paulus V.* Romanus, antea *Camillus Borghesius* Cardinalis, & Pontificis Vicarius, præ Cardinalibus *Bellarmino*, & *Baronio*, summi meriti Viris, electus Ecclesiæ præfuit annis 15. mensibus 8. cum 13. diebus. Is Venetos, Immunitatem Ecclesiasticam Asylorum & Judiciorum violantes, Sacris privavit. Sed *Henrico IV.* Galliæ Rege mediante brevi iterum absolvit. Multa splendida ædificia maximis impensis erexit; Aquæductum quoque munificis sumptibus exstruxit, qui per 15. Milliaria Germanica aquas Bracciano Romam usque derivat. In Romipetas quotannis 200000. Imperialium expendit, atque in cæteros Pauperes per annos quibus præfuit se'qui myriadem auri distribuit. Nomen dedit *Christianissimo* Regi *Ludovico XIII.*

CCXXXIX. *Gregorius XV.* antea *Alexander* e *Ludovisiorum* Genere natus, Bononiensis Archiepiscopus & Cardinalis, in Pontificem assumptus est. Is *Ferdinando II.* contra Protestantes, & Polonis contra Turcas largissima pecuniarum subsidia ministravit. A *Maximiliano I.* Bavariæ Duce oblatam sibi *Heidelbergensem Bibliothecam*, per Leonem Allatium Græcum, ad Romanam Fidem conversum, *Romam* trasferri curavit. Antonium de Dominis Archiepiscopum Spalatensem in Dalmatia ab hæresibus, quas evomuerat contra Hierarchiam Ecclesiæ, revocavit. Quieti Ecclesiæ, & totius Orbis Christiani maxime intentus, post duorum annorum, & 5. mensium Regimen, Terris & Papatui valedixit. 1621.

CCXL. *Urbanus VIII.* Florentinus, prius *Mafeus Cardinalis Barberinus* in decessoris locum suffectus, viginti & uno annis præsedit. Is maximæ Doctrinæ Vir, & Latinæ Poeseos peritissimus. Jubilæum ordinarium anno 1625. & extraordinarium anno 1628. pro impetranda Christianorum Principum unione indixit. Cardinalibus, suasu Cardinalis *Richelieu* Titulum *Eminentissimi* loco *Illustrissimi* adjecit. Ducatum Urbinum, mortuo ultimo ejus Duce, Ditioni Papali conjunxit. 1623.

CCXLI. *Innocentius X.* Romanus, antea *Joannes Baptista Cardinalis Pamphilius*, postquam Sedes Pontificia mense uno cum dimidio vacasset, ad Cathedram Papalem evectus, Ecclesiam rexit annis 10. tribus mensibus cum vigintitribus diebus. Is contra ablatorum Ecclesiasticorum bonorum retentionem, in *Pace VVestphalica* stabilitam, protestatus est. Cornelii Jansenii Iprensis in Belgio Episcopi propositiones, Hæresin sapientes, confixit. Toto sui Pontificatus tempore id solatii assecutus, ut *Eduardus Comes Palatinus* Rheni, *Philippus VVilhelmus* Dux Neoburgensis, *Amalia Magdalena* Hasso-Darmstadiensis, *Udalricus* Dux VVittenbergæ, *Joannes Fridericus* Brusvico-Luneburgensis, *Alexander Henricus* Hollstein-Juderburgensis, *Fridericus Landgravius* Hasso-Darstadiensis a *Lutheri*, & *Calvini* erroribus ad Catholicæ Fidei Sacra transierint. 1644.

CCXLII. *Alexander VII.* Senensis, antea *Fabius Cardinalis Chisius*, post trium mensium vacationem, Summus Pontifex creatus, *Petri* Claves gessit duodecim annis, & uno mense. Is a *Christina* Sveciæ Regina Romæ salutatus. Corsis, quod Pontificiæ Excubiæ, e Corsis conflatæ, Regis Galliæ Legatum Ducem Crequensem hostiliter 1655.

Ann. Chr. liter invasissent, vi Pisanorum Tractatum perpetuo Urbe Roma interdixit. Ab ipso plures Propositiones Ecclesiæ sensui minus consonæ, confixæ sunt.

1667. CCXLIII. *Clemens IX.* Florentinus, antea *Julius Cardinalis Rufpigliosius*, post mensem *Alexandro* Cathedra Romana successit. A sua Liberalitate, & animo Pacis amantissimo summe commendatus. Totas adhibuit vires, ut Christianorum Principum litigia componerentur, eorumque arma bellum Turcis, jamjam Candiam gravissima obsidione prementibus, inferrent. Cum tribus circiter annis præfuisset, vita defunctus est; & post ipsum 4. mensibus sedes vacavit.

1670. CCXLIV. *Clemens X.* Romanus, antea *Æmilius Cardinalis Altieri*, inter Pontifices electus, Ecclesiam rexit 6. annis cum duobus mensibus. Polonis contra Turcas suppetias, & multorum millium coronatorum subsidia misit. *Pium V.* inter Beatos retulit. Post ipsum Sedes duobus mensibus vacavit.

1676. CCXLV. *Innocentius XI.* Comensis, antea *Benedictus Cardinalis Odeschalchi*, ad Pontificatum evectus, 13. annis *Petri* Naviculam laudabilissime rexit. Eximia vitæ probitate, & Papalis Regiminis insigni peritia conspicuus Clerum reformavit. Propter *Jus Regaliæ*, & extraneorum Legatorum Domicilii Immunitatem cum *Ludovico XIV.* Galliarum Rege non nihil collisus. Ipsius opera *Joannes* Poloniæ Rex Viennam Turcarum obsidione liberavit.

1689. CCXLVI. *Alexander VIII.* Venetus, antea *Petrus Ottoboni* ex Cardinali in Pontificem electus est. Is suis Patriotis insignia subsidia contra Turcas obtulit. *B. Laurentium Justiniani* cum quatuor aliis inter Sanctos retulit. Cum duobus annis Ecclesiam gubernasset, fatis concessit.

1691. CCXLVII. *Innocentius XII.* Neapolitanus, antea *Antonius Cardinalis Pignatellius*, ad Cathedram Pontificiam assumptus, præfuit annis 9. Is Nepotismi acerrimus hostis fuit. Infirmitate impeditus, per Cardinalem *Bullionium* tempore Jubilæi Sacram Portam aperuit. Dominica II. post Epiphaniam *Festum SS. Nominis Jesu* celebrari jussit. Morte sua Sæculo XVII. finem imposuit.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Septimi Sæculi.

An.Chr.	*Concilium.*	*Pontifex.*
1612.	Aquense.	Paulus V.
1624.	Burdegalense.	Urbanus VIII.
1603.	Capuanum.	Clemens VIII.
1642.	Constantinopolitanum.	Urbanus VIII.
1672.	Hierosolymitanum.	Clemens X.
1607.	Mechliniense.	Paulus V.
1609.	Narbonense.	Paulus V.
1612.	Senonense.	Paulus V.

§. XVIII.

Decimum Octavum Salutis Reparatæ Sæculum.

PONTIFICES ROMANI.

Ann. Chr. 1700. CCXLVIII. Clemens XI. *Albanorum* Genere Urbini natus, & ipso *S. Clementis* festo electus, antea *Joannes Franciscus* dictus, primum post triduum Electioni consensit. Durante Hispanicæ Successionis Bello tam a Cæsareis, quam a Gallis multa adversa propter Papalia Neapolis, & Siciliæ Feuda, quæ nunc ista, nunc altera Pars ab eo extorquere nititur, perferre, & propter Status Ecclesiæ securitatem conservandam cum Austriis satis difficiles conditiones inire compellitur. Cum *Sabaudiæ* pariter Principe propter defensam, quam ille læserat Ecclesiasticam Immunitatem acriter collisus est. Sub ejus Regimine *Antonius Wolffenbüttelanus* Dux Romanam amplexus Fidem *Luthero* valedixit, & *Augustus* Saxoniæ, ac Hannoveranus Electores Catholicas in suis Ditionibus Ecclesias ædificandi licentiam dedere. *Constitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius* &c. edita centum & unam *P. Quesnelli* Oratorii Presbyteri propositiones, Hæresim olentes, confixit; Cui *Constitutioni* Duce Cardinali, & Parisiensi Archiepiscopo *Noellio* (qui tamen in vitæ fine resipuit) plurimus *Galliæ Clerus*, ad futurum etiam *Concilium* appellans, sese pertinaciter opponit. *Clemens* autem post 20. annorum, & 4. mensium Papatum rebus humanis eripitur. 1713.

CCXLIX. *Innocentius XIII.* Romanus, antea *Michael Angelus Cardinalis Conti*, seu de Comitibus, Principis de Poli Frater, inter Pontifices assumptus, *Clementi XI.* Cathedra successit. Is Cardinalem *Alberoni* a variis, ipsi falso inflictis calumniis liberum dixit. Episcopatum Viennensem in *Austria* ad Archiepiscopatus Dignitatem evexit; & tertio Pontificatus anno e vivis discessit. 1721.

CCL. *Benedictus XIII.* Romanus, antea *Vincentius Maria Cardinalis Ursini*, jam 75. annorum Senecio electus, sex annis Ecclesiam laudabilissime gubernavit. Ut corruptos Cleri mores emendaret, *Provinciale Concilium* in Laterano coegit, & maxima cum Solemnitate Jubilæum anni 1725. celebravit. Celsissimum etiam *Equestrem S. Georgii Defensorum Immaculatæ Conceptionis* B. V. M. Ordinem, a Serenissimo Bavariæ Electore *Carolo Alberto* erectum confirmavit, & multis splendidissimis Privilegiis exornavit. Tandem ad plures abiit, & de ipso communi proverbio dicitur, quod Pii V. Pietatem, & Sixti V. serium agendi modum possederit. 1724.

CCLI. *Clemens XII.* Florentinus, antea *Laurentius Cardinalis Corsinus* ad Pontificatum evectus, decem fere annis Tiaram gestavit. Cardinalem *Coscia*, Prædecessoris *Benedicti XIII.* Clementia & Bonitate abusum, correxit. Ut, Cardinali Noellio *Anti-Constitutionistarum* Capite vivis erepto, *Appellantes* Regno Galliæ pellerentur, evicit. Hispanum Infantem *Ludovicum* sesqui octo annorum Principem non solum *Archiepiscopali Toletana* Mitra, sed etiam *Cardinalitio Galero* exornavit; & *Clementem Augustum III.* Poloniæ Regem legitime electum agnovit. Cæsareorum in statu Ecclesiæ Hybernalia Castra maxima cum prudentia toleravit. Inter cæteros *Josephum Comitem* de Lamberg Episcopum Pataviensem, *Henricum d' Auvergne*, Cardinalis Bullioni Cognatum, & *Petrum Tencin*, a coronæ Anglicanæ *Prætendente* præsentatum, Cardinalibus annumeravit. Reipublicæ S. Marini Cives ab Homagio sibi in Cardinalis *Alberoni* Persona præstito, iterum Boni publici causa absolvit, & demum mortalitatem explevit. 1730.

CCLII. *Benedictus XIV.* antea *Prosper Lambertinus* Cardinalis & Archiepiscopus Bononiensis, Summus Pontifex creatus, Nomen in sui Promotoris, *Benedicti XIII.* venerationem assumpsit. Ut Cardinalium, quorum aliqui durante adhuc *Conclavi* vivis excesserant, numerum impleret, 24. novos *Purpuratos Patres* creavit. Serenissimum quoque Bavariæ Ducem *Joannem Theodorum* Frisingensem, Ratisbonensem, ac Leodiensem Episcopum, cui prius Rubrum Galerum in pectore reservaverat, publice Cardinalem declaravit, eique Purpuram transmisit. Cum anno 1745. Italis pro impetranda Principum Christianorum concordia Jubilæum promulgasset, Viduatæ *Mariæ Amaliæ* Augustæ Imperatricis Precibus illud etiam in Bavariam extendit. Sub ejus Regimine, *Carolus Ludovicus* S. R. I. Comes Leininganus Hartenburgensis in manus Eminentissimi *Cardinalis de Rohan* Tabernis Alsaticis Catholicæ Fidei professionem deponit. Princeps quoque *Fridericus Bipontinus*, abjectis *Lutheri* erroribus, Romana Sacra amplexus est. *Franciscum I.* Romanorum Regem, in *Imperatorem* electum promulgavit, & *Josepho Archiduci Austriæ* Neonato, tanquam ejusdem Pa- 1740. 1746.

Patrinus per Pontificium Nunrium *Serbellonium* munera tanto Principe digna submisit. *Henricum Benedictum* Angliæ Prætendentis *Jacobi III.* è *Clementina* secundogenitum *Cardinalem* Diaconum creat. Catholicis Berolini commorantibus pro exstruenda *S. Hedvvigis* Ecclesia larga subsidia mittit. Item Jubilæum anno 1750. celebravit. Lites Regi Neapolitani *Caroli* cum Melitensibus Equitibus, propter Ecclesiarum Melitensium visitationem, quam Rex per Archiepiscopum Syracusanum institui jusserat, exortas, Litteris ad *Carolum* datis dexterrime composuit. *Joannem V.* Lusitaniæ Regem Titulo *Fidelissimi* primus honoravit. In lite circa Sacramentorum administrationem, moribundis præstandam exorta, Regi contra Parlamentum favit; quod quidem litigium Rex *Ludovicus* dexterrime composuit, dum utrique Parti silentium indixit. Insuper pluribus Eruditissimis Scriptis clarus, post 18. annorum Regimen ad Astra translatus est.

CCLIII. *Clemens XIII.* Venetus, antea *Carolus Rezzonico*, Cardinalis, & Pataviensis Episcopus, in Summum Ecclesiæ Catholicæ Pontificem electus, se in sui ad S. Purpuram Promotoris memoriam *Clementem* dixit. Is sua admirabili virtute, & ardentissimo zelo, quibus studet quotidie Ecclesiam gubernare, plura de se digna, ut historiis commendentur, relicturus. Gloriosissimum itaque ipsius Regimen Superi in sera tempora proferant, ut & Catholicæ Religioni decus, & Orbi Christiano præsidium, & utilitas magis atque magis elucescat.

INDEX CONCILIORUM

Decimi Octavi Sæculi.

F I N I S.



L. S.

Huic primæ editioni, in benignitate Lectorum fore aliquid præsidii confidimus. Nonnulli enim errores typographici, aut M.S. difficultate, aut operarum, aut aliorum incuria irrepserunt. Eos, quos vel inversum, vel obscuriorem sensum efficere deprehendimus, adprime annotavimus, & archetypæ lectioni restituimus; eos, qui primo aspectu animadverti possunt, legentium humanitati emaculandos ignoscendosque reliquimus, utrosque vero in secunda editione a nobis sublatos iri pollicemur. Fidem nostram liberabimus, indicta nobis lege omnes editiones nostras curandi, ut elaboratæ atque limatæ, more Majorum, evadant. Diligentia quippe nostra, & idoneo personarum delectu proscindemus vel rudem imperitiam, vel fædam injustamque incuriam eorum, qui, accepto operæ pretio, in emaculandis Libris antequam ultima manus illis a Typographo imponatur, oscitanter munere perfunguntur.

Pag.	Columna	Linea	ERRORES	CORRECTIO.
5	..	36	ipse tibi	ipse se tibi
7	2	85	utique	utrique
18	2	12	unius ope	cujus ope
26	1	84	vol. II	vel II
29	2	60	continentur	continentet
35	2	39	Senensem	Senonensem
46	2	9	capito suo	capite suo
47	1	24	appellatur	appellantur
52	1	18	prædiatorum	prædictorum
59	1	24	Europam, regnantibus	Europam afficiunt regnantibus
66	1	54	Synodos africanos ante Concil. Calced. celebratos	Synodos africanas anteConcil.Chalced. celebratas
67	1	43	Coloniæ Imperfecta	Coloniæ impressa
...	2	1	sub Honoratio III.	sub Honorio III.
74	2	30	constarunt	constiterunt
77	1	64	Curicenus	Cyzicenus
79	2	15	Crebbem sequutum est	Crabbem sequutum, esse
79	2	73	lamnis	lacunis
82	2	68	Divisionis	Divionis
85	1	71	nunc continuo	num continuo
87	1	36	quæquæ iis	quæ de iis
88	2	65	casque	usque
90	1	7	Professoris Fidei	Professionis Fidei
98	1	21	Acta, qua	Actio, qua
99	1	84	nequam potest	nequaquam potest
101	2	62	Collect. XVII.	Coll. XVII.
103	2	70	quibus est	quibus usus est
106	1	19	non is	is non
108	2	32	configit	contigit
110	2	25	Tusculanum	Insularum
114	1	65	propositionem	præpositionem
117	1	42	nunc	num
121	2	37	constituunt facile	constituunt, requiritur, facile
128	1	72	Cartaginensis, aliquod	Carthaginensis aliquot
134	1	24	indicata causa	indicta causa
140	2	68	MSS. non aliæ	MSS. in quibus non aliæ
141	1	22	post ann. 634.	post ann. 534.
142	1	20	historiæ varietatem	historiæ veritatem
143	2	2	canoso	cœnosa
...	2	12	obstrusere	obtrusere
148	2	12	ex MS. Molioth. Regiæ	ex MS. Biblioth. Regiæ
160	1	11	Cap. I.V.I.	Cap. I V.VI.
162	1	23	ordineXXVII.	ordine XXVIII.
...	1	67	pro Ceristi fide	pro Christi fide
168	2	85	LXXXVIII.	LXXXIII.
170	2	22	Ancora	Ancona
171	2	75	CVI va-	CIV va-
172	1	1	CVI. Valentinus	CIV. Valentinus
180	2	6	CLVI	CLXVI.

INDEX
RERUM NOTABILIUM;
Quæ in libro hoc continentur.

A

B

cre-

I

L

Ra-

R

S

T

V

Z

F I N I S.



